PHARMACOPOEA UNIVERSALIS.

INCHOAVIT

PHIL. LAUR. GEIGER,

PHIL. DR., PHARMACIAE IN ALMA RUPERTO-CAROLA QUONDAM PROFESSOR ORDIN.

CONTINUAVIT ET ABSOLVIT

CAR. FRID. MOHR,

PHIL. DR., COLLEGII MEDICI BORUSSO-RHENANI ASSESSOR PHARMACIAE, SOCIETATIBUS NATURAE SCRUTATORUM, QUAE FLORENT FRANCOFURTI AD MŒNUM, HAMBURGI, BASILEAE, MOGUNTIAE, SOCIETATIBUS AD PROMOVENDAS ARTES ET LITERAS UTILES AQUISGRANENSI, RHENO-BAVARICAE, FRANCOFURTENSI A. M., SOCIETATIBUS TECHNOLOGICIS HASSO-DARMSTADTINAE, LAHRENSI, SOCIETATIBUS PHARMACEUTICIS GERMANIAE SEPTENTRIONALIS, MONACENSIS ET TRACTUS HUNNORUM HONORIS ET LITERARUM COMMERCII CAUSA ADSCRIPTUS ET PHARMACOPOLA.

HEIDELBERGAE, 1845.

SUMPTIBUS CHR. FR. WINTER.

PHARMACOPOEA UNIVERSALIS.

AUCTORE

PHIL. LAUR. GEIGER.

PARS PRIOR.

SIMPLICIA CRUDA ET PRAEPARATA MERCABILIA.

HEIDELBERGAE, 1835.

SUMPTIBUS CHR. FR. WINTER.

PRAEFATIO.

De Pharmacopoea universali praefaturus ante omnia historiam hujus Libri paucis absolvam.

Philippus Laurentius Geiger, natus Freinshemii die 30. mensis Augusti anno 1785, morte praematura amicis et literis abreptus die 19. Januarii an. 1836, jam dudum consilium Pharmacopoeae universalis ad novam rationem conscribendae mente sua concepit. At interim consilium supremum, quod rebus medicis in Magno Ducatu Badensi moderandis praeest, cum apud sese constituisset, Pharmacopoeam Badensem elaborandam curare, Geigero negotium commisit, ut primas lineas ad opus propriis humeris suscipiendum duceret. Ad quod cum accingeretur, facile intellexit, id quod potissimum exoptaret, cum officio sibi imposito posse conjungi, et Collegio illi proposuit, Pharmacopoeam Badensem ita cum Universali commiscere, ut Badensis, typis majoribus insignis, tanquam filum rubrum per totum ordinem alphabeticum Pharmacopoeae universalis pertexta posset dignosci. Consilium supremum annuit, id tantum sibi sumpsit, ut quidquid ad Pharmacopoeam Badensem pertineret, comprobaret vel improbaret, quo quidem jure nunquam in paginis impressis inspiciendis usum est. Geigerus igitur alacriter opus aggressus partem primam absolvit, secundam usque ad paginam 281 produxit, quum morbo inflammatorio pectoris graviter tentatus die, quo dixi, animam efflavit et opus inchoatum

reliquit. Winterus, qui librum sumptibus suis excudendum susceperat, Geigero defuncto multam operam perdidit, ut inveniret, qui librum absolvere vel vellet vel posset. Non enim nisi qui pharmacopola diu ipse fuisset vel adhuc esset, ad labores practicos obeundos copiam habuit et materiis, quas perscrutandi causa pararet, uti poterat. Num qui docendi causa tantum partes agit, materias pretiosas, uti Opium, Chinam, Rheum, Mercurium, cetera ad corpora praeparanda adhibebit, nisi ex praeparatis ipsis materiae impensae valorem compensantem commercio elicere queat? Hac de causa qui rem pharmaceuticam docere tantum professus est, Pharmacopoeam conscribendam nec tamen elaborandam suscipiet, nisi magnam jacturam faciendam simul subeat. Inter pharmacopolas, quos libri redemtor adiit, alii latini sermonis inscitiam, alii chemiae cognitionem penitiorem sibi non esse, alii tempus a negotiis non dari, causam interserebant, ut rem recusarent.

Anno 1837 primum mihi proposuit Winterus, ut rem solus susciperem et ad finem denique perducerem. Quum mihi tunc temporis otium esset, patre scilicet dilectissimo adhuc incolumi et pharmacopolium curante, et quia vires meas tali operi subeundo pares putavi, dextram dedi, animo computans, annis duobus vel tribus omnia absolvi posse. Sed res aliter evenit; per septem demum annos temporis et laboris mei summam huic operi impendi. Quidquid novi vel boni profecerim, lectori benevolo dijudicandum derelinquo. In Liebigii Libris annalibus de literis pharmaceuticis publici juris feci, quidquid in elaboranda pharmacopoea vel inveni vel emendavi. Per sex menses methodis concinnandis ad extractorum praeparationem operam navavi. Profiteri mihi liceat, neque temporis neque rerum parsimoniam me habuisse, ut aliquid et re et primo operis auctore dignum proferrem. In rebus chemicis chemiam tantum ducem secutus sum et multorum annorum et laborum fructum in libro condidi; operi ergo gloriolam vindicare audeo, non compilamentum tantum esse. Nil enim facilius est, quam quod quotidie fieri solet, ex centum libris novum conflare.

Jam quae de Libri consilio mihi dicenda visa sint, exponam.

Tota Pharmacopoea uno ordine alphabetico conscripta est; discrimen momenti, quod singulis medicamentis attribuatur, typorum diversitate indicatum est. Maximis scilicet typis, dictis Ciceronis, Pharmacopoea quondam Badensis Geigeri excudenda erat. Geigero defuncto simili consilio medicamenta summae auctoritatis maximis typis imprimi pergebant, quamquam legum auctoritate non amplius erat sancienda Pharmacopoea. Indicant igitur typi Ciceroniani medicamenta ubique usitata, viribus insignibus praedita, quae in officinis pharmacopolarum semper praesto esse debeant.

Singulae voces tali consilio conscriptae sunt: Initium facit nomen usitatissimum lingua latina, germanica et gallica. In eligendo nomine Geigerus recte fecit, nomina antiqua, per longum tempus usitata, postea chemiae studio penitiore iterum derelicta in lucem denuo proferens. Haec nomina notione chemica omnino carent, ideoque errores chemicos non admittunt, nec literarum progressibus vitiosa vel inutilia fiunt. Exempli gratia vox Calomel medicamentum designat per saecula usitatum et methodis ubique notis praeparandum. Vox brevis est, aliis dissimilis, interpretationis falsae expers. Editores Pharm. Boruss. ed. 3. nomen Hydrargyrum muriaticum mite admiserunt. At hodie scimus acidum muriaticum non existere, neque mitem indolem in corpore inesse, quod saevissimos in corpus humanum effectus possit exercere. Alii Hydrochloratem appellavere, quamquam Hydrogenium non inest. Denique Chloretum, Chlororuretum, Protochloretum dictum est, ut a Mercurio sublimato corrosivo, quod Chloridum, Perchloretum, Superchloretum audivit, distingueretur. Ergo veneni saevissimi distinctio a literarum duarum discrimine pendet, quae sola memoria tenentur et facile permutantur. Alii Mercurium sublimatum corrosivum Chloridum, Calomel vero Subchloridum, vel Semichloridum dixere, Pharmacopoea anglica Calomel Chloridum, Mercurium sublimatum corrosivum Bichloridum nuncupat. Itaque idem nomen

et Calomel et Mercurium sublimatum corrosivum indicat, secundum opinionem quam quisque auctor de utriusque mixtione habuerit. Id accidit nominibus pure chemicis. Mutatis opinionibus de corporum mixtione mutanda sunt, terminationum similitudine facilius permutantur.

Multa nomina antiqua simili concinnitate gaudent, exempli gratia Kermes minerale, Sulphur auratum Antimonii, Hepar Sulphuris, similia. Kermes, quod Oxydum Antimonii non continet, medicamentum omnino non est. Alii Oxydum inesse, alii deesse voluerunt. Ergo nomina opiniones sequi debebant. Corpora recentioribus temporibus in materiam medicam introducta nominibus chemicis satis bene denotantur, sicut Kalium iodatum, Chininum sulphuricum; non enim nomina trivialia exstabant, vel facile corrigi potuerunt, ut in Kali hydroiodinico factum est. Cum igitur de principio cum Geigero consentirem, ut varietas evitaretur, eum cum grano salis secutus sum. Nomen principale synonyma insequuntur quantum fieri potest omnia, et in indice leguntur, ut, quod in Pharmacopoea universali praecipue spectandum erat, omnia quolibet nomine citissime reperiantur. Sequitur praeparatio satis accurate descripta, ut ad ejus regulam possit elaborari. Stilo simplici ac brevi uti, comprehensiones longiores complicatasque et expressiones improprias ac poeticas evitare mihi proposui. Praeparationes claudit mixtio chemica et vis. Mixtio chemica ponderibus mixtionis Berzelii definitur, vis plerumque uno vel altero verbo indicatur. Hoc et supervacaneum esse duco in pharmacopoea et paucis verbis fieri non posse. Quis enim vim Opii, Chinae, Calomel, Iodi paucis verbis circumscribat et cui bono? Congruentiae causa eundem modum secutus sum et me excusatum abire volo. Praeparationem excipit, typis paullo minoribus, descriptio qualitatis, depravationis ejusque detectionis, pondus specificum. Tum sequitur usus paucis quoque verbis notatus. Hac de re idem valet, quod de vi dictum est. Agmen claudit consensus et discrepantia Codicum de formulis, praeparandi rationes et animadversiones practicae in corporibus chemicis, in

quibus pharmacopoearum consensum afferre nihil attinet. Non raro praeparandi aliae methodi exponuntur, quae pro re nata interdum conducere possunt. Rationes quoque hoc loco afferuntur, e quibus methodus adoptata ceteris praelata fuerit.

Alterum ordinem voces tenent typis paullo minoribus impressae. Inter has medicamenta et formulae receptae sunt, quae vel hic illic magna laude feruntur, vel saepius in usum vocantur, nec tamen ubique terrarum eadem auctoritate gaudent, sed ad ordinationem medici praeparari debent. Nomen incipit antiquum et usitatissimum si adest, synonyma insequuntur lingua latina, germanica et gallica. Sequitur praeparandi formula spectatissima, codicum et dispensatoriorum dissensus posthac exponitur.

Typis denique minimis voces tertii ordinis impressae sunt, quae vel plane exoleverunt, vel singulis auctoribus tantum commendatae sunt. In hoc agmine turba formularum antiquarum reperitur temporibus pristinis saepius usitatarum et tum temporis hic illic iterum occurrentium. Omnes Pharmacopoeae alicujus auctoritatis fere totae hoc ordine continentur, ex iis, quae minore tantum gaudent auctoritate, selectus medicaminum. Receptae sunt formulae, quae probabiliter adhuc occurrere possunt, tum vero, ut quidquid in iis sit quisquiliarum cognoscatur. In hoc selectu omnibus satisfactum esse haud crediderim, nec fieri id posse in tanta hominum hac de re dissensione. Sunt qui Universalem farragine obsoleta obrutam putent, sunt qui minutiora etiam recipi posse existiment. Opus inchoatum inveni multis formulis, et in his ineptis, repletum, continuari ad eandem normam debebat. Semper ante oculos habui praestare formulas centum supervacaneas adesse, quam unam desiderari. Non enim perlegendi sed pervolvendi causa formulae copiosae adsunt.

Thermometrum Reaumurianum receptum est. Pondus medicinale divisionem Noricam habet Librae scilicet Uncias duodecim continentis. In singulis formulis diversitatis ponderis ratio haberi non poterat, quia hoc calculum minutissimum exegis-

net, tum quia Pharmacopoea universalis ubique terrarum adhiberi posse debebat et ponderum discrimina ex tabula adjecta computari possunt. Nomina simplicium antiqua prolixiora ubique fere amputavi, scilicet pro Opio Thebaico, Borace Veneta, Croco Austriaco: Opium, Boracem, Crocum ponens, et non nisi in mercabilibus de origine valde diversis, originem addidi ut in Castoreo sibirico, Rheo moscovitico, similibus.

At nunc, quum, quae praemonenda esse censui, dicta sunt, tempus est ut te, Liber, dimittam. I per orbem terrarum, quo te fata ferent, quo vocaberis, mone, consule, doce, quae in te sunt, facile deprome, et virorum peritorum consilium lubenter accipe. Vale.

MOHR.

Libra una continet Uncias duodecim,
Uncia continet Drachmas octo,
Drachma continet Scrupulos tres,
Scrupulus continet Grana viginti.

ACETUM. Essig. *Vinaigre.*

Synon.: Acetum crudum. Acetum Vini. [illegible] Essig. [illegible]

Plerumque in officinis peculiaribus, e liquoribus vinosis, fermentationi acidæ subjectis, paratur: verum tamen ab ipsis quoque pharmacopolis parari potest. Optimum fit e vino ipso: spiritus quoque vini p. sp. 0,94 cum 6-tuplo aquæ puræ mixtus bonum præbet acetum, brevioreque etiam temporis spatio, additis substantiis organicis solidis, in particulas redactis, præcipue ramentis ligneis vel vinaceis, aceto impregnatis. — Liquor coloris modo expers, modo flavescens, modo ruber, pro natura partium colorantium: saporis odorisque grate acidi atque excitantis. — Est Acidum aceticum, multa aqua dilutum, aliisque acidis organicis, substantiis extractivis, itemque salibus plus minus mixtum. — *Vis:* refrigeratoria, diaphoretica, antiseptica.

Sit liquor clarus, vappae et viscositate aceti expers, tantaeque aciditatis, ut ad kali carbonici drachmam penitus decomponendam duae sufficiant unciae. Sit et liberum ab acidis aliis mineralibus, metallis nocivis et acrimonia spuria. Acidum sulphuricum ope barytae muriaticae vel plumbi acetici, acidum muriaticum argenti nitrici, acidum nitricum in liquore neutralisato et evaporato acidi sulphurici beneficio, et metalla nociva aqua hydrothionica deteguntur; acrimonia vero spuria, digestione substantiarum vegetabilium acrium producta, in liquore neutralisato gustu sese manifestat.

Usus: Ad potiones: mixturis quoque admiscetur; externe ad fomentationes, lotiones, in clysmate: vapores ad odorandum in syncope cet. — *Praep.:* Acetum destillatum, concentratum, radicale, multa Salia acetica. Aceta medicata, Acetum camphoratum et Oxymella varia.

ADAMAS. Diamant. *Diamant.* — [illegible]

AEGAGROPILAE. [illegible] *Bezoard d'Allemagne.* — [illegible]

† AERUGO. Grünspan. *Vert de gris.*

Synon.: Viride Aeris. Cuprum subaceticum. Subacetas deutoxydi Cupri. [illegible]

Paratur cupro corrosione exposito, quod fit, aut per vinacea acide fermentantia, aut per pannos laneos aceto impraegnatos, quibuscum cupri lamellas per aliquod tempus alternantibus stratis loco humido deponuntur. — Occurrit in glebis vel panibus compactis, difficulter friabilibus, tactu asperis, opacis, coloris e coeruleo viridis; saporis debilis sed ingrato-metallici. Aerugo in aqua parum et partim tantum solubilis, in qua intumescit et mollescit, structuram crystallinam acicularem præ se fe-

reliquit. Winterus, qui librum sumptibus suis excudendum susceperat, Geigero defuncto multam operam perdidit, ut inveniret, qui librum absolvere vel vellet vel posset. Non enim nisi qui pharmacopola diu ipse fuisset vel adhuc esset, ad labores practicos obeundos copiam habuit et materiis, quas perscrutandi causa pararet, uti poterat. Num qui docendi causa tantum partes agit, materias pretiosas, uti Opium, Chinam, Rheum, Mercurium, cetera ad corpora praeparanda adhibebit, nisi ex praeparatis ipsis materiae impensae valorem compensantem commercio elicere queat? Hac de causa qui rem pharmaceuticam docere tantum professus est, Pharmacopoeam conscribendam nec tamen elaborandam suscipiet, nisi magnam jacturam faciendam simul subeat. Inter pharmacopolas, quos libri redemtor adiit, alii latini sermonis inscitiam, alii chemiae cognitionem penitiorem sibi non esse, alii tempus a negotiis non dari, causam interserebant, ut rem recusarent.

Anno 1837 primum mihi proposuit Winterus, ut rem solus susciperem et ad finem denique perducerem. Quum mihi tunc temporis otium esset, patre scilicet dilectissimo adhuc incolumi et pharmacopolium curante, et quia vires meas tali operi subeundo pares putavi, dextram dedi, animo computans, annis duobus vel tribus omnia absolvi posse. Sed res aliter evenit; per septem demum annos temporis et laboris mei summam huic operi impendi. Quidquid novi vel boni profecerim, lectori benevolo dijudicandum derelinquo. In Liebigii Libris annalibus de literis pharmaceuticis publici juris feci, quidquid in elaboranda pharmacopoea vel inveni vel emendavi. Per sex menses methodis concinnandis ad extractorum praeparationem operam navavi. Profiteri mihi liceat, neque temporis neque rerum parsimoniam me habuisse, ut aliquid et re et primo operis auctore dignum proferrem. In rebus chemicis chemiam tantum ducem secutus sum et multorum annorum et laborum fructum in libro condidi; operi ergo gloriolam vindicare audeo, non compilamentum tantum esse. Nil enim facilius est, quam quod quotidie fieri solet, ex centum libris novum conflare.

Jam quae de Libri consilio mihi dicenda visa sint, exponam.

Tota Pharmacopoea uno ordine alphabetico conscripta est; discrimen momenti, quod singulis medicamentis attribuatur, typorum diversitate indicatum est. Maximis scilicet typis, dictis Ciceronis, Pharmacopoea quondam Badensis Geigeri excudenda erat. Geigero defuncto simili consilio medicamenta summae auctoritatis maximis typis imprimi pergebant, quamquam legum auctoritate non amplius erat sancienda Pharmacopoea. Indicant igitur typi Ciceroniani medicamenta ubique usitata, viribus insignibus praedita, quae in officinis pharmacopolarum semper praesto esse debeant.

Singulae voces tali consilio conscriptae sunt: Initium facit nomen usitatissimum lingua latina, germanica et gallica. In eligendo nomine Geigerus recte fecit, nomina antiqua, per longum tempus usitata, postea chemiae studio penitiore iterum derelicta in lucem denuo proferens. Haec nomina notione chemica omnino carent, ideoque errores chemicos non admittunt, nec literarum progressibus vitiosa vel inutilia fiunt. Exempli gratia vox Calomel medicamentum designat per saecula usitatum et methodis ubique notis praeparandum. Vox brevis est, aliis dissimilis, interpretationis falsae expers. Editores Pharm. Boruss. ed. 3. nomen Hydrargyrum muriaticum mite admiserunt. At hodie scimus acidum muriaticum non existere, neque mitem indolem in corpore inesse, quod saevissimos in corpus humanum effectus possit exercere. Alii Hydrochloratem appellavere, quamquam Hydrogenium non inest. Denique Chloretum, Chloruretum, Protochloretum dictum est, ut a Mercurio sublimato corrosivo, quod Chloridum, Perchloretum, Superchloretum audivit, distingueretur. Ergo veneni saevissimi distinctio a literarum duarum discrimine pendet, quae sola memoria tenentur et facile permutantur. Alii Mercurium sublimatum corrosivum Chloridum, Calomel vero Subchloridum, vel Semichloridum dixere, Pharmacopoea anglica Calomel Chloridum, Mercurium sublimatum corrosivum Bichloridum nuncupat. Itaque idem nomen

et Calomel et Mercurium sublimatum corrosivum indicat, secundum opinionem quam quisque auctor de utriusque mixtione habuerit. Id accidit nominibus pure chemicis. Mutatis opinionibus de corporum mixtione mutanda sunt, terminationum similitudine facilius permutantur.

Multa nomina antiqua simili concinnitate gaudent, exempli gratia Kermes minerale, Sulphur auratum Antimonii, Hepar Sulphuris, similia. Kermes, quod Oxydum Antimonii non continet, medicamentum omnino non est. Alii Oxydum inesse, alii deesse voluerunt. Ergo nomina opiniones sequi debebant. Corpora recentioribus temporibus in materiam medicam introducta nominibus chemicis satis bene denotantur, sicut Kalium iodatum, Chininum sulphuricum; non enim nomina trivialia exstabant, vel facile corrigi potuerunt, ut in Kali hydroiodinico factum est. Cum igitur de principio cum Geigero consentirem, ut varietas evitaretur, eum cum grano salis secutus sum. Nomen principale synonyma insequuntur quantum fieri potest omnia, et in indice leguntur, ut, quod in Pharmacopoea universali praecipue spectandum erat, omnia quolibet nomine citissime reperiantur. Sequitur praeparatio satis accurate descripta, ut ad ejus regulam possit elaborari. Stilo simplici ac brevi uti, comprehensiones longiores complicatasque et expressiones improprias ac poeticas evitare mihi proposui. Praeparationes claudit mixtio chemica et vis. Mixtio chemica ponderibus mixtionis Berzelii definitur, vis plerumque uno vel altero verbo indicatur. Hoc et supervacaneum esse duco in pharmacopoea et paucis verbis fieri non posse. Quis enim vim Opii, Chinae, Calomel, Iodi paucis verbis circumscribat et cui bono? Congruentiae causa eundem modum secutus sum et me excusatum abire volo. Praeparationem excipit, typis paullo minoribus, descriptio qualitatis, depravationis ejusque detectionis, pondus specificum. Tum sequitur usus paucis quoque verbis notatus. Hac de re idem valet, quod de vi dictum est. Agmen claudit consensus et discrepantia Codicum de formulis, praeparandi rationes et animadversiones practicae in corporibus chemicis, in

quibus pharmacopoearum consensum afferre nihil attinet. Non raro praeparandi aliae methodi exponuntur, quae pro re nata interdum conducere possunt. Rationes quoque hoc loco afferuntur, e quibus methodus adoptata ceteris praelata fuerit.

Alterum ordinem voces tenent typis paullo minoribus impressae. Inter has medicamenta et formulae receptae sunt, quae vel hic illic magna laude feruntur, vel saepius in usum vocantur, nec tamen ubique terrarum eadem auctoritate gaudent, sed ad ordinationem medici praeparari debent. Nomen incipit antiquum et usitatissimum si adest, synonyma insequuntur lingua latina, germanica et gallica. Sequitur praeparandi formula spectatissima, codicum et dispensatoriorum dissensus posthac exponitur.

Typis denique minimis voces tertii ordinis impressae sunt, quae vel plane exoleverunt, vel singulis auctoribus tantum commendatae sunt. In hoc agmine turba formularum antiquarum reperitur temporibus pristinis saepius usitatarum et tum temporis hic illic iterum occurrentium. Omnes Pharmacopoeae alicujus auctoritatis fere totae hoc ordine continentur, ex iis, quae minore tantum gaudent auctoritate, selectus medicaminum. Receptae sunt formulae, quae probabiliter adhuc occurrere possunt, tum vero, ut quidquid in iis sit quisquiliarum cognoscatur. In hoc selectu omnibus satisfactum esse haud crediderim, nec fieri id posse in tanta hominum hac de re dissensione. Sunt qui Universalem farragine obsoleta obrutam putent, sunt qui minutiora etiam recipi posse existiment. Opus inchoatum inveni multis formulis, et in his ineptis, repletum, continuari ad eandem normam debebat. Semper ante oculos habui praestare formulas centum supervacaneas adesse, quam unam desiderari. Non enim perlegendi sed pervolvendi causa formulae copiosae adsunt.

Thermometrum Reaumurianum receptum est. Pondus medicinale divisionem Noricam habet Librae scilicet Uncias duodecim continentis. In singulis formulis diversitatis ponderis ratio haberi non poterat, quia hoc calculum minutissimum exegis-

tet, tum quia Pharmacopoea universalis ubique terrarum adhiberi posse debebat et ponderum discrimina ex tabula adjecta computari possunt. Nomina simplicium antiqua prolixiora ubique fere amputavi, scilicet pro Opio Thebaico, Borace Veneta, Croco Austriaco: Opium, Boracem, Crocum ponens, et non nisi in mercabilibus de origine valde diversis, originem addidi ut in Castoreo sibirico, Rheo moscovitico, similibus.

At nunc, quum, quae praemonenda esse censui, dicta sunt, tempus est ut te, Liber, dimittam. I per orbem terrarum, quo te fata ferent, quo vocaberis, mone, consule, doce, quae in te sunt, facile deprome, et virorum peritorum consilium lubenter accipe. Vale.

MOHR.

Libra una continet Uncias duodecim,
Uncia continet Drachmas octo,
Drachma continet Scrupulos tres,
Scrupulus continet Grana viginti.

ACETUM. Essig. *Vinaigre.*

Synon.: Acetum crudum, Acetum Vini. Roher Essig, Weinessig.

Plerumque in officinis peculiaribus, e liquoribus vinosis, fermentationi acidæ subjectis, paratur; verum tamen ab ipsis quoque pharmacopolis parari potest. Optimum fit e vino ipso; spiritus quoque vini p. sp. 0,94 cum 6-tuplo aquæ puræ mixtus bonum præbet acetum, breviorique etiam temporis spatio, additis substantiis organicis solidis, in particulas redactis, præcipue ramentis ligneis vel vinaceis, aceto imprægnatis. — Liquor coloris modo expers, modo flavescens, modo ruber, pro natura partium colorantium; saporis odorisque grate acidi atque excitantis. — Est Acidum aceticum, multa aqua dilutum, aliisque acidis organicis, substantiis extractivis, itemque salibus plus minus mixtum. — *Vis:* refrigeratoria, diaphoretica, antiseptica.

Sit liquor clarus, vappae et vibrionum aceti expers, tantaeque aciditatis, ut ad kali carbonici drachmam penitus decomponendam duae sufficiant unciae. Sit et liberum ab acidis alienis, mineralibus, metallis nocivis et acrimonia spuria. Acidum sulphuricum ope barytae muriaticae vel plumbi acetici, acidum muriaticum argenti nitrici, acidum nitricum in liquore neutralisato et evaporato acidi sulphurici brucii-que, et metalla nociva acidi hydrothionici deteguntur; acrimonia vero spuria, digestione substantiarum vegetabilium acrium producta, in liquore neutralisato gustu sese manifestat.

Usus: Ad potiones; mixturis quoque admiscetur; externe ad fomentationes, lotiones, in clysmate; vapores ad odorandum in syncope cet. — *Praep.:* Acetum destillatum, concentratum, radicale, multa Salia acetica, Aceta medicata, Acetum camphoratum et Oxymella varia.

ADAMAS. Diamant. *Diamant.* — Gemmarum pretiosissima. Reperitur in terris alluvialibus, quibusdam fluminibus atque in fodinis arenosis Asiæ et Americæ meridionalis. Corpus omnium durissimum, plerumque decolor, pellucidum, splendidissimum, lucis radios maxime refringens; crystallos formans regulariter octaëdricas et ab his derivandas; omnium menstruorum actioni resistens, igne fortissimo, aëre excluso, immutabile; sed adjuvante aëre penitus comburitur. Est Carboneum purissimum. — Medicamentum olim virium miraculosarum maximeque salubrium habebatur. — Hodie merito exolevit.

AEGAGROPILAE, Pilae Damarum, Rupicaprarum. Gemsenkugeln. *Bezoard d'Allemagne.* — Globuli, qui in ventriculo *Antilopes Rupicaprae* L., ex cl. Mammalium, ord. Bisulcarum, fam. Cavicornium, animalis alpes Helvetias, Tyrolenses cet. incolentis, reperiuntur. Sunt concretiones rotundæ et oblongæ, variæ magnitudinis, sed pugni amplitudinem vix excedentes, leves; e fibris vegetabilibus et pilis intricatis constantes; externe corticem referentes coriaceum, intus molliores; coloris luteo-grisei, subviridis vel nigricantis; odoris plus minus aromatici. — *Vis:* Analepticæ, cephalicæ atque alexiteriæ olim habebantur. — Hodiedum obsoletæ.

† AERUGO. Grünspan. *Vert de gris.*

Synon.: Viride Aeris, Cuprum subaceticum, Subacetas deutoxydi Cupri. Spangrün.

Paratur cupro corrosione exposito, quod fit, aut per vinacea acide fermentantia, aut per pannos laneos aceto impraegnatos, quibuscum cupri lamellas per aliquod tempus alternantibus stratis loco humido deponuntur. — Occurrit in glebis vel panibus compactis, difficulter friabilibus, tactu asperis, opacis, coloris e coeruleo viridis; saporis debilis sed ingrato-metallici. Aerugo in aqua parum et partim tantum solubilis, in qua intumescit et mollescit, structuram crystallinam acicularem præ se fe-

rens. — *Part. const.:* Cuprum oxydatum subaceticum — *Vis:* emetica, toxica, externe leniter corrodens, adstringens, antiseptica.

Sit sicca, coloris intense coeruleo-viridis, neque vero grisei, in aceto vel acido sulphurico diluto sine effervescentia penitus fere dissolubilis.

Usus: Interne, vix ullus; externe, unguentis et emplastris admiscetur. — *Praep.:* Aerugo crystallisata, Cera viridis, Unguentum aegyptiacum, Aqua viridis HARTM. cet.

† AERUGO DESTILLATA, Flores Viridis Aeris, Cuprum aceticum neutrum, Acetas Cupri crystallisatus. Destillirter Grünspan, Grünspanblumen. *Verdet ou Vert de gris distillé.* — Paratur Aerugine in aceto destillato dissoluta et liquoris filtrati evaporatione in crystallos concreta. — Sunt crystalli oblique rhomboidicae, planis duobus exacutæ, diaphanae, colore saturate viridi, sapore ingrato metallico; aëri expositae subfatiscunt, evaduntque opacae et primo obscure, post pallide-virides. In aquae partibus 14 temperatura ordinaria penitus solubiles.— *Part. const.:* Cupri oxydati 1, Acidi acetici 1, et Aquae 1, p. M. — *Vis:* praecedentis. — *Usus:* Raro pro medicamento adhibetur; emplastra et unguenta passim ingreditur. Olim ad parandum Acidum aceticum (Spiritum Aeruginis) in usu erat.

AGARICUS. Lerchenschwamm. *Agaric.* — *Boletus Laricis* JACQ. (*Bol. purgans* PERS. *Polyporus officinalis* FRIES. — NEES ab ESENBECK et EBERM. Handb. der med. pharm. Bot. p. 32 c. Ic. pl. med. t. 3.) ex ordine Fungorum, fam. Hymenomycetum. Crescit super truncos annosos *Pini Laricis* L., arboris Europae australis. — Fungus sessilis, pileo laterali, figura capitata, conica, vel cylindrica, plerumque tamen irregulari, pugni ad capitis humani usque magnitudinem; extrinsecus in tenera aetate colore albo, in provectiori autem luteo-fusco, intus albo-lutescente; recens, carnosus; siccatus, levis, friabilis, sed tamen tenacitate quadam gaudens; exterius cortice fere lignoso, pilum supra obducente, infra tubulis minutissimis instructus. In officinis prostat decorticatus et siccatus, odore farinoso, sapore primo subdulci, post acri-amaro. — *Part. praev.:* Resina drastica. — *Vis:* drastica. — *Usus:* In pulvere, pilulis, infuso. — *Praep.:* Trochisci, Extractum.

AGARICUS CHIRURGORUM, Ag. Pedis equini facie, Fungus igniarius, quercinus. Feuerschwamm, Zunder, Blutschwamm. *Agaric des Chirurgiens.* — *Boletus igniarius* L. (Ord. cet. præcedentis). — Fungus horizontalis, sessilis, magnus, quercubus, fagis, betulis, pinis cet. superincrescens, semiorbicularis, pulvinatus, superne cinereus, vel flavo-fuscus, coriaceus, margine et inferne cinnamomeus, exiguis poris convexis refertus. — Præparatus prostat, decorticatus, et maceratione in aqua et mallei ictibus in lamellas tenues mollissimas, spongioso-fibrillosas, tenaces redactus. Inodorus et insipidus. — Funginum est fere purum. — *Usus:* Externe ad sanguinem sistendum. — Pulvere pyrio vel nitro ne sit imprægnatus.

† AGARICUS MUSCARIUS L., *Amanita muscaria* PERS. Rother Fliegenschwamm, Mückenschwamm, Fliegenwulst. *Agaric tue-mouche, Oronge fausse* (NEES ab ESENBECK u. EBERM. p. 34 c. Ic. pl. med. tab. 5. — Ord. cet. praecedentis.). — Fungus in silvis, præcipue pinetis, æstate et ineunte autumno apparens. Stipitatus, volvatus; primo in volva alba rimoso-squamosa absconditus, ovum album simulans, tum pileus campanulatus, sensim sese complanans, explicatur, superne amoene miniatus, passim in colorem aurantiacum abiens, squamisque niveis, quae facile deterguntur, plus minus obsessus, subtus lamellis albis præditus, stipite albo solido, basi incrassato, supra medium annulo lacero instructo. Colligenda stipitis pars inferior, odoris foetidi saporisque acerrimi urentis, celeriterque siccanda. — *Vis:* venenata, inebrians, antiepileptica, antiphthisica, antipsorica? — *Usus:* In pulvere interne et externe caute! — *Praep.:* Tinctura.

AGARICUS PIPERATUS. Pfefferschwamm, Pfeffer-Reitzger. *Agaric poivré* (Ord cet. præced.) — Fungus stipitatus, in silvis, præsertim faginis, occurrens, stipite pallide flavescente, pileo supra concolore, primum convexo, postremo infundibiliformi, margine nudo, lamellis confertis dichotomo-ramosis, primo niveis, post flavis; lacte niveo, acerrimo, amaro turgens; venenatus. — Interne adhibetur, sub forma *Opiati antituberculosi Lepecq.*

AGRESTA, Omphacium. Unreife Weintrauben. *Le Verjus.* — *Vitis viniferae* L., e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Ampelidearum, fruticis Europae indigeni notissimi, Baccae immaturae, succo grate acerbo-acido turgentes. — Ad Succum et Syrupum Agrestae adhibentur.

ALABASTRUM, Gypsum granulosum. Alabaster. *Albâtre.* — Ubique fere in montibus transitivis et stratificatis reperitur. — Lapis plerumque albissimus, parum durus, structura granulosa, igne moderato in pulverem fatiscens, p. sp. 2, 2, paulum solubilis in aqua uti et in acidis, sine effervescentia. — Est Calcaria sulphurica cum Aqua. — Olim in medicina usitatum; — hodie exolevit.

ALBUMEN OVI. Eiweiß. *Blanc d'Oeuf.*

Ovorum gallinaceorum liquor vitellum ambiens, limpidus, gelatinoso-tenax, insipidus fere et inodorus, in aqua frigida solubilis; calore autem coagulatus, fere insolubilis. — Constat praecique ex Albumino, principio organico sui generis et multa Aqua. — *Vis:* demulcens, lubricans.

Usus.: Linimenta unguentaque ingreditur. — *Praep.:* Pasta Althaeae. — Ad clarificandos syrupos, serum lactis aliosque liquores inservit.

ALOË. Aloe. *Aloès.*

Synon.: Gummi Aloës.

Succus expressus et induratus foliorum *Aloës spicatae* Thunb., *vulgaris, succotrinae* Dec. et probabiliter aliarum specierum Aloës, e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Asphodelearum, plantarum succulentarum, frutices formantium, in promontorio Bonae Spei et America meridionali crescentium. — Distinguenda: 1) Aloë lucida. Glänzende Aloe. *A. Succotrina, Capensis. Aloès lucide* ou *du Cap.* Frusta irregularia, splendentia, colore obscure-viridescente-fusco; friabilia, si franguntur, in frustula acute angulata abeuntia, in margine colore brunneo-rubro diaphana. Aloë haec contrita pulverem pallide luteum praebet. Sapor peramarus, nauseosus, uti et odor, qui simul proprio gaudet aromate. In spiritu vini penitus solubilis, in aqua frigida vero tantum ex parte. 2) Aloë hepatica, vulgaris. Leberaloe, gemeine Aloe. *Aloès hepatique.* Ex India orientali advehitur pelle obvoluta, differt a lucida, colore hepatico, extra obscuriore, nitore languido, nullaque fere pelluciditate; facilius etiam in pulverem saturate luteum redigitur. Sapor amarus, magis nauseosus quemadmodum et odor, qui croci similis; in spiritu vini non plane solubilis. 3) Aloë barbadensis. Aloe aus Barbados, Aloe in Kürbisschalen. *Aloès de Barbades.* Ex insula Barbados adportatur, cucurbitis praemagnis expleta; medium quasi tenet inter Aloën lucidam et hepaticam, coloris est obscure fusci, minus splendens quam Aloë lucida, vix in margine acuta diaphana, odoris fortioris nauseoso-crocei, trita pulverem praebens sordide fuscescenti-luteum; in aqua frigida minori ex parte solubilis quam Aloë lucida, in spiritu vini fere ex toto. — *Part.* Aloës *const.:* Principium extractivum amarum drasticum et Resina. — *Vis:* drastica et irritans.

Aloë nigro-fusca, opaca, tenax, quisquiliis contaminata, odore et sapore alieno, quae ne in spiritu vini quidem vel maximam partem, in aqua frigida vero ne dimidia quidem ex parte solubilis sit, repudianda. Eandem ob causam Aloë caballina quae dicitur (Pferde-Aloe) in morbis animalium rejicienda, quippe quae nihil aliud est, quam extractum impurum foliorum variarum Aloës specierum, post prae-

parationem Aloës purioris obtentum, haud raro arena aliisque quisquiliis inquinatum.

Usus: In substantia, forma pilularum, raro in pulvere nisi externe, in clysmate, cet. — *Praep.*: Extractum, Tinctura. Aliis quoque compluribus additur compositionibus.

ALUMEN CRUDUM. Gemeiner Alaun. *Alun.*

Synon.: Kali (vel Ammoniacum) aluminoso-sulphuricum, Sulphas Aluminæ et Potassæ (vel Ammoniaci) acidulus.

Sal duplex in officinis propriis paratur; crystallos format decolores, limpidas regulariter octaëdricas; plerumque vero occurrit in frustis crystallinis columnas articulatas imitantibus; sapore subdulci, austero-styptico; aëri expositum subfatiscens; igne liquescens, tunc intumescens et in massam albissimam levissimam, spongiosam abiens. In aqua frigida partibus 14, calore autem adjuvante, in quavis fere aquæ quantitate solubile. — *Part. const.:* Aluminæ 3, Kali (vel Ammoniaci) 1 Acidi sulphurici 4, et Aquæ 24 p. M. — *Vis:* styptica.

Ferro ne inquinatum sit oportet, quod detegitur ope tincturae gallarum colorem producentis violaceum seu coeruleo-nigrum et kali ferroborussici praecipitatum gignentis intense coeruleum; cuprum si adest eodem reagente colore fusco-rubro, ut etiam addito liquore ammoniaci caustici coeruleo colore se manifestat.

Usus: In pulvere, solutione. — *Praep.:* Alumen ustum, saccharatum; multas quoque compositiones, ad usum externum praecipue, ingreditur.

ALUMEN ROMANUM. Römischer Alaun. *Alun Romain.* E rocca aluminis, Tolfæ in Italia præcipue obvia, paratur; in crystallis vel frustulis minoribus disjunctis occurrit; colore gaudet roseo, ab adhærente ferro oxydato orto. In aqua vero solutum et filtratum est liquor limpidus, decolor, ferri penitus expers, omniaque ferri vestigia insolubilia restant. — Ceterum *Part. const.*, *Vis* et *Usus:* præcedentis.

ALUMEN PLUMOSUM. Federalaun, Federweiß. Asbest. *Amiante.* In montibus primitivis et secundariis, præsertim in serpentino occurrens. Substantia alba, albido-grisea, viridescens, nitore sericeo, e fibris capillaribus, plus minus elastice flexibilibus et parum cohærentibus, constans, vel frustula densiora e fibris fragilibus, magis cohærentibus formans; tactu mollis, p. sp. 1,50-2,38; insipida, in aqua et acidis insolubilis, igni moderato exposita non funditur. — *Part. const. praev.:* Silicia, Magnesia et Calcaria. (Mineris quæ Hornblende dicuntur, adnumerandum.) — *Vis:* mechanice irritans. — *Usus:* Olim interne et externe irritandi causa adhibebatur. In arte veterinaria adhuc usurpatur, sed superfluum. — Non confundendum cum gypso fibroso.

AMBRA. Ambarum. Amber. *Ambre.* Concrementum in intestinis *Physeteris macrocephali* L. animalis ingentis pisciformis, e cl. Mammalium, ord. et fam. Cetarum, oceanum præcipue meridionalem incolentis, pariterque ad litora maritima Indiæ orientalis, Africæ et Americæ meridionalis, rupibus adhærens, reperitur. Excrementum esse creditur morbosum animalis supra memorati. — Occurrit in frustis subrotundis, seu massis irregularibus, variæ magnitudinis, unciae ad librarum plurium pondere. Color variabilis, externe plerumque strato fusco-nigro, quasi cortice obvoluta, Ambra nigra, Schwarze Amber, *Ambre noire* quae dicitur, intus grisea, plus minus nigrescens, vel albicans, punctis et striis luteo-albidis conspersa, Ambra grisea, Graue Amber, *Ambre gris*, quae dicitur, opaca, aqua levior, ceræ consistentia, tactu pinguoso-resinosa, sapore fere nullo, odore debili grato, moschum et benzoin simulque tabacum referente; leni calore, ceræ instar, liquescens, inflammabilis, incensa cum flamma splendente deflagrans; in aqua et liquore kali caustici insolubilis, sed in alcohole vini magisque etiam in aethere penitus fere solubilis, soluta odore fragrantiore amoenissime-aromatico gaudens, solutioque alcoholica post aliquod tempus crystallos minimas capillares, albido-sericeas *Adipis Ambrae* demittit, unde maxima ex parte Ambra ipsa constat. — *Vis*: excitans, analeptica. — *Usus:* In pulvere, cum saccharo trita. — *Praep.:* Essentiæ variæ; additur Balsamo Vitæ Hofmanni, aliisque compositionibus aromaticis.— Ambra nigra (v. supra) odoris magis ingrati, itemque Ambra resinis aromaticis, moscho, glumis orizæ cet. adulterata, vel artificialis, rejicienda. Genuina vero Ambra grisea ex proprietatibus supra memoratis facile cognosci potest.

AMBRA LIQUIDA, Liquidambra. Flüssiger Amber. *Ambre liquide.* — Balsamum vel sponte vel vulnerato ex trunco *Liquidambaris styraciflua* stillans (v. Styrax liquida), limpidum, colore flavo-fusco, consistentia plerumque balsami indic. nigri (p. 19.) vel spissiori, odore suavi aromatico ac sapore acri-balsamico. — *Part. const. Vis* et *Usus*: Styracis liquidæ. — Rarissime hodie genuina in commercio prostat.

AMMONIACUM. Ammoniak-Gummiharz. *Gomme Ammoniaque.*

Synon.: **Gummi Ammoniacum.**

Succus lacteus, aëre induratus, *Korematis armeniaci* Don, e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Umbelliferarum, Asiae (Persiae, Armeniae) cet. incolae. — Distinguuntur: 1) Ammoniacum electum seu in granis. Auserlesenes oder Körner-Ammoniak. Lacrymæ subrotundæ vel irregulares, granorum milii ad pisi magnitudinem, discretae vel in glebis parum conglutinatæ, externe pallide rubello-fusco-vel albido-flavescentes, opacæ vel parum diaphanae, intus albido-splendentes; 2) Ammoniacum in massis vel placentis seu panibus. Ammoniak in Kuchen. Massæ seu glebæ variæ magnitudinis, colore obscuriori, brunneo, magis cohærentes, granulis albidis amygdalinis, fructibusque plantae cujusdam umbelliferae intermixtæ. — In frigore Ammoniacum est durum et fragile, temperatura ordinaria aliquantulum tenax, digitis tractatum mollescens; saporis nauseoso-amari, odorisque gravis, suballiacei; in aqua ex parte tantum solubile, quacum mixtum lac præbet; in alcohole vini ad $^3/_4$ partes solubile. - *Part. const. praev.*: Resina, Gummi et Oleum æthereum. — *Vis:* resolvens, expectorans, irritans, emolliens.

Optimum in granis; bonum quoque in massis laete fuscis, quibus multa grana amygdalina seu ungues, qui dicuntur, inhaerent. Massae autem nigro-fuscae, molliores, admodum tenaces, quisquiliis extraneis intermixtae, rejiciendae.

Usus: Interne, in pulvere, pilulis, mixturis, eligatur Ammoniacum in granis; externe ad emplastra et cataplasmata adhibetur, quem in finem etiam Ammoniacum in massis admittitur. — *Praep.:* Lac, Syrupus, Tinctura, Pilulae, Emplastrum. Additur multis aliis quoque compositionibus.

AMYGDALAE. Mandeln. *Amandes.*

Amygdali communis L., e cl. Icosandria, ord. Monogynia, fam. Rosacearum, arboris Orientis, Europæ meridionalis, apud nos cultae, Semina seu Nuclei ovato-oblongi, compressi, unciam circiter longi, sulcato-striati, membrana cinnamomea, subscabra, pulverulenta vestiti, intus albi pinguosi. — Distinguendae:

1) Amygdalae amarae, Bittere Mandeln, *Amandes amères*, saporis peramari, odoris fere nullius, digitis autem cum paululo aquæ tritæ, odorem gratum proprium æthereum spargentes; cum aqua contusae lac seu emulsionem praebent, quae destillata, oleum exhibet æthereum, acidum borussicum continens. *Part. const. praev.:* Oleum pingue mitissimum et Principia sui

generis cum aqua oleum aethereum et acidum borussicum formantia, porro Principium proprium amarum. — *Vis:* narcotica, toxica.

2) **Amygdalae dulces**, Süße Mandeln, *Amandes douces*, antecedentibus sæpius paulo majores, saporis grate oleoso-dulci, odoris fere nullius, cum aqua contusa emulsionem mitem grate dulciusculam praebentes. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue mitissimum. Principiis autem modo memoratis carentes. — *Vis:* demulcens, nutriens.

Sint Amygdalae recentes, siccae, maturae, turgidae, integrae, intus albae; odoris autem et saporis rancidi, uti et ab insectis erosae vel maculosae, rejiciendae.

Usus: Ad emulsiones — *Praep.:* Oleum pingue, Aqua destillata (ex amaris), Syrupus, Pasta, Farina (Phyllides amarae), Furfur. Multas alias quoque compositiones ingrediuntur.

AMYLUM. Stärkmehl. *Amidon.*

Synon.: Faecula amylacea.

Paratur e cerealium seminibus, præsertim variarum *Tritici* specierum, e cl. Triandria, ord. Digynia, fam. Graminearum, plantarum annuarum, notissimarum, cultarum, e tuberibus *Solani tuberosi* (v. rad.) cet. — Pulvis albissimus, subtilissimus, dum premitur stridens, ex globulis minutissimis pellucidis constans; insipidus et inodorus, aqua frigida et spiritu vini haud solubilis, cum aqua calida autem pultem gelatinosam diaphanam præbens; addito iodo colorem cœruleum assumens.—Est Principium organicum sui generis azoto carens. — *Vis:* demulcens, glutinans, analeptica, nutriens.

Usus: Ad clysmata, cataplasmata; varios pulveres compositos ingreditur.

ANACARDIA. Elephantenläuse. *Anacardes, Acajoux.* — Nuces receptaculo carnoso insidentes. Distinguuntur: 1) **Anacardia occidentalia**, Westindische Elephantenläuse, fructus *Anacardii occidentalis* L., e cl. Enneandria, ord. Monogynia, fam. Terebinthacearum, arboris in India occidentali et orientali crescentis. Sunt nuces compresse-reniformes, unciam circiter longæ, fuscæ, nitentes. 2) **Anacardia orientalia**. Orientalische Elephantenläuse. Fructus *Semecarpi Anacardii* L., e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. prioris, arboris Indiae orientalis. Sunt nuces compresse-subcordatæ, semiunciam et ultra longæ, nigrofuscæ, nitentes, receptaculo sicco corrugato, pedunculum crassum mentiente, insidentes. — Ambo genera succum includunt rubro-nigrum, acerrimum causticum, et nucleum mite oleosum, edulem. — *Vis:* succi caustica; ad delendos clavos pedum et verrucas adhibetur; nucleus nutriendi ergo comeditur. Anacardia etiam amuleti instar contra ophthalmiam, dolores dentium, cet. portari solent. — *Praep.:* Mel. — Hodie exoleverunt.

ANGUILLA FLUVIATILIS, *Muraena Anguilla* L. Fluß-Aal gemeiner Aal. *Anguille.* — Piscis fluviatilis et marinus notissimus, ex ord. Peropterygiorum, carne sapidissima, pinguedine turgente. — Olim ut medicamentum adhibebatur. — Hodie exolevit.

ANIME, **Gummi seu Resina Anime, Cancamon.** Anime- oder Kourbarilharz. *Gomme* ou *Resine Animé.* Resina, quam ex *Hymenaea Courbaril* L., e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Leguminosarum, arboris in America meridionali crescentis, exsudare ferunt. Occurrit in frustulis irregularibus vel in glebis majoribus, plus minus diaphanis, colore flavido, rubello, pulvere albido, digitis adhærente, passim conspersis, et particulis opacis, albis intermixtis, friabilibus, odore haud ingrato balsamico, sapore resinoso, subirritante. Anime leni calore liquescit odoremque tum emittit fortiorem, olibani similem; in aqua haud solubilis, in alcohole frigido partim tantum, calore adjuvante autem plane solubilis. — *Part. const.:* Resina, duorum generum, et Oleum æthereum. — *Vis:* nervina, irritans, resolvens. — *Usus:* Externe, ad suffitus; emplastris quoque additur. — Praeter hanc Animen occidentalem, etiam **Anime orientalis**, seu **aethiopica** innotuit, a *Vateria indica* L., e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Guttiferarum, arboris Indiae orientalis, derivata: in glebis irregularibus, variae magnitudinis occurrens; videtur e resinis duabus distinctis, inter

se connexis, constare, altera flava pellucida, altera albida opaca; odore suaveolente. Ne confundatur Anime cum Copal vel Tacahamaca.

ANTHERAE seu CROCUS LILIORUM ALBORUM. Weiße Lilien-Staubbeutel *Anthère de Lis blanc.* — (v. Flores). — Corpora oblonga, 3—4 lineas longa, saturate lutea, pulvere concolore utrinque conspersa, inodora et insipida. — Hodie aboleta.

ANTHOPHYLLI. Mutternägelein. *Clous matrices, Mères de Girofles.* — *Caryophylli aromatici* L., *Myrti Caryophylli* SPR. (v. caryophylli) Fructus, plerumque immaturi, magnitudine glandis minoris et infra, oblongo-ovati, calyce coronati, colore caryophyllorum; nucleum includentes fusco-nigrum, pingue nitentem, ex lobis duobus irregularibus, sese invicem involventibus, constantem; sapore et odore caryophyllorum, sed minus aromatico. — Easdem habent *partes constituentes.* — Hodie fere exoleverunt.

ANTIMONIUM CRUDUM. Roher Spießglanz. *Antimoine cru.*

Synon.: Stibium sulphuratum nigrum, Sulphuretum Stibii nativum. Schwefelspießglanz.

Minera metallica, in montibus primitivis et transitivis, Germaniæ, Galliæ, Hungariæ præsertim obvia. Eliquatione a matrice purgatur. — Affertur in placentis vel massis conicis crystallinis, e crystallis acicularibus, radiatis vel fasciculatis constantibus; colore nigro-griseo, splendore metallico, p. sp. 4,6. Antimonium crudum est friabile, tritura inquinans, insipidum, insolubile in aqua et alcohole; leni igne funditur, in vasis clausis non volatile, igne aperto autem fumum album odoremque sulphurosum edens. — *Part. const.:* Sulphuris 2 et Stibii 3 p. M. — *Vis:* diaphoretica, emetica.

Sit massa crystallina splendens, non terrea nigra; calore odorem sulphurosum, neutiquam alliaceum spargens; in acido salis concentrato plane dissolubilis; dissolutio concentrata refrigerata clara, plane non turbida, diluta et filtrata decolor; addito liquore kali ferro-borussici nec colorem coeruleum nec fusco-rubrum producat. Cum duplo nitri detonata residuum album relinquat.

Usus: Interne, in pulvere subtilissimo, pilulis, electuariis. — *Praep.:* Aethiops, Morsuli, Pilulae, Pulvis Equorum, et ad multa alia Antimonii praeparata adhibetur.

Olim etiam Antimonium crudum nativum nomine ANTIMONII MINERA, Spießglaserz, *Mine d'Antimoine*, in usum vocabatur. Eligebatur crystallisatum vel in massis crystallinis, splendore metallico, et mechanice ab adhaerente terra metallisque alienis purgatum. Praecipue ad parandum Antimonium diaphoreticum usurpabatur, quippe quod eo saepius albidius fit.

AQUA. Wasser. *Eau.*

E fontibus scaturiens, Aqua fontana, Brunnenwasser, *Eau de puits*, et rivulos fluviosque constituens, Aqua fluviatilis, Flußwasser, *Eau de rivière*, vel ex aëre praecipitata, Aqua pluvialis, Regenwasser, *Eau pluviale*, nominatur. — Liquor notissimus, limpidus, indifferentissimus, temperatura infra 0 R. in corpus solidum, glaciem, temperatura autem supra 80° R. et pressione atmosphæræ ordinaria in vapores invisibiles transiens. — Constat ex Oxygenii 1 et Hydrogenii 2 p. M. — *Vis:* attenuans.

Sit plane decolor, insipida, et inodora; pigmenta reagentia non alteret, cum aqua calcis, acido oxalico, argento nitrico, baryta muriatica praecipitatum aut nullum aut fere nullum praebeat, et leni calore evaporata penitus fere avolet.

Usus: Externe, ad fomentationes, balnea; vapores cum aëre inhalantur; ad solutiones, decocta infusaque adhibetur, nec minus destillationes cet., ac saepissime menstrui vices supplet.

AQUA MARINA. Meerwasser. Seewasser. *Eau marine.* Aqua limpida, sapore ingrato salso-amaro. — Præcipue Natrum muriaticum, Magnesiam muriaticam et sulphuricam, Calcem sulphuricum continet. Ceterum et Alcalium hydriodicorum et hydrobromicorum plerumque vel tantillum ei insunt. Ut resolvens adhibetur, pro balneis cet.

AQUAE MINÈRALES. Mineralwasser. *Eaux minérales.* — Multivariae sunt compositionis. Distinguuntur praecipue hae:

AQUAE ACIDULAE CARBONICO-SALINAE. Kohlensaure Mineralwasser, Sauerwasser, Säuerlinge. *Eaux acidules gazeuses.* — Huc pertinent *Aqua *Rippoldsauensis, Deinacensis, Goeppingensis, Selterana, Fachingensis, Bilinensis, Schwollenensis, Geilnauensis, Kissingensis, Schwalheimensis, Obersalzbrunnensis, Liebwerdana, Sti. Bernardini, Belvederensis, Brehlauerana, Rohitschensis, Provincialis (Eau de Provins)* et plures aliæ. — Aquæ hæ sunt limpidæ, effusæ effervescentes, odore grate acidulo pungente, saporeque simili refrigerante, plus minus salso. — Magna Acidi carbonici quantitate abundant; ceterum Alcalia carbonica, muriatica, passimque sulphurica plus minus et Ferri vestigia continent.

AQUAE ACIDULAE CARBONICO-FERROSAE. Eisenhaltige Säuerlinge, Stahlwasser. *Eaux martiales.* E. gr. *Aqua *Griesbachiana, *Antogastensis. *Petersthalensis, Pyrmontana, Driburgensis, Schwalbacensis, Spaadana, Kannstadensis, Dinnkoldensis, Imnauensis, Neuschwalheimensis, Hofgeismarensis, Brückenauensis, Kissingensis, Bocklatensis, Toennisteinensis, Egerana, Lienzlmühlerana, Reinerzensis, Koenigswarthensis, Sulzensis, Krznicana, Cudowana, Malmedyana* et a. pl. — Aquae priorum quoad pelluciditatem, odorem et saporem simillimae, simul sapore ferroso styptico gaudent. Aëri expositae sedimentum ochraceum deponunt. — Præter partes memoratas plus minus Ferri carbonici continent.

AQUAE HYDROSULPHURATAE, hydrothionicae, hepaticae. Schwefelwasser. *Eaux sulphureuses.* — E gr. *Aqua *Freiersbacensis, *Langenbrückensis, * Mingolsheimensis, Bollensis, Weilbacensis, Nendorfensis, Eilsenensis, Nordheimensis, Niersteinensis, Aquisgranensis, Neumarktensis, Wipfeldensis, Berkana, Langensalzensis, Dobberana, Badensis, Austriae et Helvetiae, Bexensis, Schinznacensis, Kreuthensis, Warmbrunnensis, Lubiensis;* Aquæ gallice quas vocant *Eau d'Enghien, de St. Amand, Courmayeur, de Barèges,* e. pl. a. — Odore gaudent et sapore hydrosulphurato. Aëri expositæ sedimentum plerumque deponunt albidum, sulphur continens. — Acido hydrothionico simulque carbonico plus minus abundant.

AQUAE SALINAE AMARAE. Bitterwasser. *Eaux salines amères.* Huc pertinent: *Aqua Sedlitzensis, Seidschützensis, Püllnaensis, Epsomensis,* cet. — Aquæ istæ sapore gaudent ingrate amaro-salso. — Præcipue continent Magnesiam sulphuricam, Natrum sulphuricum; porro Alcalia muriatica, carbonica, et plus minus Acidi carbonici liberi.

AQUAE SALINAE ALCALINAE. Alkalische Mineralwasser. *Eaux salines alcalines.* — Huc pertinent: *Aqua Embsensis, Toeplitzensis, Heilbrunnensis, Thermarum Carolinarum. Eau d'Aix, de Vichy* et aliæ. — In aquis his, sapore alcalino et plus minus salso, Natrum carbonicum prævalet; ceterum et alia Alcalia carbonica, sulphurica et muriatica, nec minus Acidi carbonici plus minus continent.

Raro Aquæ minerales in officinis pharmaceuticis in promtu habentur; plerumque a mercatoribus propriis venduntur. — Sint aquæ sinceræ, odoris saporisque fortis et puri, pro natura partium constituentium. Aquæ turbidæ, odoris et saporis fatui aut alieni omnino repudiandæ. — Crebre ut remedium adhibentur.

AQUAE MURIATICAE. Soolwasser. *Eaux muriatiques.* — Nativæ sunt Salis culinaris in Aqua solutiones, e fontibus salinis scaturientes; sapore plus minus salso. — Præter Natrum muriaticum alia quoque Alcalia muriatica et sulphurica passimque hydriodica et hydrobromica continent. — Externe præsertim pro lotionibus cet. adhibentur.

ARANEA DOMESTICA L., *Tegeneria domestica* WALK. Hausspinne. *Araignée domestique.* Insectum notissimum ex ord. Apterorum, fam. Aranearum. — Araneae ipsæ earumque Telæ tam interne quam externe contra febres intermittentes commendantur. *Telae* etiam ad sanguinem sistendum vulneribus applicantur.

ARANEA (*Tegeneria*) MEDICINALIS. Medizinische Spinne. *Araignée médicinale.* In America septentrionali occurrens; ut vesicans adhibetur æque ac cantharides.

ARAROBA. Pulvis grossus subfuscus, inodorus et insipidus plantæ adhuc incognitæ, qui e Brasilia advehitur. Externe contra morbos cutaneos adhibetur.

ARENA. Sand. *Sable.* Pulvis plus minus grossus vel subtilis *Lapidis Quarzii,* ubique fere obvius, colore albo vel plus minus rubello, tactu asper, durus. — Est Silicia plerumque cum aliis terris, oxydo ferri, cet. plus minus mixta. — Arena calefacta olim externe ut medicamentum adhibebatur. — Pharmacopolis ad balnea cet. inservit.

ARGENTUM. Silber. *Argent.*

Synon.: Luna.

E mineris argenti in officinis metallariis obtinetur. — Metallum nobile, splendididissimum, colore albo, vix flavescente, p. sp. 10,474, durum, elasticum, malleo tractabile, ductilissimum; in lamellas tenuissimas ductum, Argentum foliatum, Blattsilber, *Argent en feuilles*, vocatur. Igne funditur fortiori; p. M. 1351,607. Via sicca non oxydabile, excepto, si aëris aditu funditur, tunc oxygenium attrahit, quod indurescendo emittit, in acido nitri autem facile dissolubile; solutio addito acido vel sale quodam muriatico in floccos caseosos albos, luce nigrescentes, præcipitatur.

Sit penitus dissolubile in aqua forti, solutio decolor, addito spiritu salis ammoniaci caustici in excessu nec turbetur, nec colorem coeruleum assumat, et addito acido muriatico omne metallum praecipitetur.

Usus: Argentum foliatum ad pilulas obducendas, variisque pulveribus compositis admiscetur. — *Praep.:* Lapis infernalis, (Argentum nitricum, sulphuricum, aceticum, ut reagentia.)

ARMENIACAE, Morilli. Abrikosen *Abricots.* — *Pruni armeniacae* L., *Armeniacae vulgaris* PERS., (Cl. cet. v. Cerasa) arboris notissimæ, Armenia oriundae, Fructus. Drupæ speciosæ, subglobosæ, plus minus applanatæ, hinc sulcatæ, pubescentes, colore plerumque flavo et rubro, odore suavi, pulpa succulenta, lutea, gratissima, acidulo-dulci. Multae sunt varietates. — *Part. const. praev.:* Saccharum et Acida vegetabilia. — *Vis:* refrigerans, nutriens. — *Usus:* diæteticus. — *Praep.:* Roob, Marmelade.

ARROW-ROOT. Pfeilwurzelstärkmehl. Fæcula radicis *Marantae arundinaceae* W. *indicae* Juss., *Cannae coccineae* PERS. cet., e cl. Monandria, ord. Monogynia; fam. Scitaminearum, plantarum perennium Americæ meridionalis et utriusque Indiæ. — Pulvis albissimus, iisdem gaudens proprietatibus, quibus tritici amylum (p. 6.), sed granula paulo majora, medium quasi tenent inter solani tuberosi ac tritici amylum. — Similis faecula, *Ticor*, quae vocatur, et in India orientali obtinetur, e radicibus *Curcumae angustifoliae* et *leucorrhizae* ROXB., ejusdem uti praecedentis cl. ord. et fam. itemque *Taccae pinnatifidae* FORST., e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Aristolochiearum, plantæ perennis moluccensium et oceani pacifici insularum. — Præscribitur ægrotis caducis, reconvalescentibus, nutriendi ergo.

† ARSENICUM ALBUM. Weißer Arsenik. *Arsenic blanc.*

Synon.: Acidum arsenicosum, Oxydum Arsenici album. Arsenichte Säure, Arsenikblumen, Giftmehl, Hüttenrauch.

Paratur in officinis metallariis tostione et sublimatione minerarum arsenicalium, quæ sublimatio purgandi ergo iteranda. — Massa concreta pellucida, vitro similis, quæ tempore opaca fit et alba, porcellanum æmulans; crystallosque formans regulariter octaëdricas et inde derivandas; p. sp. 3,7, trituratione pulverem albissimam præbens; odoris expers, saporis debilissimi dulciusculi; colorem cœruleum laccæ musicæ vix in rubrum mutat. Calore obscure rubro-candente volatile est, et nisi reducitur, fumum spargit album inodorum, sed carbonibus candentibus inspersum, cum odore penetrante alliaceo in auras abit. In aquae frigida ægre solvitur, in aquae fervidae autem 10 partibus diuturnæ agitationis auxilio solubile, in spiritu vini vix. — *Part.*

const.: Arsenici 2, et Oxygenii 3 p. M. — *Vis:* maxime deleteria! acerrima.

Pulvis albus, calore candente penitus avolet; et plane solubilis sit in aqua fervida.

Usus: Interne cautissime in dosibus minutissimis praescribendum, in solutione aquosa plerumque cum kali carbonico combinatum; externe, in pulvere, unguento. — *Praep.:* Liquor *Fowleri,* Pulveres, Pilulae arsenicales cet.

† ARSENICUM CITRINUM seu FLAVUM, Auripigmentum, Arsenicum sulphuratum citrinum, Sulphuretum Arsenici citrinum. Gelbes Schwefel-Arsenik; Operment. *Arsenic jaune, Orpiment.* — Reperitur nativum in montibus recentissimæ formationis, primitivisque cum aliis mineris arsenicalibus. — Est massa nonnunquam crystallina, plerumque reniformis, uviformis, amorpha, citrina vel aurantiaca, subdiaphana, vel opaca, nitens vel splendens, insipida, p. sp. 3, 48. Leni calore funditur, et sublime agitur, in aqua haud, sed in liquoribus kali et natri uti et ammoniaci caustici facile solubile. — *Part. const.:* Arsenici 2, Sulphuris 3 p. M. — *Vis:* toxica, sed multo mitior arsenico albo. — Distinguendum ab hoc nativo Arsenicum citrinum artificiale, quod sublimatione mixtionis arsenici albi et sulphuris in officinis metallariis paratur, quoque coloris plerumque pallidioris et inæqualis, strataque diversa ostentans. — Miscella est Arsenici sulphurati multo cum Arsenico albo. Hinc vires multo noxiores. — *Usus:* Pro medicamento rarissime. — *Praep.:* Liquor probatorius *Wirtembergicus.*

† ARSENICUM RUBRUM, Realgar, Sandaraca. Rothes Schwefel-Arsenik, rothes Rauschgelb. *Arsenic rouge.* — Nativum occurrit uti præcedens, plerumque autem in montibus remotioris ævi vel vulcaniis, et artificiale obtinetur sublimatione miscellæ pyritæ arsenici et pyritæ ferri. — Nativum reperitur in crystallis oblique rhombicis, acicularibus, capillaribusque, massis crystallinis et amorphis, plus minus diaphanis, pinguiter nitentibus, colore aurantiaco-rubro. Artificiale est massa compacta, brunneo-rubra, p. sp. 3, 33. — Constat ex Arsenici et Sulphuris aequalibus p. M. Ceterum Arsenicum rubrum præcedentis habet proprietates. — *Usus:* idem.

ARUNDO CALAMAGROSTIS L., *Calamagrostis lanceolata* ROTH. Wiesenrohr, Reitgras. (Fl. Bad. I. 267. — Cl. cet. v. Amylum.) Gramen perenne in pratis paludosis ad fossarum margines passim crescens. — Radice repente, culmo simplici vel basi subramoso, ligula glabra brevi, panicula diffusa, spiculis unifloris, glumis calycinis inæqualibus, lanceolatis, acuminatis, violaceis, subscabris, corollam tertia parte superantibus, arista terminali brevissima, pilis corollam ambientibus, hac longioribus, calyce autem brevioribus, caryopside nuda sulcata. — *Vis:* diuretica. — Nuper planta hæc contra hydropem commendata est.

ASA FOETIDA. Stinkasant. *Asa foetida.*

Synon.: Gummi Asæ seu Assæ foetidæ, Stercus diaboli. Teufelsdreck.

Succus lacteus et aëre induratus, qui obtinetur e radice resecta *Ferulae Asae foetidae* L. (teste KAEMPFERO), et *Ferulae persicae* W. (teste SZOWITZ), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Umbelliferarum, plantæ perennis Persiæ. Grana irregularia inconnexa, Asa foetida in granis, Stinkasant in Körnern, vel glebæ amorphæ ex granis agglutinatis constantes, Asa foetida in massis, Stinkasant in Massen. Color recentissimæ Asæ fœtidæ albus, aëris aditu successive in rubescentem, violaceum et fuscum abiens, sed frustula recens fracta intus albida, simulque subdiaphana, pinguiter nitentia, ita ut glebæ diffractæ plerumque ex particulis amygdaloideis constent. Cerae consistentia, digitis tractata mollescens, glutinosa, tenax, in frigore tamen dura et friabilis fit, et in pulverem redigi potest. Odor gravissimus, penetrantissimus alliaceus, diu adhærens, sapor nauseoso-acer. Cum aqua lac præbens, in alcohole vini ultra dimidiam partem solubilis.—

Part. const. praev.: Resina, Gummi et Oleum æthereum. — *Vis:* antispasmodica, antihysterica, resolvens, anthelminthica.

Rejicienda Asa foetida fusco-nigrescens, odore debiliori, alieno, stipitibus aliisque quisquiliis inquinata.

Usus: Interne in pilulis, bolis, clysmate; externe admiscetur emplastris, unguentis. — *Praep.:* Tinctura, Aqua, Pilulae, Emplastrum. Multis aliis quoque additur compositionibus.

ASPHALTUM, Bitumen judaicum. Asphalt, Judenpech. *Asphalte.* Bitumen solidum, in mari mortuo Judaeae aliisque Asiæ et insularum quarumdam Archipelagi occidentalis lacubus bituminiferis innatans, uti et in fodinis aeris, et in quibusdam montibus calcareis et arenaceis occurrens. Frusta globosa uniformia, stalactidea, vel amorpha, compacta, fusca, nitentia, friabilia, fractura conchoidea splendente, p. sp. 1,1 — 1,23. Asphaltum insipidum, leni calore liquescens et odorem spargens ingrate-bituminosum, ignique admotum flamma lucida deflagrans. In aqua haud solubile, ægre in spiritu vini. — *Vis:* vulneraria, balsamica, calefaciens. — *Usus:* Ad suffitus et ad parandum Oleum Asphalti. Emplastris quoque additur et unguentis.

AURANTIA. Pomeranzen. *Oranges.*

Synon.: Poma (Mala, Fructus) Aurantiorum.

Citri Aurantii L., e cl. Polyadelphia, ord. Icosandria, fam. Aurantiacearum, arboris Asiæ et Africæ borealis, quæ in Europa meridionali et India occidentali, apud nos in plantariis, colitur. Fructus globosi, usque ad pugni et ultra magnitudinem, maturi externe aurantiaci, intus albo-flavescentes, vel rubelli, 10–12 loculares, pulpa succulenta, seminibus ovato-rotundatis, subcompressis. Innummeræ sunt varietates; præcipue distinguenda: Aurantia dulcia, Süße Pomeranzen, carne gratissima refrigerante, acidulo-dulci, et Aurantia amara, Bittere Pomeranzen, carne amaro-subdulci. — Odorem spargunt gratissimum aromaticum. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium extractivum amarum, Saccharum et Acidum citricum. — *Vis:* refrigerans, nutriens et excitans, stomachica.

Usus: diaeteticus. — *Praep.:* Elaeosaccharum; Cortex quoque praecipue adhibetur.

AURANTIA IMMATURA. Unreife Pomeranzen. *Oranges vertes.*

Synon.: Fructus virides seu immaturi vel Mala, Poma immatura Aurantiorum, Aurantia Curassavica.

Colliguntur arboris praecedentis Fructus, quum pisi ad cerasi magnitudinem adtigerunt, et siccantur. Rugosi tunc sunt et duri, intus densi, coloris externe obscure fusco-vel griseo-viridis, intus læte fusci, saporis amari, aromatici uti et odoris. — *Part. const. praev.:* Oleum æthereum, Principium extractivum amarum. — *Vis:* excitans, analeptica, stomachica.

Usus: In infuso, raro in substantia pro medicamento praescribuntur. — *Praep.:* Tinctura, Extractum.

AURUM. Gold. *Or.*

Synon.: Sol, Rex metallorum.

Plerumque nativum, sæpius cum argento aliisque metal-

lis junctum occurrens, in officinis metallariis purgatur. — Metallum nobile splendidissimum, colore luteo; p. sp. 19,4, durum, sed cupro mollius, tenax, omnium metallorum ductilissimum; in lamellas tenuissimas ductum, Aurum foliatum, Blattgold, *Or en feuilles,* vocatur. Fixum est, non nisi vehementissimo igne funditur, aëri expositum temperatura qualibet immutabile, in aqua regis solummodo et chloro aquoso dissolubile est; p. M. 1243,013. — *Vis:* antisyphilitica, antiscrophulosa.

Sit indissolubile in omnibus acidis, excepta aqua regis, in qua penitus dissolubile; solutio, addito liquore ammoniaci caustici in excessu, praecipitatum praebeat fusco-flavum, fulminans, sed colore non tingatur coeruleo.

Usus: Auri foliati idem qui argenti foliati (p. 9.). — *Praep.:* Aurum pulveratum, oxydatum, fulminans, muriaticum, natronato-muriaticum. Additur aliis quoque compositionibus.

AVENA. Hafer. *Avoine.*

Avenae sativae, L., *orientalis* Schreb., aliarumque specierum Avenæ, (Fl. Bad. I. p. 252. 255. — Cl. v. Amylum), plantarum annuarum cerealium, ubique cultarum, Caryopsis, plerumque tunicata, aristaque articulata dorsali prædita, oblonge acuminata, colore viridi vel albido-flavescente, vel fusco, Avena cruda, Roher Hafer; glumis privatum, semen oblongum, sulco longitudinali exaratum, pallide fusco-rubellum, farinam albidam includens; sapore farinoso amariusculo; Avena excorticata, Grutum Avenae, Geschälter Hafer. — *Part. const. praev.:* Amylum, Saccharum et Principium amarum, Gummi, Materia glutinosa. — *Vis:* nutriens, analeptica, demulcens.

Usus: diaeteticus, in potione. — *Praep.:* Farina.

AXUNGIA PORCI. Schweinefett. *Graisse de porc.*

Synon.: Adeps suillus, Arvina.

Pinguedo abdominalis *Suis Scrophae* L., e cl. Mammalium, ord. et fam. Multungularum, animalis notissimi, eliquatione, lenis caloris ope, partibus membranaceo-cellulosis privata et aqua bene elota. Alba est, unguenti consitentia, granulosa, aqua levior, fere inodora et insipida, calore circiter 30° R. liquescens. — *Part. const.:* Elaini circiter 62 et Stearini 38. — *Vis:* emolliens, leniens.

Sit nivea, homogenea, consistentia non nimis molli oleosa, minimeque odoris ac saporis rancidi

Usus: Ad unguenta et emplastra adhibetur, eorumque basin saepe constituit.

Praeter hanc olim multorum aliorum animalium Axungia in usu fuit, ut:

AXUNGIA ANATIS. Entenschmalz. *Graisse de Canard.* Ab *Anate Boschate* L., ave notissima, ex ordine Natatorum et familia Anserum proveniens. — Adeps albo-flavescens, tenerrimus et mitissimus, consistentia axungiæ porci.

AXUNGIA ANGUILLAE. Aalfett. *Graisse d'Anguille.* Ab *Anguilla fluviatili, Muraena Anguilla* (v. p. 6.) Olei est consitentiæ, odoris et saporis peculiaris piscium.

AXUNGIA ANSERIS. Gänseschmalz. *Graisse d'Oie.* Ab *Ansere cinereo*, *Anate Ansere* L., ave notissima (Ord. et fam. v. Ax. Anatis). Axungiæ anatis simillima.

AXUNGIA AQUILAE. Adlerfett. *Graisse d'Aigle.* Ab *Aquila* (*Falcone*) *fulva*, ex ord. Raptatorum, fam. Accipitrorum, ave rapaci, robustissima fortissima, rupes montium altiorum incolente.

AXUNGIA ARDEAE. Reiherfett. *Graisse de Héron.* Ab *Ardea cinerea*, ex ord. Grallarum, fam. Herodiorum, ave ad paludes et fluvios obvia.

AXUNGIA ASCHIAE. Aeschenfett. *Graisse d'Ombre.* A *Salmone Thymallo* L., *Corregone Thymallo* Arted., pisce marino ex ord. Gasteropterygiorum, fam. Leptocephalorum, vere in fluvios rivulosque adscendente. — Adeps olei unguinosi instar fluidus, colore flavicante, rubello; insipidus, odore debili piscino. — Contra ulcuscula oculorum et aurium commendabatur.

AXUNGIA CANIS. Hundefett. *Graisse de Chien.* A *Cane familiari*, ex ord. Ferarum, fam. Sanguinariarum, animali notissimo. – Adeps plerumque semifluidus, granulosus, albido-flavescens, insipidus, fere inodorus, saepius autem odore ingrato. — *Vires* ei pectorales adscribebantur. — Externe et interne adhibebatur

AXUNGIA CAPONIS. Capaunenfett. *Graisse de Chapon.* A *Capone* (*Gallo castrato*; v. Ax. Gallinae).

AXUNGIA CASTOREI. Biebergeilfett. *Graisse de Castoreum.* A *Castore Fiberi* L., (v. Castoreum p 28.) in folliculis Castoreum continentibus vicinis, sed minoribus. Adeps flavus, unguenti consistentia, odoris castorei, sed multo debilioris.

AXUNGIA CASTORIS. Bieberfett *Graisse de Castor*, e partibus celluloso-adiposis, Castoris ipsius obtinetur. — Pinguedo alba, fere inodora.

AXUNGIA CATI SILVESTRIS. Wildkatzenfett. *Graisse de chat sauvage.* A *Fele Cato fero*, (Ord. et fam. v. Canis) animalis notissimi, axungiæ porci similis.

AXUNGIA (*Oleum*) CETI. Wallfischfett, Fischthran. *Graisse* (*Huile*) *de Balaine.* A *Balaena Mysticeto* (Cl. cet. v. Ambra p 5.), animali omnium maximo, maris, præsertim borealis, incola. — Pinguedo lente fluida, oleiformis, colore flavicante, Oleum Ceti album, weißer Thran, vel sordido-fusca, Oleum Ceti fuscum, brauner Thran, sapore atque odore plerumque ingrato acri-rancido. — Ad clysmata in obstructione, externe ad delendas maculas corneas, adhibetur.

AXUNGIA CICONIAE. Storchfett. *Graisse de Cicogne.* A *Ciconia alba* Bechst., *Ardea Ciconia* L., (Ord. et fam. ut Ardea), ave migrante notissima.

AXUNGIA COTURNICIS. Wachtelfett. *Graisse de Caille.* A *Perdice* (*Tetraone*) *Coturnice* (Ord. et fam. v. Axung. Gallinæ), ave in arvis frequente.

AXUNGIA CUCULI. Guckucksfett. *Graisse de Coucou.* A *Cuculo canoro* L., ex ordine Picarum, fam. Amphibolorum, silvarum incola.

AXUNGIA CUNICULI. Kaninchenfett. *Graisse de Lapin.* A *Lepore Cuniculo* L., (Ord. et fam. v. Ax. Leporis) animali notissimo.

AXUNGIA CYGNI. Schwanenfett. *Graisse de Cygne.* A *Cygno gibo et musico* (Ord. et fam. ut Anas), ave aquatica superba nivea, ansere grandiori.

AXUNGIA EQUI E COLLO. Pferdefett, Kammfett. *Graisse du col de cheval.* Ab *Equo Caballo* L., e cl. Mammalium ord. et fam. Solidungulorum, animali notissimo. Adeps e juba obtinendus, colore albido, consistentia unguenti.

AXUNGIA ERINACEI. Igelfett. *Graisse de Hérisson.* Ab *Erinaceo europaeo* L., e cl. Mammalium, ord. Ferarum, fam. Subterraneorum, animale silvestri noto, cum pelle aculeata.

AXUNGIA GALLINAE. Hühnerfett. *Graisse de Poule.* A *Galli Bankivae femella*, ex ordine et fam. Gallinarum, ave notissima.

AXUNGIA GRUIS. Kranichfett. *Graisse de Grue.* A *Grue cinerea* (*Ardea Grue*) ex ord. Grallarum, fam. Herodiorum, ave migrante Europæ Asiæque, loca aquosa incolente.

AXUNGIA, (*Oleum*) HARENGI. Härings-Fett oder Thran. *Graisse de Hareng.* A *Clupea Harengo* L., pisce marino notissimo, ex ordine Gasteropterygiorum, fam. Leptocephalorum. Est liquida, oleosa, colore flavescente et odore piscino.

AXUNGIA HOMINIS. Menschenfett. *Graisse d'Homme.* Ab Hominibus necatis, maleficis, ut credebatur, sumenda. Adeps colore albo, subflavescente, consistentia unguenti mollioris.

AXUNGIA LEONIS. Löwenfett *Graisse de Lion.* A *Fele Leone* (Cl. v. Ax. Cati), animali rapaci, validissimo, Africam præcipue inhabitante.

AXUNGIA LEPORIS. Hasenfett. *Graisse de Lièvre.* A *Lepore timido*, ex ordine Prensiculantium, fam. Duplicidentatorum, animali notissimo. Adeps flavescens vel rubellus, consistentia unguenti mollioris, odoris peculiaris injucundi, aëri expositus cuticulas in superficie formans, et mox rancescens. — Ad vulnera ulceraque sananda commendatur. *Vires* ei resolventes adscribi solent.

AXUNGIA LUCII PISCIS. Hechtsfett. *Graisse de Brochet.* Ab *Esoce Lucio* L., (Ord. et fam. Salmonis) pisce rapaci in fluviis lacubusque occurrente. Adeps fluidus oleosus, axungiae aschiæ simillimus.

AXUNGIA LUPI. Wolfsfett. *Graisse de Loup.* A *Cane Lupo* L. (Ord. et fam. v. Ax. Canis), animali rapaci, silvestri.

AXUNGIA LUTRAE. Fischotterfett. *Graisse de Loutre.* A *Lutra vulgari* (*Mustela Lutra* L.) e cl. Mammalium, ord. Chelopodorum, fam. Sanguinariorum, animali rapaci, natatore, fluviorum ripas incolente. Adeps olei fere unguinosi instar fluidus.

AXUNGIA MURIS ALPINI montani). Murmelthierfett. *Graisse de Marmotte.* Ab *Arctomide Marmotta* L., e cl. Mammalium ord. Prensiculantium, fam. Murinum, animali Alpes incolente.

AXUNGIA PAVONIS. Pfauenfett. *Graisse de Paon.* A *Pavone cristata* (Ord. et fam. v. Ax. Gallinae.), ave pulcherrima Indiæ orientalis, apud nos cicure.

AXUNGIA PHASIANI. Fasanenfett. *Graisse de Faisan.* A *Phasiano Colchico* L. (Ord. et fam. praecedentis), ave in Asia indigena, nostris terris passim insueta.

AXUNGIA PHOCAE. Robben-Fett oder Thran. *Graisse de Phoque.* A *Phoca vitulina* aliisque speciebus Phocæ, e cl. Mammalium, ord. et fam. Pinnipedum, animalium aquatilium in mari viventium. — Adeps seu oleum subcutaneum, unguinosum, lente fluidum, plus minus pellucidum, coloris læte-vel obscure-fusci; odoris ac saporis ingrati acris rancidi.

AXUNGIA SERPENTUM. Schlangenfett. *Graisse de Serpent, Couleuvre.* A *Colubre Natrice* L., e cl. Amphibiorum, ord. Ophidum, fam. Helisantum, serpentibus locis humidis apud nos vulgaribus. Adeps liquidus piscium pinguedine simillimus.

AXUNGIA SIMIAE. Affenfett. *Graisse de Singe.* Ab *Inuo* (*Simia*) *Silvano*, ex ord. Quadrumanorum, fam. Simiarum, animali Africam incolente.

AXUNGIA TAXI. Dachsfett *Graisse de Blaireau.* A *Mele vulgari*, *Urso Mele* L., ex ord. Ferarum, fam. Plantigradorum, animali rapaci silvatico.

AXUNGIA TRUTTAE. Welschhahnenfett. *Graisse de Coq d'Inde.* A *Meleagro Gallopavone* (Ord. et fam. v. Ax. Gallinae) ave notissima americanæ originis, apud nos cicure.

AXUNGIA URSI. Bärenfett. *Graisse d'Ours.* Ab *Urso fusco* (*U. arcto* L. — Ord. et fam. ut Meles), animali rapaci, silvas præcipue terrae borealis incolente.

AXUNGIA VIPERARUM. Vipernfett. *Graisse de Vipères.* A *Vipera Bero* LACEP. (*Colubre Bero* L.) aliisque speciebus Viperæ, ex ord. Ophidum, fam. Viperarum, serpentibus venenatis in Europæ montibus occurrentibus. — Adeps olei unguinosi spissiusculi consistentia, colore flavo, odore levi et sapore nullo.— Commendabatur ad abstergenda corneæ ulcera cet.

AXUNGIA VULPIS. Fuchsfett. *Graisse de Renard.* A *Cane Vulpe* L. (Ord. et fam. v. Ax. Canis), animali rapaci in silvis obvia.

Axungiae hucusque descriptae saepius axungiae porci sunt similes. — Merito autem fere omnes exoleverunt.

AYAPANA. Heilsamer Wasserhanf. *Eupatorium Ayapana* VENT. (Cl. v. Herb. Eupatorii). Frutex insularum Caraibæarum et Brasiliæ, odore menthaceo et sapore aromatico amaro. — In America contra morsum serpentum venenatorum, ad ulcera maligna sananda, contra scorbutum cet. medicamentum universale, magnopere celebratum. — Usurpantur omnes plantæ partes, radix, stipites foliaque.

BABLAH (*Babulah*). *Acaciae* cujusdam speciei, in Oriente crescentis, Fructus.— Legumina articulata, moniliformia, depressa, obscure cinerea vel testacea, brevi tomento obducta, seminibus ellipticis, fusco-nigris, palea fusca obvolutis, inodora, sapore adstringente. Extractum aquosum, ope liquoris ferri muriatici oxydati colore coeruleo-nigro præcipitatur. Gallarum loco ad tingendum adhibentur.

BACCAE ALKEKENGI, Halicacabi, Solani vesicarii. Judenkirschen, Blasenkirschen. *Coquerets.*— *Physalidis Alkekengi* L., (Fl. Bad. I. 513.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Solanacearum, plantæ perennis indigenæ, Fructus.— Baccæ globosæ, magnitudine cerasi, læte rubrae, nitentes, biloculares, succulentæ, sapore acidulo-dulciusculo, amariusculo; in calyce inflato, rubro, reticulato inclusae, a quo caute ita separandae, ne eius affrictu amaritie inficiantur, et leni calore siccandæ; quo quidem baccae maxime corrugantur, coloremque assumunt fusco-rubrum. — *Part. const. praev.:* Saccharum mucosum, Acida vegetabilia et Principium amarum. — *Vis:* diuretica. — *Usus:* Baccæ recentes, vel earum Succus per se; siccatæ in decocto sumi præscribuntur. — *Praep.:* olim Aqua et Syrupus.

BACCAE AQUIFOLII. Hülsenbeeren *Baies de Houx commun.* — *Ilicis Aquifolii* L. (Fl. Bad. I. 376.), e cl. Tetrandria, ord. Tetragynia, fam. Rhamnearum, fruticis indigeni, in silvis montosis, Fructus.— Baccæ globosæ, coccineæ, splendidæ, pisi magnitudine, quadriloculares, succulentæ, sapore amaro. — Olim contra epilepsiam adhibebantur.

BACCAE ARALIAE SPINOSAE. Dornige Aralienbeeren *Baies d'Aralie à epines.*— *Araliae spinosae* L., e cl. Pentandria, ord. Pentagynia, fam. Araliacearum, arbusculi Americae borealis, Baccae atro-rubrae, 5gonæ 5loculares, uvæ minoris magnitudine. — In America ut medicamentum adhibentur.

† BACCAE BELLADONNAE. Tollkirschen. *Baies de Belladonne.*— *Atropae Belladonnae* (v. Herba) Fructus. — Baccæ globosæ, nigro-splendentes, cerasorum magnitudine, et specie, biloculares, calyce incrassato, stellato insidentes, inodoræ, succo sanguineo, saporis fatui dulcis, subacris, turgentes. — *Part. const. praev.:* Saccharum mucosum et Principium narcoticum.— *Vis:* narcotica, maxime deleteria. — *Usus:* Ut medicamentum rarissime.

BACCAE BERBERUM. Sauerachbeeren, Erbselen. *Baies d'Epine vinette.* — *Berberis vulgaris* L. (Fl. Bad. II. 90.), e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Berberidearum, fruticis indigeni, Baccæ mediocres, oblongæ cylindricæ, utrinque obtusæ, amœne-rubræ, uniloculares, 2 — 3 spermæ, succo peracido austero, subdulci turgentes. — *Part. const. praev.:* Acidum malicum et Saccharum mucosum. — *Vis:* refrigerans. — *Usus:* Baccæ recentes per se, siccatæ in infuso sumi præscribuntur.— *Praep.:* Succus, Syrupus, Roob, Gelatina, Rotulæ.

BACCAE BRYONIAE. Gichtrübenbeeren *Baies de Bryone.* — *Bryoniae dioicae et albae*, (Fl. Bad. III. 712 u. 713) e cl. Monoecia, ord. Monadelphia, fam. Cucurbitacearum, plantarum perennium indigenarum, Baccæ globosæ pisi magnitudine, prioris plantæ rubræ, ulterioris nigræ; odore et sapore nauseoso fatuo. — *Vis:* purgans.

BACCAE CHAMAEMORI. Multbeeren. *Baies de Ronce de montagne.* — *Rubi Chamaemori* L. (Cl. cet. v. Bacc. Rubi idaei). Plantæ perennis herbaceæ, inermis, Europæ et Americæ borealis incolæ, Fructus. — Baccæ compositæ, baccarum rubi idæi magnitudine, primo rubræ, maturæ luteæ, sapore fatuo, subacido, dulciusculo. — *Vires* antiscorbuticas habent.

BACCAE EBULI. Attichbeeren. *Baies d'Yeble.* — *Sambuci Ebuli* L. (Fl. Bad. I. 739.), e cl. Pentandria, ord. Trigynia, fam. Caprifoliacearum, suffruticis indigeni. Baccæ globosæ, nigro-nitentes, pisi minoris fere magnitudine, succulentæ, sapore subacido, amariusculo-dulci, odore nauseoso. — *Part. const. praev.*: Saccharum mucosum, Principium extractivum rubrum (et Oleum æthereum). — *Vis:* diuretica, sudorifera. — *Usus:* In decocto, speciebus. — *Praep.:* Succus, Roob, Aqua spirituosa.

BACCAE FRANGULAE. Faulbaumbeeren. *Baies de Bourdaine.* — *Rhamni Frangulae* L. (Fl. Bad. I. 526), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Rhamnearum, fruticis vel arboris indigenæ locis aquosis frequentis, Baccæ rotundæ, pisi fere magnitudine, primo virides, deinde rubrae, postremo fusco-nigræ, subdispermæ, succulentæ, sapore fatuo dulci, amariusculo; masticando salivam coeruleo colore tingentes, alumine succus rubro, alkaliis autem viridi colore imbuitur. — *Part. const. praev.:* Saccharum mucosum et Principium extractivum violaceum amarum. — *Vis:* purgans. — *Praep.:* olim Roob. — Hodie exoleverunt.

BACCAE GROSSULARIAE IMMATURAE. Unreife Stachelbeeren. *Gadèles vertes.* — *Ribis Grossulariae* (Fl. Bad. I. 539.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Grossulariearum, fruticis indigeni, Baccæ globosæ vel rotundo-ovales, pisi majores et ultra magnitudine, viridescentes, diaphanæ, sapore austero-acido. — *Part. const. praev.:* Acidum malicum et citricum. — *Vis:* refrigerans. — *Usus:* In decocto.

BACCAE HEDERAE ARBOREAE. Epheubeeren. *Baies de Lièrre.* — *Hederae Helicis* L. (Fl. Bad. I. 541.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Caprifoliacearum, fruticis scandentis sempervirentis, indigeni, Fructus. — Baccæ nigræ, obsolete pentagonæ, 4 — 5 loculares, pisi magnitudine, sapore nauseoso subacido, adstringente. — *Vis:* purgans, diuretica. — Hodie exoleverunt.

BACCAE HIPPOPHAËS RHAMNOIDIS L. Wegdornartige Sanddornbeeren. *Baies de Griset rhamnoides*, e cl. Dioecia, ord. Tetrandria, fam. Eleagnearum (Fl. Bad. III. 752.), fruticis indigeni, præcipue ad fluviorum ripas occurrentis, Baccæ subglobosæ, flavæ, splendentes, uniloculares, monospermæ, succulentae, sapore acerbo-acido. — *Usus:* diæteticus, ut refrigerans. — *Praep.:* Roob. — Apud nos non adhibentur.

BACCAE JUNIPERI. Wachholderbeeren. *Baies de Genièvre.*

Synon.: Kaddigbeeren.

Juniperi communis L. (Fl. Bad. III. 678.), e cl. Dioecia ord. Polyandria, fam. Coniferarum, trib. Cupressinearum, fruticis vel arbusculi sempervirentis indigeni, Fructus. — Baccae spuriae globosæ, (Galbuli) pisi minoris magnitudine, superne punctis tribus elevatis, sulcisque notatæ; primo anno virides, maturæ nigræ, pruinosæ; siccatæ nitentes; pulpam includentes ferrugineam, farinoso-mollem, seminaque tria ovato-3quetra, ossea. Odor grate balsamico-æthereus, sapor amariusculo-dulcis, balsamicus. — *Part. const. praev.:* Saccharum proprium et Oleum æthereum. — *Vis:* diuretica, carminativa, resolvens.

Siccatae sint nigrae, nitentes, turgidae, ponderosae, non corrugatae, nec inanes; odore grate balsamico uti et sapore, qui simul dulcis.

Usus: Comeduntur baccae; ad infusa, species, suffitusque adhibentur. — *Praep.:* Roob, Conserva, Oleum aethereum, Spiritus, Aqua; multis aliis quoque compositionibus admiscentur.

Baccae Juniperi virides. Immaturi sunt fructus, odoris balsamici fortioris, saporisque magis acerbo-amari. — Praecipue ad parandum oleum aethereum usurpantur.

BACCAE LAURI. Lorbeeren. *Baies de Laurier.*

Lauri nobilis L., e cl. Enneandria, ord. Monogynia, fam. Laurinearum, arboris Europæ meridionalis, Baccae monospermæ, nudæ; siccatæ, cerasi magnitudine, oblongo-ovatæ, obtusæ, externe fusco-nigræ, rugosæ, sub cortice tenui fragili nucleum fuscum bipartibilem, coffeæ seminum similem, includentes. Odorem spargunt proprium, admodum aromaticum, sapore gaudent aromatico-amaro. — *Part. const. praev.:* Oleum æthereum et unguinosum. — *Vis:* excitans, emmenagoga, diuretica.

Usus: Interne in pulvere, cautissime; in arte veterinaria. — *Praep.:* Oleum aethereum et unguinosum, Electuarium, Unguentum, Emplastrum. Aliis quoque compositionibus adduntur

BACCAE LIGUSTRI. Hartriegelbeeren. *Baies de Troëne.* — *Ligustri vulgaris* L. (Fl. Bad I. 12.)— e cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Jasminearum, fruticis indigeni, Baccæ globosæ, nigræ, splendentes, pisi minoris magnitudine, biloculares, 2 - 4 spermæ, succo obscure violaceo turgentes; sapore ingrato subdulci. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum colorans. — *Vis:* purgans. — Hodie exoleverunt.

BACCAE MORI NIGRAE. Schwarze Maulbeeren. *Mures.*

Synon.: Mora.

Mori nigrae L. (Fl. Bad. IV. 669.) e cl. Monoecia, ord. Tetrandria, fam. Urticearum, trib. Artocarpearum, arboris persicæ originis, quæ apud nos colitur, Fructus aggregati bacciformes, nigri, splendentes, succulentæ, caryopsidem nuculaceam includentes, nostris autem regionibus plerumque deficientem vel imperfectam, odoris proprii grati, saporis gratissimi, acidiusculo-dulcis. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum obscure violaceum, Saccharum, Mucilago et Acida vegetabilia. — *Vis:* refrigerans.

Ne confundantur cum Baccis Rubi fruticosi, minus gratis (v. p 17).

Usus: refrigerandi causa comeduntur. — *Praep.:* Succus, Syrupus, Mel et Roob.

BACCAE MYRTI. Myrtenbeeren. *Baies de Myrte.* — *Myrti communis* L., e cl. Icosandria, ord. Monogynia, fam. Myrtacearum, fruticis vel arboris Europæ meridionalis, Fructus. — Baccæ coeruleo-nigræ, oblongæ, umbilicatæ, 3loculares, pisi magnitudinis, exsuccæ, grate-aromaticæ, adstringentes. — Raro adhibentur.

BACCAE MYRTI PSEUDO-CARYOPHYLLI Gomes. Falsche Nelkenmyrtenbeeren. Odore et sapore caryophyllorum. — In Brasilia ut stomachicum adhibentur.

BACCAE MYRTILLORUM. Heidelbeeren, Blaubeeren. *Baies de Myrtille, d'Airelle.* — *Vaccinii Myrtilli* L. (Fl. Bad. II. 146.), e cl. Octandria, ord. Monogynia, fam. Vaccinearum, fruticuli indigeni, Fructus. — Baccæ globosæ pisi magnitudine, coeruleo-nigræ, sub-5loculares, succulentæ, succo coeruleo-purpureo præditæ, sapore grato dulci, acidulo, subadstringente. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum coeruleo-purpureum, Saccharum, Acidum malicum et citricum. — *Vis:* refrigerans, leniter adstringens. — *Usus:* diæteticus; in officinis raro, interdum ut reagens chemicum. — *Praep.:* Succus, Syrupus, Roob.

BACCAE NORLANDICAE. Nordische Heidelbeeren. *Baies de Ronce septentrionale.* — *Rubi arctici* (Cl. cet. v. Baccae Rubi idaei) plantæ perennis Europæ et Americæ borealis, Fructus. Baccæ compositae, saturate rubræ, baccis rubi idaei similes, fragrantes, sapore gratissimo acidulo-dulci. — *Vis:* refrigerans, antiscorbutica.

BACCAE OXYACANTHAE, Spinae albae. Weißdornbeeren, Mehlbeeren. *Baies d'Alisier, d'Aupepin.* — *Mespili Oxyacanthae* GAERTN. (Crategi L. — Fl. Bad. II. 371.), e cl. Icosandria, ord. Digynia, fam. Rosacearum, fruticis vel arboris indigenæ, Fructus. — Baccæ subrotundæ, ellipticæ, rubræ, glabræ, calyce coronatæ, pulpam farinoso-albidam, dulcescentem continentes. — Olim in dysenteria commendabantur.

BACCAE OXYCOCCOS. Moosbeeren, Kesselbeeren. *Canneberges.* — *Vaccinii Oxycoccos* L. (Fl. Bad. II. 152. — Cl. cet. v. B. Myrtillorum), fruticuli tenerrimi, Europæ mediæ et frigidæ, in turfosis sphagno impletis, Fructus. — Baccæ rubræ, globosæ, pisi majoris magnitudine; post hyemem colligendæ, tunc succulentæ, grato acidæ. Continent præcipue Acidum malicum ac citricum. — *Vis:* refrigerans. — *Usus:* Ad potum refrigerantem. — *Praep.:* Succus. Syrupus, Mel, Gelatina, Conditum.

BACCAE PADI, Cerasi racemosi silvestris. Traubenkirschen, Ahlkirsche. *Baies de cerisier à grappe, de Putier.* — *Pruni Padi* L. (Cerasi Padi Decand. — Fl. Bad. II. 305. — Cl. cet. v. Cerasa) fruticis vel arboris indigenae et cultæ, Fructus. — Drupæ globosae, pisi magnitudine, nigrae, succulentae, nauseosae, acidum borussicum continentes. — *Usus:* diæteticus; cum sale conditae a Suecis comeduntur.

BACCAE PARIDIS, Solani quadrifolii, Uvae versae. Einbeeren, Wolfsbeeren, Fuchstrauben. — *Paridis quadrifolii* L., (Fl. Bad. 184.), e cl. Octandria, ord. Tetragynia, fam. Smilacearum, plantæ perennis indigenæ, silvaticæ, Fructus. — Baccæ globosae quadrigonæ, pisi magnitudine, fusco-nigræ, succulentæ, quadriloculares, odore nauseoso, sapore ingrato vinoso. — *Vis:* narcotica, emetica. — Olim contra epilepsiam et maniam adhibebantur. — Hodie exoleverunt.

BACCAE PHYSALOIDIS. Schluttenartige Toll-Kirschen oder Beeren. *Baies de Belladonne physaloide.* — *Nicandrae Physalodis* GAERTN. *Atropae physaloidis* L. (Fl. Bad. IV. 174. — Cl. cet. Baccae Belladonnae) Plantae annuæ Peruvianæ, apud nos hortensis, Baccae globosae, exsuccae, 3 — 5 loculares, calyce ampliato tectae. — In America ut diureticum adhibentur.

BACCAE PHYTOLACCAE. Kermesbeeren. *Raisin d'Amerique.* — *Phytolaccae decandrae* L., e cl. Decandria, ord. Decagynia, fam. Phytolaccearum; plantæ perennis Americæ borealis, quæ apud nos quoque colitur, Fructus. — Baccæ subrotundo-compressæ, nigro-rubræ, pisi magnitudine, succo purpureo turgentes. — *Vis:* purgans, præcipue baccarum immaturarum.

BACCAE RIBIS NIGRI, seu Ribesiorum nigrorum. Schwarze Johannisbeeren. *Groseilles noires, Cassis.* — *Ribis nigri* L. (Fl. Bad. I. p. 536. — Cl. v. infra), fruticis indigeni, et culti, inermis, Fructus. — Baccæ nigræ, glandulis minimis conspersæ, globosæ, umbilicatæ, pisi magnitudine, succo obscure purpureo turgentes; odore peculiari foetido ut cimicum, sapore vinoso-dulci. — *Part. const. praev.:* Saccharum mucosum, Acidum malicum et citricum et Principium extractivum colorans. — *Vis:* refrigerans, diuretica. — *Usus:* diæteticus. — *Praep.:* Syrupus, Roob, Spiritus.

BACCAE RIBIS RUBRI. Rothe Johannisbeeren. *Groseilles rouges.*

Synon.: Baccæ Ribesiorum rubrorum. Johannistrauben.

Ribis rubri L. (Fl. Bad. I. 534.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Grossulariearum, fruticis indigeni et in hortis frequentis, Fructus. — Baccæ globosæ, rubræ, nitidæ, diaphanæ, uniloculares, umbilicatæ, pisi minoris magnitudine, succo læte rubro turgentes, odore proprio acidulo, sapore grato dulcescenti-acido. — *Part. const. praev.:* Saccharum mucosum, Acidum malicum et citricum, et Principium extractivum colorans. — *Vis:* refrigerans.

Usus: diaeteticus. — *Praep.:* Succus, Syrupus, Roob, Vinum.

BACCAE RUBI IDAEI. Himbeeren. *Framboises.*

Synon.: Hindbeeren, Hohlbeeren.

Rubi idaei L. (Fl. Bad. II. 433.), e cl. Icosandria, ord. Monogynia, fam. Rosacearum, fruticis aculeati, indigeni, Fructus. — Baccæ compositæ conico-hemisphaericæ, in basi cavæ, rubræ, ex acinis rotundis coadunatis monospermis, pilis sparsis praeditis, formatae; succo rubro turgentes, odore grato fragrante, sapore gratissimo, acidulo-dulci. — *Part. const. praev.:* Saccharum mucosum, Acidum malicum et citricum, Principium extractivum colorans et Oleum aethereum. — *Vis:* refrigerans. —

Usus: diaeteticus. — *Praep.:* Succus, Syrupus, Mel, Roob, Gelatina, Julapium, Acetum, Aqua, Spiritus et Vinum.

BACCAE RUBI VULGARIS, Mora Rubi. Brombeeren. *Mures sauvages, Mures de Ronce, de Renard.* — *Rubi fruticosi* L. (Fl. Bad. II. 435. — Cl. cet. ut supra), fruticis aculeati, indigeni, Fructus. — Baccæ compositæ, forma præcedentium, plerumque majores; maturæ, nigræ, succum includentes obscure-sanguineum; inodorae, sapore acidulo-dulci. — *Part. const. praev.:* ut baccarum rubi idaei, sed aromate carentes. — *Praep.:* Syrupus, Roob, Gelatina, Aqua. (Baccæ nonnunquam moris substituuntur).

Fructus immaturi, læte rubri, acerbe-acidi, olim contra dysenteriam commendabantur.

BACCAE SAMBUCI. Hollunderbeeren. *Baies de Sureau.*

Synon.: Grana Actes. Holderbeeren, Fliederbeeren.

Sambuci nigrae L. (Fl. Bad. I. 740.), e cl. Pentandria, ord. Trigynia, fam. Caprifoliacearum, fruticis, vel arboris indigenae, Fructus. — Baccae globosae, nigrae, nitentes, pisi fere magnitudine, succulentae, triloculares, succum nigro-violaceum ab-

scondentes, odore levi ingrato, sapore acidulo-subdulci, amariusculo. — *Part. const. praev.:* Saccharum mucosum, Principium colorans extractivum. — *Vis:* sudorifera.

Usus: Baccae siccatae (*Grana Actes*) praescribuntur. — *Praep.:* Roob, Succus, Syrupus.

BACCAE SAMBUCI CANADENSIS WILLD. Kanadische Hollunderbeeren.— In America boreali ut sambuci nigræ baccæ adhibentur

BACCAE SOLANI NIGRI. Schwarze Nachtschattenbeeren. *Baies de Morelle noire.—Solani nigri.* L. (v. Herba) Baccæ globosæ, nigræ, splendentes, pisi minoris magnitudine, succulentæ, biloculares, inodoræ, sapore nauseoso fatuo subdulci. — *Part. const. praev.:* Solanium. — *Vis:* narcotica, venenata. — Succi fumus ut odontalgicum commendabatur.

BACCAE SORBI AUCUPARIAE. Vogelbeeren, Ebereschen. *Sorbes des oiseleurs.* — *Pyri aucupariae,* SM. (*Sorbi aucupariae* L. — Fl. Bad. II. 374.), e cl. Icosandria, ord. Trigynia, fam. Rosacearum, arboris indigenæ, Fructus. — Poma baccata coccinea, globosa, pisi magnitudine, calyce coronata, succulenta, 3—5-locularia, austero-acida. — *Part. const. praev.:* Acidum malicum, (spiricum). — *Vis:* diuretica, lithontriptica, styptica. — *Usus:* Comedi præscribuntur baccæ. — *Praep.:* Roob.

BACCAE SORBI DOMESTICAE. Sperlinge, Spierbirnen, Spieräpfel. *Cormes, Sorbes.— Pyri domesticae* SM. (*Sorbi domesticae* L. — Fl. Bad. II. 378. — Cl. cet. ut supra), arboris indigenæ et cultæ, Fructus. — Poma pyriformia, pyri silvestris magnitudine, colore flavo-viridi et rubro; recentia sapore maxime austero-acido; sed aliquot dierum intervallo, mollescentia et dulcescentia, ut comedi queant. — *Part.* recentium *praev.* uti antecedentium. — *Usus:* idem. Siccata et pulverata etiam ad sanguinem sistendum et contra dysenteriam commendabantur. — *Praep.:* Pulpa, Conserva.

BACCAE SORBI TORMINALIS. Darmbeeren, Elsebeeren. *Baies d'Alisier.* — *Pyri torminalis* EHRH. (*Crataegi torminalis* L. — Fl. Bad. II. 369 — Cl. cet. ut præcedentium), arboris indigenæ, Fructus. — Poma, ellipsoidea, nucis avellanæ magnitudine, fusca, punctis albidis conspersa, pubescentia, calyceque coronata, plerumque bilocularia, carnosa, sapore austero-acido; postquam maturitatem adsecuta sunt, mollescentia et dulcescentia. — *Part. const.*, *Vires* et *Usus:* præcedentium.

BACCAE SPINAE CERVINAE, Spin. infectoriae, domesticae, Rhamni catharticae. Kreuzdornbeeren, Purgier-Wegdornbeeren, Färbebeeren. *Nerpruns.— Rhamni catharticae* L. (Fl. Bad. I. 525.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Rhamnearum, fruticis vel arboris mediocris indigenæ, Fructus. — Baccæ nigræ subglobosæ, (siccatæ obsolete tetragonæ) pisi magnitudine, pulpam viridi-luteam includentes. Inde a tempore maturitatis mollescere incipiunt et succus colorem sordide obscure violaceo-fuscum assumit, qui addito alumine alcalibusque in colorem viridem abit; sapore nauseoso, amaro, subdulci. — *Part. const. praev.:* Principium colorans extractivum proprium. — *Vis:* drastica. — *Usus:* In substantia raro. — *Praep.:* Succus, Syrupus, Roob, Succus viridis. Ne confundantur cum Baccis Frangulæ (p. 15.) et B. Ligustri (p. 16.)

BACCAE TAXI. Eiben- oder Taxusbeeren. *Baies d'If.* — *Taxi baccatae* L. (Fl. Bad. III. 770), e cl. Dioecia, ord. Monadelphia, fam. Coniferarum, trib. Taxinearum, arboris indigenæ sempervirentis, Fructus drupiformes, coccinei, subglobosi, pisi magnitudine, e cupula succulenta, apice aperta, caryopsidem nuculaceam omnino includente formati; sapore fatuo, dulcescente. — Hodie obsoletæ.

BACCAE VIBURNI, Opuli vel Sambuci aquaticae. Wasser-Hollunderbeeren. *Baies d'Obier.* — *Viburni Opuli* L. (Fl. Bad. I. 736. — Cl. cet. v. Bacc. Sambuci), fruticis indigeni, in dumetis humidis, ad vias, sepes vulgaris, Baccæ ellipsoideo-globosae, pisi minoris magnitudine, rubræ, succulentae, monospermæ, sapore nauseoso fatuo. — In morbis cutaneis commendabantur.

BACCAE VITIS IDAEAE. Preißelbeeren, rothe Heidelbeeren. *Baies de Canneberge ponctuées.— Vaccinii Vitis idaeae* L. (Fl. Bad. II. 149.— Cl. v. Baccae Myrtillorum), fruticuli elegantis, sempervirentis, indigeni, Fructus. — Baccæ coccineæ splendentes, globosæ, pisi magnitudine, pulposo succulentæ, sapore acidulo, dulcescente, amariusculo. — *Part. const. praev.:* Saccharum et Acidum citricum. — *Vis:* refrigerans. — *Usus:* diæteticus. — *Praep.:* Syrupus, Roob, Gelatina, Conditum.

BALSAMUM ACOUCHI seu ARACOUCHINI, — ex America meridionali advehitur, ab *Icica Aracouchini* DEC. (*Amyride heterophylla* W.), ut credunt, oriundum. Balsamum semifluidum, pellucidum, rubicundum, odore fragrante, Balsami indici (p. 19.) simile; brevi indurescens (tunc quoque nomine *Resinae Alouchi* occurrens?). Ut vulnerarium adhibetur.

BALSAMUM (Terebinthina) CANADENSE, de Canada. Canadischer Balsam oder Terpentin. *Baume ou Terebenthine de Canada.* — *Pini Balsameae* L. (*Abietis balsamiferae* MICH.), e cl. Monoecia, ord. Monadelphia, fam. Coniferarum, trib. Abietinearum; arboris acerosae Americae septentrionalis, Resina liquida e ductis succi proprii corticis vulnerati stillans; consistentia mellis recentis, fere decolor, vel subflavescens, pellucida, tenax, glutinosa, aetate spissior, postremo indurescens; odore grate balsameo fragrante, quodammodo terebinthino, sapore acri-amaricante. — *Part. const.:* Oleum aethereum et Resina. — *Vis:* irritans, diuretica. — *Usus:* Uti Balsami Copaivae (p. 19). — *Praep.:* Tinctura.

BALSAMUM CARPATHICUM, Hungaricum, Libani. Ungarischer Balsam. Cedrobalsam. *Baume des Carpathes, de l'Hongrie.— Pini Cembrae* et *Pumilionis* (Cl. cet. præcedentis), arborum in Europae meridionalis et septentrionalis montibus crescentium, Resina liquida, e ramulis junioribus stillans, fere decolor, diaphana, syrupi consistentia, odore grate balsamico, juniperino, sapore acri. — *Part. const.*, *Vis* et *Usus:* præcedentis.

BALSAMUM COPAIVAE. Copaivabalsam. *Baume de Copahu.*

Synon.: **Balsamum de Copaiba, brasiliense.**

Copaiferae multijugae Mart. et aliarum *Copaiferae* specierum e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Leguminosarum, arborum Indiae occidentalis, Americae meridionalis, praesertim Brasiliae, Resina liquida e trunco vulnerato stillans. — Liquor oleoso-resinosus, pallide flavescens, pellucidus, syrupi consistentia, parum tenax, glutinosus, p. sp. 0,95, aetate spissescens, magisque luteum colorem assumens; odore proprio, grate balsamico, sapore acri-gutturali, amaro, linguae diu adhaerente; facile inflammabilis, penitusque solubilis in alcohole vini, aethere et oleis. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Resina. — *Vis:* irritans, diuretica.

Sit parum coloratum, limpidum, odore grato, minime terebinthinaceo, in alcohole vini facile penitusque solubile; cum partibus aequalibus liquoris kali vel ammoniaci caustici commixtum, liquorem praebeat clarum pellucidum, neutiquam turbidum; in balneo Mariae, vase aperto diu calefactum, resinam relinquat in frigore fragilem, neque vero residuum glutinosum vel semifluidum.

Usus: Interne guttatim, in emulsione, in forma pilularum magnesiae ustae ope duratum. — *Praep.:* Oleum aethereum, Resina, Spiritus, Tinctura. Multas alias quoque ingreditur compositiones.

BALSAMUM INDICUM ALBUM, Peruvianum album. Weißer Indianischer oder Peruvianischer Balsam. *Baume de Peru blanc.* **— E** *Myroxylo peruifero* **L. (Cl. cet. v. infra) sponte, ut creditur, effluens. Balsamum coloris pallide-flavescentis, mellisque recentis consistentia, odoris gratissimi aromatico-balsamici, storacini, saporis acre-amari; in alcohole vini et aethere facile solubile, cum aqua destillatum oleum praebens aethereum. — Tempore indurescit atque tum Balsami indici seu peruviani sicci, sive Opobalsami sicci, Trockener Indianischer Balsam, nomine occurrit. —** *Part. const. praev.:* **Oleum aethereum, Resina et Acidum benzoicum. — Hodie raro in usum venit. — Ne confundatur cum Balsamo Copaivae (v. supra.).**

BALSAMUM INDICUM NIGRUM. Schwarzer Indianischer Balsam. *Baume des Indes noire.*

Synon.: **Balsamum peruvianum nigrum.**

Myroxyli peruiferi L. (*Myrospermi peruiferi* Decand.), e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Leguminosarum, arboris Americae meridionalis, praesertim Peru et Novae Granadae, frequentis, Liquor ligni ustione vel sicca quadam destillatione, ut videtur, eliquatus. — Balsamum nigro-fuscum, in massa opacum, in stratis tenuibus colore purpureo-fusco diaphanum et clarum, syrupi consistentia, tactu unguinosum, vix tenax, p. sp. 1, 15, odore grate aromatico, balsamico, vanigliarum simili, sapore acri-balsamico, amariusculo, linguae diu adhaerente; aëri expositum non exsiccescens, in massa flammae admotum haud ignescens; cum aqua destillatum nihil olei aetherei praebens. Nonnisi in fortissimo alcohole vini penitus fere solubile. — ***Part. const. praev.:***

Oleum peculiare non volatile, aqua ponderosius, Resina et Acidum benzoicum. — *Vis:* excitans, vulneraria.

Sit balsamum clarum, non turbidum, aqua ponderosius, destillatione cum aqua oleum aethereum non edens, ceterisque gaudens proprietatibus supra memoratis.

Usus: Interne guttatim cum saccharo, in emulsione, pilularum forma (inepte), externe ad unguenta, emplastra, suffitus, cet. adhibetur. — *Praep.:* Tinctura, Syrupus. Multis aliis quoque compositionibus additur aromaticis.

BALSAMUM DE MECCA, Mecha, Gileadense, Aegyptiacum, Opobalsamum verum. Mekka- oder Mecha-Balsam. *Baume de Mecque, de Judée.*— *Balsamodendri gileadensis* KUNTH. (*Amyridis gil.* L.) et *Balsamodendri Opobalsami* KUNTH. (*Amyridis Opobals.* L.), e cl. Octandria, ord. Monogynia, fam. Terebinthacearum, arborum Arabiæ, Resina liquida sponte, vel ex ramis vulneratis stillans, pallide flavescens; mellis liquidi consistentia, tempore spissior, flava denique solida; odore suavissimo subtilissime aromatico-balsamico, citri rorismarinique quodammodo simili, sapore amariusculo, aromatico-adstringente. — *Part. const. praev.:* Oleum æthereum et Resina.— *Vis:* irritans, vulneraria. — *Usus:* Rarissime apud nos pro medicamento adhibetur; pretiosissimum gratissimumque apud Turcas odoramentum.— Perraro genuinum occurrit hoc balsamum, saepissime aliis balsamis aromaticis, e. g. copaivæ, indico albo, tolutano, cet. adulteratur, cum iisque confunditur.

BALSAMUM RAKASIRA. Rakasira-Balsam. *Baume de Rakasire.* — Resina plantae adhuc incognitae quae ex America advehebatur, rubro-brunneo-subdiaphana, in frigore solida, friabilis, lenissimo calore mollescens, tenax, fere inodora, sed calefacta odorem spargens grate balsamicum, balsami tolutani similem; sapore balsamico amaricante. — *Usus:* olim ut bals. copaivæ. — Hodie exolevit.

BALSAMUM DE TOLU, Tolutanum (St. Thomae? Ph. Lus.) Tolubalsam. *Baume de Tolu.* — *Myroxyli toluiferi* RICH. (*Myrospermi toluiferi* SPR. — Cl. v. Bals. Indic.) arboris Americae meridionalis, Resina liquida, e trunco stillans, recens, flavescens, syrupi consistentia, pellucida, odore gaudens ac sapore balsami indici albi simillimo; mox indurescens, coloremque flavo-fuscum, subviridem assumens. Resina exsiccata, digitis tractata mollescens; occurrit etiam nomine *Opobalsami sicci.* — Forsitan ex eadem arbore ac balsamum indicum oriunda, earumque diversitas exigua a loco natali derivanda. — *Praep.:* Tinctura, Syrupus, Tabulae.

BDELLIUM, Gummi Bdellium. Bdellium *Bdellium.* — Gummi-resina arboris adhuc ignotæ, forsitan speciei Amyridis, quae ex Africa adfertur. — Frustula seu grana irregularia rugosa, flavo-rubicunda, diaphana, vel glebæ rubro-fuscæ, odoris levis, haud grate aromatici, quodammodo myrrhini, saporis amaro-balsamici.— *Part. const. praev.:* Resina, Gummi et Oleum æthereum. — Hodie vix adhibetur. Ejus loco sæpius myrrha impura importatur.

BENZOË. Benzoe. *Benjoin.*

Synon.: Gummi, (Resina, Balsamum) Benzoin, Asa dulcis.

Styracis Benzoin DRYAND., e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Styracearum, arboris Indiae orientalis, praesertim in Sumatra et Java frequentis, Resina sponte vel ex trunco vulnerato exsudans, aëreque indurata. Placentae seu frusta irregularia variae magnitudinis, luteo-fusca, opaca, porosa, frustulis albidis diaphanis, fractura splendentibus, plus minus intermixta, solida, friabilia. Purissima Benzoë occurrit in frustulis discretis irregularibus, albis splendentibus. Resina odoris grate balsamici, saporis primo subdulcis, post acris, balsamico-pungentis; in alcohole vini omni, in aethere maxima ex parte solubilis. — *Part. const.:* Resina, Acidum benzoicum et Oleum aethereum. — *Vis:* irritans, pectoralis (?).

Frusta obscure-fusca, porosa, granis amygdalinis carentia, ligno corticeque admodum intermixta, rejicienda.

Usus: Interne in pulvere rarissime, externe ad suffimenta. — *Praep.:* Tincturae variae, Lac Virginis, Syrupus, Flores benzoës (Acidum benzoicum), Oleum. Additur ad Candelas quoque et Pulveres fumales.

BEZETTA COERULEA. Blaue Schminkläppchen. *Tournesol en drapeau bleu.* — Lintea impraegnata suc-

co *Crotonis tinctorii* L., *Crozophorae tinctoriae* A. Juss., e cl. Monadelphia, ord. Pentandria, fam. Euphorbiacearum, plantae annuae Europae meridionalis et Africae borealis, quae ope calcis et urinae colorem violaceo-coeruleum assumserunt.

BEZETTA RUBRA. Rothe Schminkläppchen. *Tournesol en drapeau rouge.* — Lacinia lintea decocti coccionellae ope rubro colorata, quae e Turcia advehuntur. — Ambae ad tingendam gelatinam cet. adhibentur, prior etiam ut reagens ad acida, posterior ad infucandum.

BEZOAR, Lapis Bezoar. Bezoar. *Bezoard.* — Calculi seu concretiones morbosae, in intestinis animalium, praesertim ruminantium, occurrentes. Plures innotuerunt species, e. g.:

BEZOAR ORIENTALIS, Lapis Bezoar orientalis. Orientalischer Bezoar. *Bezoard oriental.* — Ex *Capra Aegagro* L., Capra Hirci primigenii, montes Asiae, praesertim Persiae, incolente, desumi creditur. — Globuli plus minus rotundi, pisi ad pugni magnitudine, plerique tamen semiunciae ad unciae diametro, obscure fusci, viridescentes, superficie glaberrima nitente; ex concentricis lamellis tenuissimis constantes; in centro plerumque corpus alienum, lapidem, fibras vegetabiles cet. continentes; duri, sed friabiles, inodori et insipidi, calefacti autem odorem spargentes grate aromaticum et sine liquatione sensim penitus in auras abeuntes; in aqua, spiritu vini et acidis dilutis haud solubiles, facile tamen planeque in liquore kali caustici.

BEZOAR OCCIDENTALIS. Westindischer Bezoar. *Bezoard occidental.* — Ab *Auchenia Lama* et *Vicunna* Illig. (*Camelo Lama* et *Vicunna* L.), animalibus ruminantibus Americae meridionalis, desumitur. — Globuli priorum analogi, plerumque tamen irregulares, externe fusco-nigri, vel griseo-viridescentes, magis opaci, lamellisque crassioribus constantes, intus albidi, terrei, antecedentibus ponderosiores; ignis ope partim tantum volatiles aeque atque in liquore kali caustici maximam partem insolubiles.

BEZOAR seu LAPIS DE COROMANDEL. Coromandelischer Bezoar. *Bezoard de Coromandel.* — A *Bove Bubalo*, Asiam Europamque meridionalem incolente, duci creditur, juxta alios a *Trichecho Manato.* — Globuli variae magnitudinis colorisque, chartam affrictam inquinantes, friabiles, flammae admoti odorem aromaticum spargentes.

BEZOAR DE GOA. Bezoar von Goa. — Globuli albidi moschum et ambram redolentes; arte facti sunt e Terra aluminosa cum Moscho, Ambra et Auro foliato.

Bezoar olim in multis morbis adhibebatur ut alexipharmacon. Hodie apud nos merito exolevit.

BEZOARDICUM ANIMALE. — Hoc nomine Cor et Hepar Viperarum intelliguntur. — Materiae jamdudum merito obsoletae.

BISMUTHUM. Wismuth. *Bismuth.*

Synon.: Marcasita. Markasit, Aschblei.

Nativum occurrit in montibus primitivis ac transitivis et eliquatione e mineris metallum continentibus in officinis metallariis obtinetur. — Metallum album subrubicundum, splendens, fragile, octaëdros regulares formans, fractura foliacea; facile in pulverem redigitur; p. sp. 9,85, leni igne ante quam incandescat funditur, igneque fortiori sublime agitur; p. M. 1330,376, in acido nitrico facile dissolvitur, et ex solutione saturata, cum aqua diluta, praecipitatum album deponit.

Usus: Ad parandum Magisterium Bismuthi, Bismuthum carbonicum, muriaticum, Flores Bismuthi.

BLATTA BYZANTINA, Unguis odoratus. Riechschale, Räucherklaue. *Blatte Byzantine.* — *Strombi lentiginosi* L., cochleae marinae, Indiae orientalis, e fam. Siphonobranchium, Operculum ensiforme, corneum; recens odore aromatico, nardino. — Praecipue ex Calcaria carbonica constat. — Hodie exolevit.

BOLETUS CERVINUS, Fungus cervinus, Tubera cervina. Hirschbrunst. *Truffes de Cerf.* — *Scleroderma cervinum* Pers., *Lycoperdon cervinum* L., Fungus e fam. Gasteromycetum, subterraneus, in pinetis occurrens. Exsiccatus in officinis prostat, globulos formans subrotundos, saepius depressos, nucis moschatae ad juglandis et ultra magnitudinis, externe laete vel obscure sordide fuscus, verrucosus, asper, durus, coriaceus, pulvere nigro subtilissimo repletus, inodorus; recens autem et cum aqua calida infusus odorem ingratum spargit; sapore fatuo carnis simili, amaricante. — *Part. const. praec.:* Osmazomum funginum, Mucilago et Saccharum funginum. — *Vis:* stimulans, aphrodisiaca. — *Usus:* Subinde in arte veterinaria.

BOLUS ALBA. Weißer Bolus. *Bol blanc.* — E Bohemia, Salisburga cet. forma frustorum tetragonorum importatur. — Lithomarga alba, vel plerumque Argilla alba, pinguis, in aqua mollescens.

BOLUS ARMENA, Armeniaca, Orientalis, Argilla ferruginea rubra. Armenischer Bolus. *Bol d'Armenie.* — Olim ex Oriente adducebatur, hodie etiam in Gallia, Germania, Bohemia et Hungaria reperitur. — Frusta amorpha, pallide fusco-rubra, tactu pinguia, digitosque inquinantia, linguae adhaerentia, friabilia, in aqua mollescentia. — Argilla est ferruginea.

BOLUS RUBRA VULGARIS. Rother Bolus. *Bol rouge.* — In multis Germaniae regionibus reperitur; occurrit in frustis tetragonis, boli albae similibus. Color ejus priori saturatior fusco-ruber; tactu minus pinguis, magisque siticulosa. Est Argilla plus Ferri oxydati quam B. armena continens. Saepius hoc nomine artefactum prostat.

Bolorum species hodie exoleverunt; nisi quod nonnunquam in arte veterinaria praescribuntur.

BOMBYX, Lana seu Lanugo Gossypii. Baumwolle. *Coton.* — *Seminum Gossypii herbacei* L., e cl. Monadelphia, ord. Polyandria, fam. Malvacearum, plantae Indiae orientalis, aliarumque Gossypii specierum, quae in regionibus calidioribus coluntur, Lana semina involvens, albissima, mollissima, tenerrima, elastica, inodora et insipida. — Fibra est vegetabilis fere purissima. — Ad *Moxas* parandas adhibetur

BORAX. Borax. *Borax.*

Synon.: **Borax veneta, raffinata, Natrum boracicum, Boras Natri seu Sodae, Subboras Sodae.**

Sal nativum crudum, nomine *Tincal,* ex Asia advehitur, et in officinis chemicis depuratur. — Crystallos format limpidas, decolores, prismaticas, oblique rhombicas, hexagonales, 8-gonales, uti et ab his derivandas; plerumque tamen occurrit in crystallis diffractis, frusta irregularia formantibus. Borax aëri exposita in superficie fatiscit, p. sp. 1,75, sapore debili subdulci-alcalino, refrigerante, temperatura ordinaria in 12 aquae partibus solubilis, in spiritu vini insolubilis est. — *Part. const.:* Acidi boracici et Natri ana 1, Aquae 10, p. M. Leni igne liquescit intumescitque, massam albam levissimam spongiosam (**Borax usta**, gebrannter Borax,), relinquens, quae igne aucto funditur et in massam pellucidam, compactam (**Vitrum Boracis**, Boraxglas,), mutatur. — *Vis:* mundificans, abstergens, incitans, diuretica.

Sit sal album, pellucidum; solutio aquosa addito liquore kali carbonici ne turbetur, et acido nitri acidulata, neque cum argenti nitrici neque cum barytae muriaticae solutione praecipitatum formet.

Usus: In pulvere, solutione aquosa, cum syrupo, melle. — *Praep.:* Acidum Boracis. Variis quoque additur compositionibus.

BOVISTA CHIRURGORUM, Crepitus Lupi. Bovist. *Vesse-Loup.* — *Bovista nigrescens* PERS., *Lycoperdon Bovista* L., fungus e fam. Gasteromycetum, ad silvarum margines occurrens. — Figura est globoso-turbinata, varia magnitudine (pollicis ad pedis dimidii diametro); basis stipitem plicatum format; in aetate tenera albidus, in provectiori lutescens; squamis planis sparsis tectus; maturitate disrumpens, pollenque nigrescens dispergens; tunc stipes remanet colore fusco-nigro indutus, quae substantia levissima spongiosa ut medicamentum, externe ad sanguinem sistendum, ut Agaricus chirurgorum (p. 2) adhibetur.

BUFONES. Kröten. *Crapeaux.* — *Bufo cinereus* LACEP., *Rana Bufo* L., Amphibium notissimum, adpectu turpi, ex ordine Batrachiorum. — *Praep.:* Bufones exsiccatae et ustae. Olim viventes quoque Bufones ad parandum Balsamum tranquillans adhibebantur. — Hodie exoleverunt.

BULBI RANUNCULI BULBOSI. Knollen des knolligen Hahnenfusses. *Bulbes de Renoncule bulbeux.* — *Ranunculi bulbosi* L. (Fl. Bad. II. 544), e cl. Polyandria, ord. Polygynia, fam. Ranunculacearum, Rhizoma vel potius Caudex intermedius. Bulbi subrotundi, albidi carnosi, nucis avellanae magnitudine, inodori, sapore acerrimo caustico. — *Usus:* Externe ut vesicans.

BULBULI THRASI, Dulcinia. Erdmandeln *Souches comestibles.* — *Cyperi esculenti* L., e cl. Triandria, ord. Monogynia, fam. Cyperacearum, plantae perennis Europae meridionalis, Orientisque, quae et apud nos colitur, Radix a fibrillis liberata. Tubera ovata, nucis avellanae et ultra magnitudine, annulata externe fusco-rubescentes, intus alba, fere inodora, sapore oleoso, grate dulci. — *Part. const. praev.:* Saccharum et Oleum anguinosum. — *Vis:* nutriens, demulcens. — *Usus:* In emulsione.

BUTYRUM GALAM, But. Bambuc. Galam- oder Bambuk-Butter. *Beurre de Galam, de Bambouc.* — Pinguedo seminum *Bassiae longifoliae* L., *Bassiae latifoliae* ROXB., et *Bassiae butyraceae* ROXB., e cl. Dodecandria, ord. Monogynia, fam. Sapotearum, arborum Africae et Indiae orientalis, coctione cum aqua obtenta, colore albo, subrubescente, consistentia sevi, odore et sapore grato miti, subaromatico, olei cacao et nucistae quodammodo simili. — Ab incolis ut butyrum animale adhibetur. — Eodem modo

BUTYRUM SOUDANI, Soudanbutter, *Beurre de Soudan*, — Butyro galam simile, — usurpatur.

BUTYRUM VACCINUM. Butter. *Beurre.*

A vacca, animali domestico notissimo, utilissimo, desumitur. Pinguedo flavescens, tenerrima, unguenti consistentia, odore peculiari grato, sapore mitissimo subdulci. — *Part. const. praev.:* Stearinum, Butyrinum et Oleinum cum parva quantitate Casei et Aquae mixtum. — *Vis:* leniens, nutriens.

Sit recens, non salitum, odoris et saporis rancidi expers, caseo et aqua non nimis mixtum, minimeque pigmentis spuriis vel metallis nocivis inquinatum. — *Usus:* Ad unguenta; multorum, quae butyra audiunt, basis.

CACAO. Cacao. *Cacao.*

Synon.: Cucavahae, Avellanae Mexicanae. Chokolade-Bohnen.

Theobromae Cacao L., e cl. Polyadelphia, ord. Decandria, fam. Buettneriacearum, arboris Americae meridionalis, Semina ovato-oblonga, compressa, fusca, amygdalarum magnitudine, sub cortice tenui fragilique nucleum nigro-fuscum, pingue-nitentem, oleosum, friabilem, in frustula irregularia dilabentem, includentia; sapore grate amariusculo, odore debili aromatico. — Optima Cacao Caracas censetur, reliquis plerumque major, turgida, externe pulvere griseo terreo adspersa. — *Part. const. praev.:* Oleum unguinosum solidum et Aroma (parum). — *Vis:* nutriens.

Usus: diaeteticus. — *Praep.:* Butyrum, Chocolada, Pulvis Content.

CACTUS GRANDIFLORUS *L.*, Großblumige Fackeldistel. *Cierge à grandes fleurs*, — e cl. Icosandria, ord. Monogynia, fam. Cactearum, plantae perennis succulentae Indiae occidentalis, ramis repentibus diffusis, 5 — 7-angulatis, spinosis et pilosis, floribus maximis odoratissimis, calyce flavo, corollaque alba. — Succus acerrimus ut anthelminthicum laudatur. — Et

CACTUS FLAGELLIFORMIS. Peitschenförmige Fackeldistel. *Cierge queue de souris.*

CACTUS PENTAGONUS. Fünfeckige Fackeldistel. *Cierge divergent*, — aliaeque Cacti species in India occidentali crescentes ibidem passim ut medicamenta adhibentur.

CADMIUM, Melinum. Kadmium. Klaprothium. *Cadmium.* — In zinci mineris occurrit et a zinco in officinis metallariis vel chemicis separatur. — Metallum albo-cinerescens, splendens, ductile, malleabile, inter flectendum crepitans, zinco mollius, stannoque durius, structura densa fibrosa; p. sp. 8,7, ante quam incandescat liquefiens et volatile, p. M. 696,767; aëri expositum superficie temperatura ordinaria opacum fit, ignitum fumum edit fusco-luteum, inodorum; in acidis pluribus aegre, in acido nitri autem facile dissolubile. — Solutio decolor addito acido hydrothionico praecipitatum flavum, in liquore ammoniaci caustici insolubile, praebet. — *Usus:* Ad parandum Cadmium sulphuricum.

CALX VIVA. Lebendiger Kalk. *Chaux vive.*

Synon.: Calx seu Calcaria usta, Oxydum Calcis. Gebrannter Kalk.

Paratur ad usum vulgare in calcariis, calcinatione lapidis calcarii (calcariae carbonicae). Massa albida, pallide cinerea, flavescens, porosa, friabilis; p. sp. 2,5, ignis vim sustinens, sapore acri-alcalino, subcaustico. Cum aqua intumescens, magnopere calefiens, et in pulverem subtilissimum dilabens. — *Part. const.:* Calcii et Oxygenii aequalia M. p. — *Vis:* caustica, absorbens. In vasis optime clausis asservanda.

Sit massa compacta, levis, minime pulvis dilapsus; cum aquae dimidia parte mox calefiens, penitusque dilabens, in acido muriatico sine effervescentia fere tota dissolubilis.

Usus: Interne hodie vix ullus, externe cum cineribus clavellatis et sapone mixta ut causticum. — *Praep.:* Aqua Calcis. Calcaria muriatica et chlorata. Variis quoque compositionibus additur, et usui pharmaceutico multiplici prostat.

CALYCULI seu CUPULAE GLANDIUM QUERCUS. Eichelkelche. *Cupules.* — Quercus Roboris L., et *Q. sessiliflorae* Sm. (v. Cortex). fructuum Cupulae hemisphaericae, concavae, cinerascentes, externe tuberculatae, intus glaberrimae, sapore adstringente. — Olim in medicina adhibebantur. — Hodie exoleverunt.

CAMPHORA. Kampher. *Camphre.*

Synon.: Gummi Camphorae, Caphura. Kampfer.

E trunco, ramis foliisque *Lauri Camphorae* L. (*Perseae Camphorae* Spr.), e cl. Enneandria, ord. Monogynia, fam. Laurinearum, arboris Chinae, Cochinchinae et Japoniae, ibidem destillatione cum aqua obtenta; in officinis Europae chemicis sublimatione purgatur. — Massa crystallina, alba, diaphana, in placentis convexo-concavis affertur, cerae propemodum consistentia, parum tenax, aqua levior (particulae in aquam immissae celerrime rotantur) odore peculiari, forti aromatico, sapore aromatico amaricante, frigoris sensum in ore relinquente; volatilis, temperatura ordinaria aëri exposita sensim omnis avolat, leni calore liquescit, et temperatura 140° R. ebullit, simulque destillat vel sublimatur; igni admota facile flammam concipit et cum splendore deflagrat; in aqua parum, sed in spiritu vini, aethere et oleis facile solubilis. — Est Substantia organica sui generis, oleum aethereum quasi solidum repraesentans. — Camphora in vasis optime clausis asservanda. — *Vis:* excitans, antiseptica, diaphoretica, cet.

Usus: In pulvere, addito pauxillo spiritus vini trito; mixturis cum mucilagine gummi arabici, emulsionibus admiscetur; externe species, emplastra, unguenta ingreditur. — *Praep.:* Acetum (Aqua) Julapium, Spiritus, Vinum, Emplastrum, Oleum. Additur etiam multis compositis aromaticis.

CAMPHORA SUMATRENSIS, Sumatraischer Kampfer, *Camphre de Sumatra.* — E truncis *Dryobalanopis Camphorae* Gaert. (?), arboris sumatrensis et insulae Borneo, sponte exsudare dicitur; camphoram japonensem pretio multoties superans; apud nos non obvia.

CANCER FLUVIATILIS. Flußkrebs. *Ecrevisse.* — *Cancer Astacus* L., Astacus fluviatilis, Crustaceum notissimum, ex ord. Decapodorum, fam. Astacorum, in fluviis rivulisque frequens. — Species ingreditur ad parandam Aquam visceralem et Unguentum viride potabile.

CANELLA ALBA, Costus corticosus, Costus dulcis, Cortex Winteranus spurius. Weißer Zimmt, weißer Kanell. *Canelle blanche.* — *Canellae albae*, Murr., e cl. Monadelphia, ord. Dodecandria, fam. Guttiferarum, arboris Indiae occidentalis, Cortex. — Occurrit in frustis oblongis, tubulosis vel canaliculatis, ½ — 1¼ pollicis diametro et ½ — 1½ linearum crassitudine; superficie externa epidermide albida flavescente, plus minus pallide ferrugineo-rubicunda. Tenuiora frusta glabra, tomento brevissimo, vix conspicuo, tecta; crassiora rugoso-spongiosa, maculis nigris sparsis intermixta. Epidermide privatus, cortex albido-flavescens; superficies interna laevis, eodemque colore gaudens. Cortex durus, sed friabilis; fractura inaequalis, haud fibrosa, opaca, marmorata. Odor grate aromaticus, caryophyllaceus et cinnamomeus; sapor aromaticus, primo amariusculus, post acre-piperaceus et caryophyllaceus. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium extractivum amarum, Resina, Canellium. — *Vis:* excitans, analeptica. — *Usus:* In pulvere; plures ingreditur compositiones aromaticas. — Cave confundas canellam albam cum cortice winterano et costo.

CANELLA BRASILIENSIS. Brasilianischer Zimmt. Canella de Brazil. — Cortex, qui e Brasilia advehitur. Frusta parum convoluta, adspectu chinae flavae fibrosae, sed tenuiora, fragilia, odore et sapore debili cinnamomeo. — Est cinnamomi species, sed inferioris pretii.

† CANTHARIDES. Kanthariden. *Cantharides.*

Synon.: Muscae Hispanicae. Spanische Fliegen.

Cantharis officinalis Geoffr. (*Meloë vesicatorius* L., *Lytta vesicatoria* Fabr.). — Coleoptera e fam. Heterolytrorum, Euro-

pae meridionalis Germaniaeque, mensibus Junio-Augusto, fraxino, ligustro, syringae aliisque arboribus vel fruticibus insidentia, unde ante ortum solis colligenda, ope vaporum aquae calidorum, melius paululo olei terebinthinae, necanda, celeriterque siccanda, atque in vasis optime clausis asservanda. — Insecta sunt oblonga, 6—10 lineas longa, $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ lineas lata, viridia, vel aureo-viridia, splendentia, capite exserto declinato, obtuse-3-quetro, subcordato, antennis nigris, 11-articulatis, thorace obtuse-quadrigono, scutello minuto subrotundo-cordato, elytris oblongis, angustis, laxis, tenuibus; in corpore pilis tenerrimis sparsis obsessa, pedibus longis tenuissimis, nigris, anticis 5-, posticis 4-articulatis; odore penetrante, gravi, viroso. — *Part. const. praev.:* Principium acre-vesicans, Camphorae species (Cantharidium). *Vis:* stimulans, maxime irritans, diuretica, interne facile toxica, externe vesicans.

Insecta ab aliorum larvis corrosa rejicienda; commixtio cum insectis alienis e. g. Cetonia aurata *Fabr.* facta, facile detegitur.

Usus: Interne raro et cautissime, externe ad irritandam cutem, vesicas excitandas. — *Praep.:* Tinctura, Infusum, Extractum, Emplastra et Unguenta varia. Alias quoque compositiones ingrediuntur.

† CANTHARIDES COERULEAE ORIENTALES. Blaue Ostindische Kanthariden — *Lytta Gigas?* FABR. Ex India orientali advehuntur. Praecedentium fere gaudent figura, sed colore coeruleo ab eis discrepant; porro majores, quas femellas esse credunt, distinguuntur eo, quod macula in thorace rubro-fusca praedita sunt; minores autem carent hac macula, et mares esse creduntur (forsitan distinctae sunt species?); ambae ceterum pilis odoreque destitutae, — iisdem autem viribus gaudent irritantibus vesicantibusque, et in India orientali ut cantharides ordinariae adhibentur.

† CANTHARIDES JAVANENSES. Javanische Kanthariden. *Cantharides de Java.* — *Mylabris* species, Melolonthae vulgaris magnitudine, nigrae, splendentes, elytris vittis duabus aureis et macula rotunda aurea notatis, antennis articulatis, clavatis. — Virtute vesicatorea maxime praeditae, eodem modo ut cantharides ordinariae adhibentur.

† CANTHARIDES CHINENSES. Die Kanthariden der Chinesen. *Cantharides de Chinois.* — Praeter Mylabrin Cichorii infra describendam, etiam *Meloës trianthemae* sunt.

† CANTHARIS (Lytta) VITTATA. Kartoffelfliege. *Cantharide tachetée.* — Insectum coleopterum Americae septentrionalis, solano tuberoso insidens, figura cantharidum officinalium, sed statura minori, colore nigro, vittis marginalibus luteis, capiteque luteo, nigro-maculato. — In America boreali cantharidum loco praescribuntur.

† CANTHARIS ANTIQUORUM. Die Kantharide der Alten. — Est *Mylabris Cichorii* FABR., *Meloë Cichorii* L., in Europa meridionali et Oriente occurens. Insectum coleopterum nigrum, cantharidum habitu, elytris declinatis, flavo-rubellis, striis transversalibus tribus nigris praeditis. — *Viribus* irritantibus vesicantibus quam maxime gaudens.

† CAPITA PAPAVERIS, Codia. Mohnköpfe. *Têtes de Pavot.* — *Papaveris somniferi* L., e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Papaveracearum, plantae annuae orientalis, quae apud nos colitur, Capsulae immaturae, subglobosae, semi-multiloculares, stigmate peltato coronatae, maturae infra stigma plerumque foraminibus hiantes; semina numerosissima, minima, reniformia, albida, vel fusco-nigra, includentes. Recentes virides, pruinosae, odore viroso-narcotico; celeriter siccandae, quo facto griseo-viridescentes, fere inodorae sunt; sapore gaudent nauseoso-amaro. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum amarum, Resina et Morphium. — *Vis:* narcotica. — *Usus:* In infuso et decocto. — *Praep.:* Syrupus.

CAPO. Kapaun *Chapon.* — Gallus castratus, avis notissima, carne sapidissima, facili concoctu, pinguosa praedita, quae aegrotis forma varia ad restituendas vires commendatur. — Olim nonnullas ingrediebatur compositiones.

CAPPARIDES CONDITAE, Flores, seu Gemmae conditae Capparidis. Eingemachte Kappern. *Câpres confits.* — *Capparidis spinosae* L., e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Capparidum, fruticis Europae meridionalis, Flores inexplicati, aceto et sale conditi. Alabastra viridia, subrotunda, pedunculata, lentis et pisi magnitudine, ex calyce quadripartito, corollaque tetrapetala involuta et staminum pistillique rudimentis constantia; odore acido et sapore acido, salso, amaricante, acri. — *Usus:* diaeteticus. — *Praep.:* Oleum coctum.

CARANNA, Gummi (Resina) Carannae, Achariari. Karanna. *Caragne.* — Resina ex America meridionali, in foliis arundinaceis convoluta, advehitur, e *Bursera gummifera* L., secundum aliorum opinionem ex *Amyride* (*Icica*) *Caranna*, vel potius *Cedrota longifolia* W., arborum e fam. Terebinthacearum, effluere dicitur. Frusta griseo-fusca, viridi-nigricantia, margine diaphana. Dum recens, resina picis instar tenax, annosa vero fragilis, fractura splendente; odore levi, gumm. ammoniacae et tacamahaci simili, sapore amariusculo ingrato; leni

calore liquescens odoremque fortiorem, haud ingratum spargens; in spiritu vini plane solubilis. — Caranna similis est resinae, nomine Balsami Acouchi, Aracouchini, Alouchi p. 18.) descriptae. — *Usus:* Olim externe ut resolvens et roborans. — Hodie exolevit.

CARBO LIGNI. Holzkohle. *Charbon de bois.*

E ligno fagi, pini, tiliae aliarumque arborum indigenarum, in struibus lignorum carbonariis paratur. Carbo est nigerrimus, opacus, structura ligni frustulorum adhibitorum, compactus, asper, friabilis, in vasis clausis ignis vi immutabilis, igne aperto autem facile comburitur. — Ad parandum Carbonem purum adhibetur.

CARDAMOMI. Kardamomen. *Cardamomes.*

Synon.: Fructus Cardamomi. Kardamömlein.

Alpiniae Cardamomi Roxb., *Elettariae Cardamomi* White, e cl. Monandria, ord. Monogynia, fam. Scitaminearum, Fructus. — Capsulae 3-quetrae, membranaceae, striatae, seminibus rugosis, angulosis, fuscis, $\frac{3}{4}$ — 1 lineae longitudine, intus albis, odore gratissimo aromatico, sapore acri-aromatico praeditis, repletae. Distinguuntur:

1. Cardamomi minores, Malabarici. Kleine, Malabarische Kardamomen. *Petits Cardamomes* (plantae modo memoratae Fructus). Capsulae obtuse-triquetrae, dimidiam pollicis partem longae et tertiam crassae, albidae, pallide griseo-flavescentes.

2. Cardamomi longi, Ceylanici. Lange, Ceylonische Kardamomen. *Cardamomes longs.* — (E varietate Alpiniae Cardamomi vel specie valde affini derivantur). Capsulae obtuse 3-quetrae, utrinque acuminatae, unciam ad sesquiunciam longae, $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{3}$ unciam crassae, colore obscure violaceo-griseo-fusco. Semina includunt praecedentibus paululo longiora, ceterum eodem gaudent odore ac sapore. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* excitans, stomachica, carminativa.

Semina in capsulis inclusa emenda et asservanda; maxime aromatica sint oportet; pallida, parumque odorata rejicienda. Cave confundas cardamomos cum speciebus infra describendis.

Usus: Semina in pulvere. — *Praep.:* Oleum, Tinctura. Multis praeterea adduntur compositionibus aromaticis.

CARDAMOMI MAJORES. Große Kardamomen — *Amomi angustifolii* Sonner., plantae madagascariensis (?), Fructus. — Capsulae cuneiformes, subtriquetrae, sulcato-striatae fuscae, caricae formam aemulantes seminibus oblongis, castaneis, glabris, nitentibus, parum aromaticis, repletae.

CARDAMOMI MEDII. Mittlere Kardamomen — *Elettariae Cardamomi medii*, Nees ab Esenb. (*Alpiniae mediae* Spr.), plantae in insula Coromandel occurrentis, Fructus. Capsulae obtuse 3-quetrae, ovales, unciam circiter longae, dimidiamque crassae, costato-striatae, colore griseo-fusco, semina includentes angulosa, griseo-fusca, officinalibus paullo majora, minusque grate aromatica.

CARDAMOMI ROTUNDI. Runde Kardamomen. — *Amomi Cardamomi* L. (Cl. cet. ut supra), plantae sumatrensis, Javaeque, Fructus. — Capsulae obtusissime 3-quetrae, subglobosae, pisi ad cerasi minoris magnitudine, sordide albidae, griseo-flavescentes, cardamomorum minorum similes, seminaque includentes eorum similia, sed paullo majora; dum recentia, odore ac sapore aeque penetrante aromatico. Hodie autem plerumque vetusti occurrunt.

CARICAE. Feigen. *Figues.*

Synon.: Fici, Ficus Passae.

Fici Caricae L., e cl. Monoecia, ord. Triandria, fam. Urticearum, trib. Artocarpearum, arboris Europae meridionalis et Orientis (qui dicuntur) Fructus.—Anthoclinia (coenanthii) carnosa pyriformia, umbilicata; immatura viridia, matura fusca, rubra, violacea, flava, in longitudinem leviter sulcata, apice glabra, mollia, carnosa, primo flores, post caryopsides unculaceas exiguas, albicantes, includentia; odore peculiari, sapore grate dulci. Caricae siccatae in officinis prostant compressae, colore albo-vel pallide fusco-flavescente. Optimae sunt orientales, Smyrna venientes, valde carnosae, dulcissimae, Caricae pingues (fette Feigen).— *Part. const. praev.:* Saccharum et Mucilago.— *Vis:* emolliens, pectoralis, nutriens.

Caricae nigrescentes, exsuccae, fere insipidae vel acidulae, odoris ingrati et ab insectis erosae, rejiciendae.

Usus: diaeteticus; adduntur decoctis. — *Praep.:* Pulpa, Species pectorales Augustanae.

CARO, Fleisch, *Chair*, — plurium animalium olim in usum medicum vocabatur (vide animalia ipsa). — Hodie plerumque exolevit, et tantum nutriendi ergo, ut notissimum, partim adhibetur.

CARPOBALSAMUM. Balsamkörner.— *Balsamodendri gileadensis* (p. 20.). Fructus.— Baccae drupaceae, subrotundae, pisi minoris magnitudine, rugosae, lineis quatuor eminentibus insignitae, pedunculo brevi praeditae, nucleumque album includentes; odore ac sapore levi aromatico. — Hodie exoleverunt.

CARYOPHYLLI AROMATICI. Gewürznelken. *Clous de Girofle.*

Synon.: Kreide• oder Gewürznäglein.

Myrti Caryophylli Spr. (*Caryophylli aromatici* L.), e cl. Icosandria, ord. Monogynia, fam. Myrtacearum, arboris Indiae orientalis, praecipue insularum Moluccarum, quae nunc etiam in India occidentali colitur, Flores inexplicati, obscure rubro-fusci, figuram clavi minoris simulantes; tubi calycini tetragono-sulcati, pedunculo crasso similes, in limbum quadridentatum desinentes, cui corolla adhuc clausa, 4-gono-globosa, tetrapetala insidet. Caryophylli maxime aromatici, odoris gratissime fragrantis, saporisque acre-aromatici. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum.— *Vis:* irritans, stomachica.

Sint brunnei, ponderosi, odoratissimi, acre-aromatici, tritu oleum exsudantes; pallidi vero, corrugati, parum aromatici, rejiciendi.

Usus: In pulvere, electuariis pilulisque.— *Praep.:* Tinctura, Oleum, Aqua. Adduntur multis etiam aliis compositionibus aromaticis.

CASCA PRETIOSA. — Cortex *Cryptocaryae pretiosae* Mart. (Cl. cet. v. Cinnamomum) ex America meridionali, Rio negro, veniens, in frustis canaliculatis, crassis, externe rugosis, obscure fuscis, intus aperis brunneis, duris, odoris et saporis aromatici cinnamomei.

CASEUS. Käse. *Fromage.* — E lacte vaccino coagulatione obtinetur. Materia alba, molli-elastica, insipida et inodora, in aqua frigida et spiritu vini vix solubilis, facile tamen in liquoribus alcalinis; aëri exposita mox putrescit et saporum odoremque proprium acrem assumit. — Est Principium proprium organicum azoticum, cum Acido junctum. — *Vis:* nutriens. — *Usus:* diaeteticus. — Varia e lacte praeparata caseum continent; pharmacopolis ut lutum inservit.

CASSAVE, Tapioca-Farinha, Mandioka, Farine de Cassave. — Faecula radicis *Janiphae* (*Jatropheae Manihot*, e cl. Monoecia, ord. Monadelphia, fam. Euphorbiacearum, fruticis Americae meridionalis.

— Pulvis grossus albidus, sublutescens, ex particulis partim compressis, squamosis, diaphanis, cum parenchymate radicum fibroso mixtus, constans. — Est maxima ex parte Amylum. — *Usus:* diaeteticus, ut arrow root (p. 8.) et sago.

CASSIA CARYOPHYLLATA, Canella Cubana. Nelkenzimmt, Nelkenrinde. *Ecorce de Canelle giroflé, Bois de Crabe.* — *Perseae caryophyllaceae* MART. (Cl. cet. v. Cinnamomum), arboris Brasiliae, Cortex. — Duae hujus corticis species occurrunt; altera in frustulis canaliculatis vel planis, tenuibus, fragilibus, obscure brunneis, epidermide passim albo-vel griseo-maculata; altera in frustis majoribus, crassioribus, durioribus, convolutis, quarum plures invicem involvuntur; colore paululo pallidiore, epidermide glabra castanea. Odor horum corticum et sapor aromaticus, caryophyllaceus; omnino posteriori praestantiores sunt. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Usus:* Ut caryophyllorum; sed hodie apud nos vix praescibitur.

CASSIA FISTULA, Siliqua purgatrix. Röhrenkassie. *Casse en Bâtons.* — *Cassiae Fistulae* L., e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Leguminosarum, arboris orientalis, Chinae, Cochinchinae, utriusque Indiae et Americae meridionalis, Fructus. — Lomentum cylindricum rectum, vel parum curvatum, pedale, sesquipedale et ultra, semiunciam ad unciam crassum, obscure castaneum, glabrum, non dehiscens, cortice duriori tenui, fere lignoso, intus dissepimentis transversalibus, pulpa molli, nigro-viridescente-fusca, dulci, repletis, et semen rotundo-compressum, pisi magnitudine, colore luteo fusco includentibus, praeditum. — *Partes pulpae praev.:* Saccharum et Principium extractivum proprium. — *Vis:* purgans. — *Usus:* Ad parandam pulpam. — Lomenta vetusta, corrupta, dissepimentis vacuis vel mucore repletis, inter agitandum crepitantia, rejicienda.

CASSIA LIGNEA, Xylocassia. Mutterzimmt, Kassienrinde. *Cassie en bois.* — *Perseae Tamalae* SPR. (*Lauri Tamalae* HAMILT.), e cl. Enneandria. ord. Monogynia, fam. Laurinearum, arboris Indiae orientalis, Cortex intermedius, Cinnamomo indico (p. 37.) simillimus, eodem gaudens odore ac sapore, sed multo inferiori! simulque magis mucilaginoso et adstringente. Distinguuntur: *Cassia lignea tenuis convoluta*, cinnamomi praestantioris adspectu, et *Cassia lignea crassa vel plana*, priori magis aromatica. — *Part. const.* et *Usus:* ut cinnamomi, sed jure hodie raro praescribitur.

CASTANEAE EQUINAE, Semina Hippocastani. Roßkastanien, wilde Kastanien. *Marrons d'Inde.* — *Aesculi Hippocastani* (Fl. Bad. II. 129.), e cl. Heptandria, ord. Monogynia, fam. Hippocastanearum, arboris Asiae indigenae, apud nos nunc vulgaris, Semina, castanearum esculentarum similia, earumque magnitudine, subhemisphaerica vel subrotunda, brunnea, nitentia, sub cute coriacea, adstringente, nucleum solidum album, subdulce-adstringentem, ingrato-peramarum, includentia. — *Part. const. praev.:* Amylum, Principium amarum et adstringens, Saccharum, Oleum pingue. — *Vis:* adstringens, nutriens. — *Usus:* Semina tosta in decocto.

CASTANEAE VESCAE, esculentae. Zahme echte Kastanien, Maronen. *Chataignes.* - *Castaneae vescae* GAERTN.. *Fagi castaneae* L. (Fl. Bad. III. 702.), e cl. Monoecia, ord. Polyandria, fam. Cupuliferarum, arboris Europae meridionalis et Americae, quae apud nos colitur, Achaenae nuculaceae, plerumque grandes, subcordato-hemisphaericae, breviter acuminatae, brunneae, nitentes; sub cute coriacea, intus tomentosa, album farinoso-dulcescentem includentes nucleum, qui caloris ope saporem grate dulcem assumit. — *Part. const. praev.:* Amylum, Saccharum, et Oleum pingue. — *Vis:* nutriens. — *Usus:* diaeteticus.

CASTOREUM. Bibergeil. *Castoreum.*

Castoris Fiberis L., e cl. Mammalium, ord. Prensiculantium, fam. Palmipedum, animalis Europae, Asiae et Americae mediae borealisque ripas fluviorum et paludum inhabitantis, Folliculi oblongi, quorum duo inter anum et genitalia, tam in maribus quam in foeminis reperiuntur, secretum proprium, resinoso-oleosum continentes. Castoreum Sibiricum seu Rossicum, Sibirisches oder Russisches Bibergeil, quocum Castoreum Germanicum et Polonicum convenit, optimum est! Folliculi sunt bini, plerumque inaequales, ovato-pyriformes, conici, parum compressi, in basi rotundati, obscure-fusci, glabri, 3—4 uncias longi, supra basin 1½ 2 uncias et ultra lati, ponderosi, reliquiis plerumque folliculorum adiposorum praediti. Recentes, molles; siccati, coriacei, massam continentes resinosam, quae recens, unguenti consistentia, aurantiaca; siccata, solida, plus minus friabilis vel tenax, fusco-rubella, vel fusco-flavicans. Massa multivariae colorum gradationis saepius est variegata, opaca vel plus minus nitens, lamellis interioris folliculi

cutis reticulatim intertexta; odoratissima, nauseosa, sapore acri-aethereo, amariusculo, ingrato; in aqua vix solubilis, in spiritu vini facile magna ex parte.— *Part. const. praev.*: Resina propria, Castorinum et Oleum aethereum. — *Vis*: excitans, antispasmodica, antihysterica: Castoreum in vasis optime clausis asservandum.

Folliculi sint turgidi, ponderosi, glabri, cuti crassiuscula praediti, descripta massa cellulis cutaneis cum folliculi cute concretis intertexta repleti; siccati, non corrugati; quod autem in medio cavitatem habeant, incertum bonitatis est signum. Odor proprius, penetrantissimus, certissima est bonitatis nota.

Usus: In pulvere, pilulis et electuario. — *Praep.*: Tinctura simplex, aetherea et composita; seu Elixir antihystericum, Oleum Castorei, Aqua Castorei, Pulvis antihystericus; et additur pluribus aliis compositionibus. — Inferioris pretii est

CASTOREUM CANADENSE, de Canada, Anglicum. Kanadisches oder Englisches Bibergeil. — In folliculis occurrit minoribus, magis corrugatis, externe rugosis, oblongis, tenuioribus, in basi angustioribus, folliculorum adiposorum vestigiis plerumque carentibus, cuti tenuiori, subpapyracea praeditis. Massa interna priorum similis, saepius autem fragilior, resinosoque nitore, odore quidem analogo, sed multo debiliori, sapore plerumque amariori. — Ceterum *part. const.* ut praecedentis, sed Olei aetherei minus continens.

CATELLI. Junge Hunde. *Petits chiens nouvellement nés.*— Canis familiaris, animalis notissimi, Pulli, qui inepte cum oleo unguinoso coquebantur.

CATECHU. Katechu. *Cachou.*

Synon.: Succus Catechu, Terra Japonica. Japanische Erde.

Extractum inspissatum *Acaciae Catechu* L., aliarumque specierum Acaciae, e cl. Monadelphia, ord. Polyandria, fam. Leguminosarum, arboris Indiae orientalis, uti et aliarum plantarum adstringentium.— Occurrit vel in frustis solidis, compactis, placentiformibus, aut irregularibus, ponderosis, coloris obscure-fusci, rubicundi, quae fracta saepius strata pallidiora cum obscurioribus alternantia exhibent; vel in cubis pollicis magnitudine, levioribus magisque friabilibus, externe nigro-fusco, in fractura pallidiore colore quam antecedentis (Extractum *Naucleae Gambir* HUNT., e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Rubiacearum, fruticis Indiae orientalis). Catechu inodorum, sapore gaudet peradstringente, post amariusculo, subdulci; in aqua maxima ex parte, in spiritu vini ex toto, solubile; solutio liquore ferri muriatici oxydati nigro-viride turbatur. — *Part. const. praev.*: Principium adstringens. — *Vis*: adstringens.

Sit saporis peradstringentis, in spiritu vini diluto penitus vel prope penitus solubile; solutio liquore ferri muriatici oxydati viridi, minime coeruleo-nigro colore turbetur, alioquin rejiciendum; Catechu terreis partibus inquinatum, in alcohole ex parte tantum solubile, equidem rejiciendum.

Usus: In pulvere, pilulis, electuariis mixturisque. — *Praep.*: Tinctura, Electuarium, Trochisci.

CAUTSCHUC, Cahuchu, Gummi elasticum, Resina elastica seu Cajennensis. Kautschuck, Federharz, Lederharz *Caoutchouc, Gomme* ou *Resine elastique de Cajenne.* — Succus lacteus et aëre induratus *Syphoniae elasticae* PERS. (*Jatrophae elasticae* L., *Heveae guianensis* AUBL.), e cl. Monoecia, ord. Monadelphia, fam. Euphorbiacearum, arboris Brasiliae et Gujanae, *Urceolae elasticae* ROXB. (*Tabernae montanae* SPR.

e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Contortarum, fruticis scandentis sumatrensis et jamaicensis, aliarumque arborum lactescentium, ut specierum *Ficus*, *Lobeliae Cautschuc*, *Cecropiae peltatae*, cet.—Occurrit plerumque in lagenis subglobosis variae magnitudinis, uti et in placentis crassis compressis, colore fusco, plus minus obscuro, intus pallidiore, passim albido. Cautschuc est materia resinosa sui generis, solida, corii consistentia, sed maxime elastica, flexilis, inodora et insipida, p. sp. 0,9335, leni calore mollescens et liquescens, facile inflammabilis, in aqua plane insolubilis, sed in aqua calida intumescens et mollescens, insolubilis quoque in alcohole vini, solubilis vero in aethere et variis oleis, cum aethereis, tum pinguibus. — *Usus:* Ut medicamentum non adhibetur; inservit autem ad paranda instrumenta chirurgica et pharmacopola ad luta apprime utilia.

CERA. Wachs. *Cire.*

Ab *Apibus mellificis* L., insectis notissimis, ex ordine Hymenopterorum, fam. Apium, e florum polline aliisque plantarum partibus colligitur, et in eorum corpore quodammodo mutata, ad conficiendos favos usurpatur. Eliquatione depuratur. — Massa solida, parum tenax, pinguoso-glutinosa, digitis tractabilis, fractura granuloso-fissili, aqua frigida levior, colore plus minus flavo; subdiaphana, parum nitens, propemodum insipida, odore levi submelleo: Cera citrina, flava, Gelbes Wachs. Radiis solaribus exposita et aqua irrorata, itemque chlori aquosi ope, albescit, magisque diaphana fit: Cera alba, Weißes Wachs, quae durior, fragiliorque. Cera leni calore liquescit, ellychnii ope igni admota cum flamma splendente, pinguedinis instar, deflagrat, in aqua et spiritu vini frigido haud solubilis, in alcohole calido et aethere modice solubilis. — Substantia est organica sui generis, adipi affinis, ex Myricino et Cerino constans. — *Vis:* leniens.

Sit consistentia duriori, tactu non pinguis, odoris saporisque haud ingrate rancidi, leni calore liquescens: liquata liquorem clarum, oleo similem, exhibens, in spiritu vini rectificato plane insolubilis.

Usus: Interne raro, in emulsione, electuario; externe ad unguenta et emplastra. — *Praep.:* Spongia cerata, Ceratum Saturni, Charta cerata, Sparadrap, Oleum Cerae, Ceratum citrinum, simplex, Cera arborea, viridis, Cereoli, Unguentum cereum, pomadinum, ad Labia; praeterea multis aliis emplastris et unguentis admiscetur.

CERA JAPONICA (improprie Cera Americana nominata). Javanisches Wachs, Baumwachs, (fälschlich Amerikanisches genannt). *Cire de Japon.* — Hoc nomine Pinguedo peculiaris novissimis temporibus in commercio prostat, ex *Rhoe succedanea* L. derivata, Cerae albae persimilis, sed minus alba, plus flavescens, consistentia submolliori et fragiliori, odore subrancido; calore facilius liquefit, facilior solutu in alcohole et aethere, cum alcalibus facile saponem constituit. — Plus Oxygenii quam Cera vera continet. — Tanquam constituens ad paranda varia emplastra inservire potest.

CERAMBYX MOSCHATUS, Callichroma Moschata Latr. Bisam-Käfer, Bisam-Holzbock *Capricorne musqué.* — Scarabeus e fam. Xylophagarum, salicibus insidens, pollicis et ultra magnitudine, corpore angusto subcylindrico, cantharidum simili, subviscido, elytris viridi aureis, subcupreis, thorace aculeato, violaceo-cupreo, antennis longissimis coeruleis, 11-articulatis, pedibus longis 4-articulatis; odorem spargens fortem moschi similem, praecipue si irritatur. — Nuper ut medicamentum commendatus est. — *Praep.:* Spiritus abstractus.

CERASA ACIDA. Saure Kirschen. *Cerises acides.*

Pruni Cerasi L. (Fl. Bad. II. 358.), e cl. Icosandria, ord. Monogynia, fam. Rosacearum, arboris notissimae, Fructus. — Drupae subglobosae, nigro-fuscae, nitentes, succo sanguineo turgentes, putamen rotundatum, laeviusculum, durissimum includentes. Eli-

genda sunt austero-acida, subdulcia, Cerasa caproniana Dec., var. melanocarpa. Schwarze Weichsel. — *Part. const. praev.:* Acidum malicum, Saccharum et Principium extractivum colorans. — *Vis:* refrigerans, nutriens.

Usus: diaeteticus; Cerasa siccata in decocto praescribuntur. — *Praep.:* Succus, Syrupus, Roob.

CERASA DULCIA NIGRA. Schwarze süße Waldkirschen. *Merises.* — *Pruni Avium* L., var. fructu nigro (Fl. Bad. II. 359. — Cl. cet. v. supra), arboris vulgaris, Fructus. Drupae globosae, fusco-nigrae, nitentes, praecedentibus plerumque minores, succulentae, sapore grate dulci, vix acidulo. — *Part. const. praev.:* praecedentium similes, sed plus Sacchari uti et plus Acidi borussici. — *Vis:* nutriens. — *Usus:* diaeteticus. — *Praep.:* Aqua, Spiritus.

CEREVISIA, Vinum Cereris. Bier. *Bière.* — Potus notissimus ex malto hordei (passimque cerealis, tritici, avenae) coctione cum aqua et fermentatione factus floribusque lupuli conditus, odore vinoso et sapore vinoso, simulque plus minus dulciusculo et amaro. Multae sunt Cerevisiae varietates, e. g. alba et brunnea, cet. — Sit sincera, odoris et saporis grate vinosi minimeque acidi. — Cerevisia passim ad paranda infusa, sed raro, adhibetur.

† CERUSSA ALBA. Bleiweiß. *Ceruse.*

Synon.: Plumbum subcarbonicum, Subcarbonas Plumbi, Album Plumbi.

Paratur in officinis chemicis ex plumbo, quod a vaporibus aceticis corroditur. — Massa albissima, ponderosa, lamellas ex stratis tenuibus constantes formans, Cerussa in Lamellis (Armentum), Schieferweiß, quae optima est; vel pulvis albissimus ponderosus, plerumque in conis parum cohaerentibus, pressione formatis, occurrens, Cerussa Veneta, Hollandica, Anglica, Germanica, cet. Venetianisches, Holländisches, Englisches, Deutsches u. s. w. Bleiweiß; insipida, in aqua paene insolubilis, in acido nitri et aceti penitus dissolubilis. — *Part. const.:* Plumbum carbonicum, cum Plumbo parte sexta acetico mixtum.

Sit albissima, in acido nitri, inter effervescendum, ex toto dissolubilis, qua quidem ex solutione acidi sulphurici ope tota, acidi salis ope fere tota praecipitetur. Rejicienda cerussa, spatho ponderoso, gypso, vel creta inquinata. — Cerussa praecipitatione ex solutione plumbi acetici cum acido carbonico parata, quae levior, ad emplastrum cerussae parandum non est idonea.

Usus: Externe, in pulvere, ad unguenta et emplastra. — *Praep.:* Emplastrum album coctum, Unguentum album. Plures alias quoque compositiones ingreditur.

CERUSSA CITRINA, Massicot, Plumbum oxydatum citrinum, Oxydum Plumbi citrinum. Gelbes Bleioxyd, Massikot, Bleigelb. *Ceruse jaune, Oxyde de Plomb citrin.* — Paratur in officinis peculiaribus calcinando plumbum metallicum igne modico, aëre admisso, dum metallum penitus in pulverem flavo-rubentem mutatum sit. — Est Oxydum plumbi purum, ad paranda Salia plumbica praecipue aptum, — quod et ad parandum Minium usurpatur.

CHALCITIS, Colcothar nativum. Chalcit. *Le Chalcidis.* — Minera ferrea e Ferro oxydato cum Ferro sulphurico et plerumque Cupri vestigiis mixta, decompositione Vitrioli Martis nativi orta. — Olim ut medicamentum adhibebatur. — Hodie merito exolevit.

CHALYBS. Stahl. *Acier.* — Ferri species, durissima maximeque elastica, colore pallidiore, magisque splendens, p. sp. 7,8 et ultra; facilius quoque funditur. — Constat e Ferro cum parva Carbonei quantitate mixto. — *Vires* ferri habet eodemque modo adhibetur (v. Ferrum).

CHELAE CANCRORUM. Krebsscheeren. *Pinces d'Ecrevisses.* — *Cancri Paguri* L., Crustacei, e fam. Cancrorum, in mari vulgaris, Chelae grandes, rubro-flavae, apice nigrae. — Maxima ex parte e Calcaria carbonica cum parva quantita e Calcariae phosphoricae, constantes. — Hodie obsoletae.

CHICA. — Massa faeculoso-resinosa, cinnabarina, quae e foliis *Bignoniae Chicae* HUMB., e cl. Didynamia, ord. Angiospermia, fam. Bignoniacearum, arboris Americae meridionalis, paratur, et simili modo atque orleana ad tingendum adhibetur.

CHINA. Chinarinde. *Quinquina.*

Synon.: Cortex Chinae, Peruvianus, Kinkinae, antifebrilis, antiquarticus, febrifugus. Peruvianische Rinde, Fieberrinde.

Cinchonae specierum, e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Rubiacearum, arborum Americae meridionalis, praesertim terrae Peruanae, Novae Granadae, in jugis alpinis et subalpinis crescentium, Cortices. Inter praecipue usitatos numerandi sunt:

CHINA HUANUCO. Huanuco- oder Yanuco-Chinarinde.

Synon.: China grisea, (fusca) officinalis. Graue (braune), Lima-China.

Cinchonae purpureae RUIZ et PAV.? (*C. nitidae* ROEM. et SCHULT.?) Cortex. — Frusta convoluta et involuta seu dupliciter convoluta, tubulosa, plerumque longa, ex ramis junioribus desumta, pennae scriptoriae ad quartam pollicis partem, ex annosioribus autem pollicis et ultra diametro, $\frac{1}{3}$ — 5 lineas crassa, cortice exteriori tenui, duro, vestita, sulcis longitudinalibus praevalentibus, rimis transversalibus minimis; epidermide cinerea, coerulescente, albido- et nigro-maculata, lichenibus minoribus, plerumque crustaceis, obsessa. Cortex exterior, epidermide ablata, fusco-griseus, vel cinnamomeus, cortex interior (liber) pallide-obscureque ferrugineus; superficies interna inaequalis, fissilis, fractura transversalis plana, resinosa, interius fissilis. Odor argillaceus, sapor primo acidulo-adstringens, aliquantulum aromaticus, post grate amarus, linguae diu adhaerens. — *Part. const. praev.:* Cinchonium praecipue, Chinium, Acidum chinicum et Principium adstringens. — *Vis:* antifebrilis, tonica, roborans.

Sit ponderosa, dura, frusta exhibens mediocri crassitudine, color superficiei interioris non obscurus, sapor grate adstringens, amarus. Frusta tenuissima, levia, libro carentia, parum sapida, rejicienda. Decoctum aquosum, quam diu calidum, brunneum clarumque sit, refrigescens autem valde turbidum fiat, coloremque assumat luteo-fuscum, infuso coffeae, lacte commixto, similem; filtratum, clarum, pallide flavo-fuscescens evadat, addito ferro muriatico oxydato colorem obscure viridem, minimeque coeruleo-nigrum adquirat; additaque tinctura gallarum, vel solutione alcalina valde albide, sed addita gelatina animali parum tantum turbetur.

CHINA HUAMALIES, Guamalies, seu Abomalies, China fusca, Cortex Peruvianus fuscus. Braune China. *Quinquina brun.* — *Cinchonae lancifoliae* MUT.(?) Cortex. — Frusta priorum quoad formam crassitudinemque simillima. Distinguuntur autem hisce: cortice exteriori molliori, magisque in frustulis tenuioribus glabro, in frustis vero crassioribus saepius verrucoso, rimis transversalibus plerumque carente; colore fusco-griseo seu hepatico, interdum purpurascente. Frusta plerumque lichenibus crustaceis vestita et maculata sunt; epidermide privatus, cortex exterior ochraceus; interna superficies obscure ferruginea, subrubella, laevis, e fibris tenuissimis constans. Odor debilis, aromaticus, haud ingratus, sapor mediocriter ama-

rus, parum adstringens. — *Part. const. praev.:* ut praecedentis, minor autem Alcalium ubertas.

CHINA LOXA, Corona. Loxachina, Kronchina. *Quinquina Loxa.* — *Cinchonae Condamineae* HUMB. et BONPL. (?) (*Cinchonae scrobiculatae* H. et B. ?) Cortex. — Frusta praecedentium simillima, cortice tamen exteriori duriori, magisque rugoso, aspero, in superficie externa fissuras transversales praevalentes, annulos plerumque cum marginibus elevatis formantes, exhibentia; epidermide obscure-grisea, fuscescente, albido- et nigro-maculata, saepissime lichenibus crustaceis uti et majoribus foliaceis tecta, superficie interna glabra, cinnamomea, opaca. Odor idem qui corticis coriarii, sapor primo acidulus, post peradstringens, amariusculus. — *Part. const. praev.:* quae praecedentis.

Alia species, quam veram Chinam Loxam seu Coronalem esse tradunt, a *Cinchona Condaminea* derivata, colore magis obscure-fusco, in superficie externa tuberculis sparsis flavo-rubellis passim obsessa, sapore validiore magis amaro, hodie perraro in commercio occurrit.

CHINA PSEUDO-LOXA. Falsche Loxa oder dunkle Ten-China. — *Cinchonae lancifoliae* MUTIS (?) Cortex. — Praecedenti speciei simillimus, differt autem tubulis plerumque curvatis seu flexuosis, diametro inaequali, margine obliquo, lacero, cortice exteriori saepius molliori, fissurisque magis interruptis, epidermide griseo-maculata, lichenibus foliaceis majoribus, praesertim Usnea, saepissime vestita, qui totum fere corticem obvolvunt; superficie interna inaequali, fibroso-fissili, coloreque ferrugineo, cinnamomeo. Cortex hic fragilior leviorque est, fractura transversali fibroso-fissili, odore et sapore eodem quo praecedens, simulque mucorem redolens. — *Part. const. praev.:* praecedentis, multo minoris autem valoris.

CHINA JAEN, TEN. Jaen- oder Ten-China. — Praecedenti maxime affinis, forsitan subspecies, in iisdem tubulis inaequalibus, curvatis, occurrit: differt autem epidermide pallidiori, sordide grisea, flavescente, plerumque glabra, molliori, quasi spongiosa, ungue facile defricanda, lichenibus majoribus saepe carente; superficie interna modo aequali, modo inaequali, fissili, colore cinnamomeo-ferrugineo, opaco. Cortex est laevis fragilisque, fractura aequali, plus minus fissili, languida, odore levi coriaceo, sapore acidulo, parum adstringente, amariusculo. — *Part. const. praev.:* praecedentium, sed omnium minimi pretii.

CHINA REGIA. Königschina. *Quinquina royal.*

Synon.: Cortex Chinae regius, China Calisaya, Quinquina jaune.

Cinchonae cordifoliae MUT. (?) vel *lancifoliae* MUT. (?) Cortex. Frusta forma et magnitudine diversa, plerumque crassa, coloris cinnamomei, cortice exteriori partim vestita, partim privata, superficie interna laevi. Distinguuntur: 1) China regia plana. Flache Königschina, ächte Calisayarinde. Frusta plana vel parum canaliculata, crassiora, 1 — 5 lineas complectentia, cortice exteriori plerumque privata; quae optima est. 2) China regia convoluta. Röhrige Königschina. Frusta convoluta, dupliciter convoluta, variae magnitudinis, plerumque tamen crassiora 1 — 1½ pollicis diametro et 3 — 6 lineas crassa; cortice exteriori cum epidermide plerumque vestita, superficie exteriori rugosissima, gibbosa, fissurisque transversalibus cum margine elevato, plerumque annulatim, perarata. Epidermis pallide cinerea, lichenibus vestita, versicolor. Cortex tenuis chinae Huanuco et Loxae simillimus. Frusta crassa epidermide partim privata, fusco-maculata. China regia aliquantulum flexilis, tenax, difficulter in pulverem subtilissimum redigitur; fractura transversali corticis exterioris plana, interioris fissili; odore levissime coriario, sapore omnium specierum amarissimo est. — *Part. const. praev.:* praecedentium similes, sed Chinio prae omnibus praedominante. — *Vis:* eadem. Praestantissima est species.

Sint frusta plana cinnamomea, uti supra jam descripta, ponderosa, cortice exteriori carentia, sapore amarissimo. Decoctum aquosum refrigescens valde lactescat, filtratum, addito sale Glauberi, turbidum fiat; maximeque praecipitetur solutione alcalina et tinctura gallarum;

addito autem liquore ferri muriatici oxydati, colorem viridem induat. Minoris pretii est China regia convoluta, cortice exteriori adhuc tecta. — Cave confundas cum China flava, rubiginosa et Cusco, infra describendis.

CHINA RUBRA. Rothe China. *Quinquina rouge.*

Cinchonae oblongifoliae Lamb. (?) Cortex. -- Frusta partim convoluta, tubulosa, partim canaliculata, raro plana, variae magnitudinis; plerumque crassiora, 1—8 lineas complectentia, brunneo-rubra, cortice exteriori levi, partim molli, spongioso, fragili, praedita; superficie externa inaequali gibbosa, sulcato-rugosa, semper partim verrucosa, epidermide rubro-brunnea, griseo-fusca, partim tecta, lichenibusque variis crustaceis et foliaceis passim maculata; superficie interna inaequali, lignosa, fibroso-fissili, colore partim rubiginoso, plerumque autem saturate rubro-fusco, opaco. China rubra praecedente fragilior; fractura transversali plana, simulque fibrosa, fissili, colore castaneo, in medio nitente; odore debiliter coriario, sapore aromatico-adstringente, peramaro, praecedente autem inferior est. — *Part. const. praev.*: ut praecedentium, sed Cinchonii et Chinii aequalia fere p. M. — *Vis*: eadem. — Praestans est species.

China rubra tam externe quam interne obscure rubro-brunnea, in frustis crassioribus occurrens, ponderosa, sapore valde amaro-adstringente, haud ingrato, optima est — Minoris pretii sunt frusta, levia, pallida. Decoctum calidum obscure sit fuscum, refrigescens valde lactescat, filtratum colore flavo-rufescente, minime rubro appareat. Ceterum ad reagentia eodem modo sese habeat ac praecedens.

CHINA FLAVA DURA, China de Carthagena. Harte gelbe China. *Quinquina de Carthagéne dur, China amarilla.* — *Cinchonae oblongifoliae* Mut. *Cinchonae cordifoliae* Mut. (?) Cortex. — Frusta convoluta, tubulosa vel plana, variae magnitudinis, plerumque 1—4 lineas et ultra crassa, colore ochraceo, subfuscescente, opaco; plerumque cortice exteriori passim vel plane privata; si autem adest, superficies externa aequalis. parum sulcata et resinosa, epidermide sordide albida flavescente passim tecta lichenibusque minoribus crustaceis raro obsessa, ceteroquin cortex exterior praecedenti similis, mollis, fragilisque, cortex interior (liber) compactus, superficie interna corticis tubulosi aequali, plani vero inaequali, partim sulcato-fissili; fractura transversali breviter fissili, fibrosa, fractura longitudinali fibrosa, punctisque albis splendentibus conspicua; odore debili, quasi terreo, sapore, primo levissimo, post amaro subadstringente, sed chinae rubrae sapore inferiori. — *Part. const. praev.*: ut praecedentis, in eadem proportione. sed minore quantitate.

CHINA FLAVA FIBROSA. Gelbe faserige China. *Quinquina orange.* — *Cinchonae cordifoliae* Mutis (?) Cortex. — Praecedenti simillima; differt colore plerumque laete ochraceo, superficie externa et interna aequali; aspera. Liber cortice exteriori suberoso plerumque est privatus, levis, maxime fibrosus, tenax, fractura longe fissilis, fibrosa; odor levissimus, coriarius; sapor primo vix sensibilis, post diuturnam masticationem autem amarus, subadstringens, sed ante descriptarum omnium quoad saporem debilior. — *Part. const. praev.*: ut praecedentis.

CHINA RUBIGINOSA. Rostfarbene China. — E Peru (?) advehitur et occurrit in frustis priorum simillimis et quidem partim chinae flavae durae consistentia ac forma, sed partim latioribus et crassioribus, magisque ponderosis, saepius curvatis, flexuosis, cortice exteriori crassiori, passim verrucoso rugoso plerumque obsessis, hinc chinae regiae quoque similibus; colore autem fere chinae flavae fibrosae, sed magis rubiginoso, et sapore amariore. *Part. const.*: praecedentium. Omnium chinae spe-

cierum maxime Cinchonio abundat, Chinio autem omnino fere caret, ideoque Chinae Huanuco (p. 32.) proxima.

CHINA CUSCO, Cortex Aracensis. Cusco-China *Ecorce d'Arica.*— E Cusco in Peru veniens.— Frusta prioris similia, crassa, densa, ponderosa, canaliculata, coloris obscurioris cinnamomei, cortice exteriori tenuiori duriorique vestita, epidermide autem plerumque detrita, ideoque superficie externa laevi, interna vero aspera, fissili, fractura transversali obliqua, breviter fissili, sapore acerbo, peramaro, simulque aliquantulum aromatico-piperato. — *Part. const. praev.:* Alcali organicum proprium, Cinchonio simile, cum acido sulphurico sal formans, cujus solutio aquosa concentrata gelatinam albam praebet tremulam, addito acido nitrico colorem assumit viridem.

Usus: Interne et externe chinarum species administrantur; in substantia forma pulveris, pilularum, boli, electuarii et mixturae, in decocto vel infuso. — *Praep.:* Extractum, Tinctura, Vinum, Syrupus. Multis et aliis additur compositionibus. Porro: Chinium et Cinchonium sulphuricum, muriaticum, aliaque salia et composita ex his alcalibus.

Ad usum medicum solummodo China Huanuco, Ch. regia et Ch. rubra (forsitan etiam China rubiginosa, quod praxis docebit), reliquae nonnisi ad Chinium et Cinchonium parandum adhibeantur.

CHINAE FALSAE. Falsche Chinaarten. *Quinquinas faux.*

Plures etiam cortices nomine Chinae occurrunt, minime tamen ab ulla *Cinchonae* specie ortum ducentes; a Chinis veris diversissimi et Chinio Cinchonioque omnino carentes. Huc pertinent hae:

CHINA ALBA. Weiße China. *Quina blanc de St. Fé. — Cinchonae oblongifoliae* MUT. vel *Cinchonae macrocarpae* VAHL (?) Cortex. — Frusta plana, crassa, epidermide privata, extra ferruginea, obscure fusco-maculata, intus castanea, glabra, nitentia, fractura inaequali granulosa, sapore haud ingrate amaro. — Cortex hic etiam nomine *Cort. Corne* occurrit.

CHINA BICOLOR, bicolorata. Zweifarbige China. *Quinquina bicolore.* — *Antirrheae* speciei (?), arboris Antillorum, Cortex. — Frusta longa, tubulosa, 1/2 — 3/4 lineam crassa, compacta, epidermide griseo-flavescente, subviridi, glabra, tenerrime reticulata, lichenibus carente, vestita. Cortex intermedius aurantiacus, internus fusco-nigrescens, cum superficie glabra; fractura transversalis aequalis, resinosa, odor debilis, sapor nauseoso-amarus.

CHINA BRACHYCARPA. Kurzfrüchtige China. *Quinquina à fruits courts. — Exostemmatis brachycarpi* R. et SCH., arboris Jamaicensis, Cortex; in frustis tubulosis, spithamaeis, occurrens, sapore amarissimo.

CHINA BRASILIENSIS. Brasilianische China. *Quinquina du Brésil.* — Frusta crassa, canaliculata et tubulosa, rugosissima, sulcata fissaque, densissima, colore obscure-fusco; epidermide lichenibus crustaceis obsessa, alba et pallide-luteo-cinerea; fractura subaequali resinosa; (resina passim in guttis exsudata conspicua) sapore amaro-adstringente. — Alia species occurrit nomine Chinae Brasiliensis tenuis in frustulis canaliculatis, tenuibus, obscure brunneis, epidermide griseo-alba, glabra, vestitis; sapore primo subdulci, post nauseoso-peramaro.

CHINA CALIFORNIA. Californische China. — Frusta priorum crassiorum similia, sed tenuiora, coloris rubro-fusci, parum pallidioris, cortice exteriori rugosissimo, cum fissuris transversalibus, et epidermide albida, partim demta; tum superficies externa brunnea, glabra vel leviter sulcata, striata, interna glabra; fractura brevi-fissili, lignosa; sapore peradstringente, parum amaro.

CHINA (Quina) DE CAMPO, de Mina. — *Strychni Pseudo-Chinae* ST. HIL., Cortex suberosus, flavescens, sapore amaro, haud ingrato.

CHINA CARIBAEA. Karaibische China. *Quinquina des Caraibes.— Exostemmatis caribaei* W., Cortex. — Frusta tubulosa vel canaliculata, Chinae Huamalies (p. 32.) similia, cortice exteriori subrugoso, rugoso-sulcato, lichenibus albidis hinc inde tecta; superficie interna laevi, obscure fusca; fractura fibroso-fissili; sapore primo subdulci, post nauseoso-amarissimo.

CHINA CAROLINENSIS. China aus Carolina. — *Pincneiae pubentis* MICHX., Cortex.

CHINA CORYMBIFERA. Doldentrauben-China. *Quinquina corymbifere.* — *Exostemmatis corymbiferi* W., Cortex amarissimus, adstringens.

CHINA FERNAMBUCO. China aus Fernambuco. — *Portlandiae* speciei Cortex, chinae novae affinis.

CHINA DE SANCTA LUCIA. Sanct-Lucien China.— *Exostemmatis floribundi* W., Cortex.— Frusta canaliculata, tubulosa, 1/3 — 1 lineam crassa, superficie externa glabra, vel rugosa, albido-grisea, lutescente, vel nigro-grisea, lichenibus crustaceis albidis nigrisque maculata, superficie interna inaequali, fissili, obscure ferruginea, fractura transversali fibroso-fissili, odore debili nauseoso, sapore nauseoso-peramaro.

CHINA MONTANA, Martinicensis, China Piton. Berg-China, Piton-China. *Quinquina de Montagne, Piton.* — *Exostemmatis* speciei Cortex. — Frusta canaliculata, tubulosa, tenuissima vel lineam et ultra crassa, glabra vel tuberculosa, externe griseo-rubella, intus glabra, fuscescentia, maculisque nigris adspersa; sapore nauseoso-amaro.

CHINA NOVA, Surinamensis. Neue, Surinamische China. *Quinquina nouveau. — Exostemmatis angustifolii* vel *Portlandiae* W. speciei, Cortex. — Frusta variae magnitudinis, plerumque tubulosa, verum et canaliculata, et propemodum plana; tenuiora chinae Huamalies similia, superficie autem externa glabra, non rugosa, minimis tantum fissuris transversalibus praedita; cortices crassiores superficie gaudent inaequali, rugoso-aspera, colore obscure griseo-fusco, subviolaceo, epidermide lichenibus crustaceis albidis maculata, qua defricta, color corticis cinnamomeus, nigroque fuscus; superficies interna laevis, partim scabra, colore pallide vel obscure cinnamomeo, hinc inde purpurascente seu violaceo. Cortex est compactus, ponderosus, manu emissus aliquantulum sonans; fractura transversalis fissilis, partim aequalis, ligneus; odor debilis, fatuus, sapor adstringens, nauseosus. — Ceterum hoc nomine plures cortices occurrunt, et vice versa cortex hic varie nominatur, ut China de los altos, de carpis, Caribea (v. supra) cet.

CHINA PITOJA. Pitoja-China. *Quinquina pitoja,* — idem cortex, qui nomine Chinae bicoloris supra descriptus, — uti et

CHINA TECAMEZ, Atacamez. Tekamez-China.

CHINA DE RIO JANEIRO, China nova Brasiliensis, Cascarilla falsa. Neue Brasilianische China. — *Buenae hexandrae* POHL. Cortex, omnino cum China, nomine California, supra descripta, convenire videtur.

CHINA SPINOSA. Dornige China. *Quinquina à épines.* — *Catesbaeae spinosae* L. Cortex; in frustulis parvis occurrens, sapore chinaceo.

Praeter hos memoratos alii cortices, sed etiam immerito, Chinae nomine insigniuntur, nullus autem eorum ut medicamentum adhibetur; insuper maxima adhuc confusio hac in materia obtinet, qua de causa reliqui silentio praetereundi.

CHOUAN. Spanischer Wurmsaamen. — Hoc nomine Flores cum pedunculis *Anabasis tamariscifoliae* L., (*Salsolae* LAGASC.) e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Chenopodiearum, fruticis Hispanici, occurrunt, seminis cinae (barbarici ?) similes, sed paullo majores, inodori, sapore subsalso. — Ut anthelminthicum adhibentur.

CHRYSIS IGNITA FABR. Gemeine Goldwespe. *Chryside bleue et rouge.* — Insectum hymenopterum, e fam. Chrysididum, indigenum, glabrum, nitidum, semipollicare, capite pectoreque coeruleo-viridi, abdomine cupreo-aureo, apice 4-dentato, antennis 13-articulatis; odore praeditum forti peculiari. — Tinctura spirituosa in paralysi commendabatur.

CICADA ORNI. Manna-Cicade. *Cicade du Trêne.* — Insectum hemipterum, ex ord. Cicadarum, in Europa australi Fraxinum Ornum L. inhabitans; crassum, longitudine pollicis et ultra, nigro-fuscum, corpore cylindrico, capite lato, antennis 6-articulatis, alis pellucidis, fusco-venosis, pedibus subaequalibus. Mares sonum stridentem edunt. — Ut aperiens, diureticum, cet. commendabatur.

CINERES CLAVELLATI. Pottasche. *Potasse de commerce.*

Synon.: Kali carbonicum crudum, Carbonas Kalicus crudus, venalis, Potassa impura, venalis. Rohes, unreines, kohlensaures Kali, kalcinirte Pottasche.

Parantur in officinis peculiaribus e cineribus lignorum, per elixationem, inspissationem et salis residui calcinationem igne aperto peractam.—Massa salina, cinereo-albida, incana, coerulescens viridescensque, frustulis compactis consistens, saporis caustici alcalini, ignis vim sustinens, aëri exposita, liquescens, in aqua maxima ex parte facile solubilis, in spiritu vini haud solubilis, cum acidis fortioribus effervescens, magnamque acidi carbonici copiam emittens. — Est Kali carbonicum, cum aliis Salibus minus solubilibus mixtum. — *Vis:* caustica.

Sint saporis peracris, ex aëre aquam cito attrahant, et cum aequali pondere aquae frigidae mixti ad minimum ¾ solvantur; solutio aquosa Kali carbonicum fere purum contineat, addito acido salis, gas acidi carbonici puri, neutiquam cum acido hydrothionico mixtum edat, et cum acido nitrico neutralisata, nec praecipitatum siliciae gelatinosum efficiat, nec addito liquore barytae nitricae vel argenti nitrici, valde turbetur.

Usus: Ad Kali carbonicum depuratum parandum.

CINNABARIS. Cinnabaris nativa et artificialis, seu factitia, Hydrargyrum bisulphuratum rubrum, Bisulphuretum Hydrargyri. Zinnober. *Cinabre.* — Nativa reperitur in montibus antiquioris formationis cum mercurio vivo, plerumque autem impura, unde sublimatione depuranda; artificialis autem paratur plerumque in officinis chemicis, sublimatione mixtionis ex sulphuris parte una et mercurii partibus sex antea ignis ope liquefactae et copulatae. — Massa compacta, radiato-crystallina, nitens, colore obscure coccineo-plumbeo, diuturna trituratione in pulverem laetissime saturate scarlatinum redigenda; p. sp. 8,1; inodora insipidaque, ignis ope facile volatilis; in aqua, spiritu vini, liquoribus alcalinis et acidis (excepta aqua regia) insolubilis atque immutabilis. — *Part. const.:* Mercurii et Sulphuris aequalia p. M. — *Vis:* excitans. — *Usus:* Interne raro; ad fumigationes adhibetur, pulveresque plures compositos ingreditur. — Cinnabaris ad usum medicum in massis emenda et ab ipso pharmacopolo in pulverem subtilissimum redigenda, minimeque pulvis venalis adhibendus. qui saepius minio cet. adulteratus est; id quod detegitur calefacto pulvere, ubi minium aliaque corpora fixa, si adsunt, restabunt. Ceterum fortiorum

quoque acidorum ope minium detegitur, Cinnabaris adulterata colorem assumet fuscum.

CINNAMOMUM ACUTUM. Starker feiner Zimmt. *Canelle fine.*

Synon.: Cinnamomum verum, Zeylanicum, longum, Canella Zeylanica. Feiner Zeylonischer (Holländischer) Zimmet oder Zimmt, brauner Canel oder Kaneel.

Lauri Cinnamomi L., (*Perseae Cinn.* Spr., *Cinn. Zeylonici* Blum.), e cl. Enneandria, ord. Monogynia, fam. Laurinearum, arboris Indiae orientalis, praesertim insulae Zeylonis, Cortex interior, ab epidermide liberatus. Importatur in fasciis praemagnis, ponderis fere centenarii, ex frustis longis, tubulosis, tenuissimis, schedula lusoria vix crassioribus, quorum plura minora majoribus semper inserta; colore pallide aureo-fuscescente-rubello, superficie externa atque interna glabra; hac plerumque obscuriori. Cinnamomum fragile est, parumque flexibile; odor fragrantissimus, gratissime aromaticus, sapor dulciter aromaticus, subadstringens. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum et Principium adstringens.

Sit cortex tenuissimus, colore aureo-fusco, odore ac sapore fragrantissimo aromatico, jam descripto, absque amaritudine, mucilagineque; cortex non admodum aromaticus rejiciendus.

Usus: In pulvere, infuso. — *Praep.:* Oleum, Aqua, Tinctura, Syrupus. Multis etiam compositionibus aromaticis additur.

CINNAMOMUM INDICUM, Sinense, Chinense, (Cayennense), Cassia cinnamomea. Gemeiner, Indischer, Chinesischer (Französischer) Zimmt, Zimmtkassie, Zimmtseite. *Canelle (Casse) des Indes, de la Chine.* — *Lauri Cassiae* L., *Lauri Caruae* Rheinw (?) *Cinnamomi Cassiae* Bl. (Cl. cet. prioris), arboris Indiae orientalis, Chinae, Cochinchinae, quae nunc etiam in India occidentali et America meridionali colitur, Cortex intermedius, praecedenti maxime affinis. Differt autem eo, quod fasciculi multo minores, libro colligati, tantumque 2—4 librarum sunt pondere. Tubuli sunt crassiores, $\frac{1}{3}$—$\frac{3}{4}$ lineam complectentes, duriores, plerumque simpliciter vel dupliciter clausi, insertis tubulis minoribus carentes; plerumque colore obscuriori, fusco-rubro, nonnunquam flavescente (Cinnamomum Cayennense), odore cinnamomeo, sed minus grato, debiliorique, sapore autem plus acriter aromatico, pungente, minus dulci, simulque magis adstringente et aliquantulum mucilaginoso (praesertim Cinnamomum Cayennense). — *Part. const. praev.:* ut praecedentis. — *Usus:* idem. Rejicienda frusta parum tantum aromatica.

CITREA. Citronen. *Citrons.*

Synon.: Poma (Fructus) Citri, Limona, Bergamottae, Mala citrea. Zitronen, Limonen, Bergamotten.

Citri medicae L. (Cl. cet. ut Citr. Aurant. p. 11) arboris Orientis, quae in Europa meridionali, et apud nos in hibernaculis colitur, Fructus, aurantiis simillimus, a quibus tamen differt forma plerumque oblongo-ovali, plus minus acuta, colore pure flavo, odore peculiari, grate aromatico, sapore pulpae peracido. Ceterum multae etiam sunt varietates, quarum praesertim memorandae hae: **Limettae**, die Limetten, fructus subrotundi, in apice umbilicati; **Limona**, Limonen, fructus minores, oblon-

gi, cortice tenuissimo, luteo, subfuscescente, pulpa acidissima. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Acidum Citri. — *Vis* corticis: excitans, tonica; succi: refrigerans.

Sint grandia, turgida, succulenta, externe pulchre lutea; nigre maculata, exsucca, vel putrida, rejicienda sunt.

Usus: diaeteticus. — *Praep.:* Succus Acidum, Syrupus, Oleum, Elaeosaccharum. — Cortex quoque adhibetur (v. infra p. 46.)

COBALTUM. Kobalt. — Metallum proprium, e mineris cobalti obtinendum, durum, fragile, splendens, colore rubescente griseo-albo, p. sp. 8, difficulter fusibile, facultatis magneticae capax, p. M. 368,991; in acidis fortioribus mineralibus dissolubilis; solutio plerumque rubra, peradstringens, vim emeticam habet; alkalium ope oxydum coeruleum praecipitatur, quod calefactum viridescit, et cum vitro conflatum, colorem ei coeruleum impertit. — *Praep.:* Oxydum, Smalta.

† COBALTUM CRYSTALLISATUM, Arsenicum nativum, Cadmia nativa. Scherben-Kobalt, Krystallisirtes Kobalt, Arsenikmetall, Fliegenstein. *Cobolt, Arsenic metallique.* — Metallum tam nativum occurrens, quam in officinis metallariis e mineris arsenicalibus sublimatione obtinendum. Olim etiam nativum, hodie plerumque artificiale, prostat. Splendens est, colore laete plumbeo, structura foliacea; crystallos format rhomboëdricas; fragilissimum, ita ut facile in pulverem redigi possit, p. sp. 5,95, p. M. 470,042; aëri expositum mox nigrescens, leni igne volatile, nebulasque albas odoris penetrantis alliacei emittit, acidorum ope facile oxygenium attrahit. — Venenum gravissimum. — Ad muscas necandas adhuc asservatur. — *Praep.:* v. Arsenicum album, citrinum et rubrum (p. 9 et 10.).

COCCINELLA SEPTEMPUNCTATA. Siebenpunkt, Marienkäfer, Sonnenkäfer. *Coccinelle à 7 points, Bête à Dieu.* — Insectum coleopterum, e fam. Microstomatum, in multis plantis, praecipue umbelliferis, vulgare; corpore hemisphaerico, pisi minoris magnitudine, elytris rubris punctisque septem nigris maculatis, antennis brevibus, clavatis, nigris, pedibusque brevibus, 3-articulatis. — Quum premitur, succus acer nauseosus, opio similis exsudat, qui ut odontalgicum adhibetur. — *Praep.:* Tinctura.

COCCIONELLA, Cochinilla. Cochenille, Kuzenelle, Scharlachwurm. *Cochenille du Nopal.* — *Coccus Cacti* L., insectum hemipterum, e fam. Coccorum, Cactum coccinelliferum et Opuntiam praesertim in regno mexicano inhabitans. Sunt femellae siccatae, granula parva simulantes, piperis vix magnitudine, ovata, convexo-plana, transverse sulcata, externe nigro-brunnea, tanquam pruina alba conspersa, leves, friabiles, intus massa subtilissime granulosa, obscure purpurea repleta, trituratione pulverem purpureum praebentia; inodora, sapore amaro-subdulci, acri; aquam spiritumque vini digestionis ope colore intense rubro tingentia. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum rubrum. — *Vis:* irritans, diuretica. — *Usus:* In substantia; plerumque pulveribus, electuariis tingendi causa admiscentur. — *Praep.:* Carminum, Lacca Florentina, Bezetta rubra. —

Insecta corrupta e meris cuticulis plerumque constantia, vel granulis alienis seu artificialibus commixta, rejicienda.

COCCIONELLA POLONICA, Germanica. Polnische, deutsche Cochenille. *Cochenille de Pologne.* — *Coccus polonicus* (Cl. cet. ut supra), nonnullarum plantarum radicibus adhaerens, e gr. Scleranthi perennis cet. Insectum, granula fusco-rubra, piperis fere magnitudine, aemulans, eodem modo quo praecedens adhibendum.

† COCCULI INDICI, Levantici, piscatorii, Semen Cocculi. Kokelskörner, Fischkörner, Läusekörner. *Coques du Levant.* — *Cocculi suberosi* DEC. (*Menispermi Cocculi* L.), ecl. Dioecia, ord. Dodecandria, fam. Menispermacearum, fruticis scandentis Indiae orientalis, insularum Moluccarum, Fructus. — Drupae baccatae pisi ad lauri baccae magnitudine, subglobosae, emarginatae, obscure-fuscae, opacae, rugoso-asperae; sub cortice fragili insipido nucleum lunulatum oleosum, nauseoso amarissimum, includentes. *Part. const. praev.:* Menispermium (Picrotoxium), Oleumque pingue. — *Vis:* narcotica, venenata. — *Usus:* Externe, ad pediculos necandos. — *Praep.:* Extractum, Menispermium.

COCHLEAE. Schnecken. *Limaçons.* — Mollusca varia ex ord. Gasteropodum, fam. Pneumobranchiorum, quae officinalia: e. gr. Limax rufus. Rothe Erdschnecke, *Limace rougeatre*, in hortis, vineis, ad vias humidas, mense Majo usque ad autumnum, vulgaris. Corpore nudo, absque testa, oblongo, 5—8-unciali, colore plerumque fusco-aurantiaco, interdum prope nigro, pallio carnoso orbiculari, solea alba, cute rugosa, mucosa, tentaculis 4 inverse retractibilibus. — *Part. const. praev.:* Mucus, Osmazomum et Gelatina. — *Vis:* nutriens, analeptica, demulcens. — *Usus:* In decocto. — *Praep.:* Succus expressus, Tabulae. — Praeter hunc Limacem etiam Helix pomatia, die graue Hausschnecke, *Limaçon de terre gris, Escargot*, in hortis, vineisque vulgaris, corpore luteo-albido-griseo, prioris similis, sed testam ovatam, spiraliter tortam, unciae et ultra diametro opacam, colore cinereo-fusco subrubello inhabitans, — adhibetur, crebro etiam comeditur.

COERULEUM BEROLINENSE. Berlinerblau. *Bleu de Prusse.*

Synon.: Statu puriori, Coeruleum Parisiense. Pariserblau. *Bleu de Pa-*

ris. Ferrum hydrocyanicum oxydo-oxydulatum, Hydrocyanas ferroso-ferricus, Ferrum Borussicum, Zooticum.

Paratur in officinis chemicis praecipitatione solutionis vitrioli martis vel alius salis ferri oxydo-oxydulati, lixivii (quod dicitur) sanguinis, seu alius alcali borussici ope, et perfecta praecipitati edulcoratione, aëris aditu. — Pulvis vel frustula levia, non admodum compacta, friabilia, obscure coerulea, fractura violaceo-cuprea. Insipidum est, atque insolubile in aqua, spiritu vini, acidisque dilutis; facile autem decomponitur liquorum alcalinorum auxilio. — *Part. const.:* Acidi hydrocyanici 2, et Ferri oxydo-oxydulati $2\frac{2}{3}$ p. M., cum Aquae quantitate variabili. —

Coeruleum Berolinense commune, e mixtione aluminis et vitrioli martis, lixivii sanguinis ope obtentum, colorisque laetioris (minus saturate) coerulei. Aluminam praeterea continet.

Vis: febrifuga, antiepileptica (?).

Sit levis, colore indigotico, insipidum, in vehiculis supra memoratis plane insolubile. — Coeruleum Berolinense, colore pallidiore, aluminam acidorum ope detegendam, continens, ad usum medicum rejiciendum, atque ad usum chemico-pharmaceuticum antea digestione in acido muriatico depurandum.

Usus: Interne, in pulvere, raro. — Ad parandum Mercurium et Kali Borussicum, aliaque composita cyanata adhibetur.

COERULEUM MONTANUM. Bergblau. *Bleu de montagne.* — Nativum occurrit cum aliis cupri mineris, et artificialiter paratur, decompositione cupri nitrici oxydati ope calcis. — Pulvis laete coeruleus, sapore debili, ingrato metallico; insolubilis in aqua, in acidis autem facile solubilis, sub effervescentia. — Cuprum est subcarbonicum impurum (Erdige Kupferlasur), partim. Interne adhibitum facile vim emeticam prodens. Olim ut medicamentum inserviebat. — Ceterum hoc etiam nomine Coerulei Berolinensis species venditur.

COLLA ANIMALIS. Thierleim. *Colle animale.* — Paratur e tunica cellulosa, cute, ossibus, unguibus, aliisque partibus cartilagineis animalium, coctione cum aqua et evaporatione ad siccum. — Massa, in tabulas redacta occurrens, solida, albida, vel lutescens, diaphana, fragili-elastica, inodora et insipida; in aqua frigida intumescens mollescensque, in aqua calida solubilis, quae quidem solutio concentrata refrigescens gelatinam exhibet; cum principio scytodephico praecipitatum praebens elastice tenax, corio simile. In spiritu vini fortiori haud, vel parum tantum, solubilis. — Substantia est sui generis organica, Azotum continens. — *Vis:* nutriens. — Pura ad gelatinam parandam adhibenda. — Huc pertinet

COLLA PISCIUM. Hausenblase. *Colle de poisson.*

Synon.: Ichthyocolla. Fischleim.

Acipenseris Sturionis, Husonis L., aliarumque piscium specierum, ex ord. Chondropterygiorum, fam. Microstomatum, Tunica interna vesicae natatoriae, maceratione in aqua ab externa privata et siccata. — Occurrit in annulis lyriformibus, Colla piscium annulata, Ringelhausenblase, inque Foliis, Blätterhausenblase. Sunt lamellae tenues, albidae, diaphanae, tenaces, cellulosae, inodorae, insipidaeque. — Constat fere omnis ex Colla seu Gelatina sicca (v. praecedens).

Sit albida, diaphana, in foliis quodammodo micans, odoris et saporis expers, in aqua calida et spiritu vini diluto ita solubilis, ut vesti-

gia tantum membranacea remaneant; solutio modice concentrata, refrigescens, gelatinam spissam exhibeat. Colla piscium fusca vel odoris ingrati, vel haud in aqua, aut parum tantum, solubilis, rejicienda.

Usus: Ad parandas varias gelatinas. — *Praep.:* Emplastrum Anglicum.

COLOCYNTHIDES, Fructus seu Poma Colocynthidum. Koloquinten. *Coloquintes.* — *Cucumis Colocynthis* L., e cl. Monoecia, ord. Monadelphia, fam. Cucurbitacearum, plantae annuae promontorii Bonae Spei Orientisque, quae in Europa meridionali colitur, Fructus.— Pepo globosus, mali magnitudine, cortice luteo laevi. Afferuntur Colocynthides siccatae, corticeque liberatae, ex pulpa alba levissima, spongiosa, inodora, amarissima, semina plura albicantia includente, constantes. — *Part. const. praev.:* Principium proprium amarum. — *Vis:* drastica. — *Usus:* In substantia, forma pulveris (Trochisci Alhandal). — *Praep.:* (porro) Extractum, Tinctura. Alia etiam composita ingreditur.

COLOPHONIUM. Geigenharz. *Colophone.*

Residuum e destillatione olei terebinthinae cum aqua, liquatione ignis ope aqua privatum. — Resina albido-flavescens, (Colophonium album) vel obscure fusca, aurantiaca (Colophonium nigrum), pellucida, vel parum diaphana, solida, friabilis, facile in pulverem redigenda, fractura conchoidea splendente; odore ac sapore debili, resinoso-terebinthaceo; leni calore liquescens; in spiritu vini et aethere facile penitusque solubilis (Colophonium tanquam acidum (Acidum pinicum) respectu basium sese habet, et cum iis compositiones quodammodo salinas format). *Vis:* irritans, diuretica.

Usus: Interne, vix ullus; externe, ad suffitus. — Multis praeterea additur emplastris atque unguentis.

CONCHAE. Austerschalen. *Coquilles, Ecailles d'Huitre.*

Synon.: Testae Ostrearum.

Ostreae edulis L., Mollusci e fam. Ostrearum, scopulos Europae Indiarumque inhabitantis, Testae orbiculares, basi prominula, $1\frac{1}{2}$—2 pollices et ultra in diametro, quarum altera plana, altera subconvexa, externe radiatim costato-sulcata, aspera, ambae plerumque sordide griseo-fuscescentes, intus albae, nitentes; subdiaphanae, fragiles. — Maxima ex parte e Calcaria carbonica constant, cum membranulis animalibus stratificata. — *Vis:* absorbens. Ad usum medicum aqua ebulliente lavandae optimeque depurandae.

Usus: In pulvere. — *Praep.:* Conchae ustae. Multis additur pulveribus compositis.

CONDITUM AURANTIORUM, Confectio Aurant. Ueberzuckerte oder eingemachte Pomeranzenschalen. *Condit d'Ecorce d'Orange.* — In Europa australi paratur e corticibus aurantiorum recentibus cum saccharo clarificato. Prostat redactum in segmenta hemisphaerica vel ovata, concava, externe saturate fusco-aurantiaca, subdiaphana, carnosa; odore grate aromatico ac sapore dulci, aromatico et amaro. — Comeditur ut stomachicum. — Additur etiam Morsulis Imperatoris et aliis condimentis.

CONDITUM CITRI, Confectio Citri. Ueberzuckerte oder eingemachte Citronen-

schalen. *Condit d'Ecorce de Citron.* — In iisdem regionibus eodem modo e corticibus citri recentibus et saccharo conficitur. — Similia sunt frusta, plerumque autem ovata, crassiora, colore magis fusco, odore citrino et sapore grate dulci aromatico, minus amaro. – Eodem modo ac praecedens adhibetur.

COPAL, Gummi (Resina) Copal. Kopal. *Copal.* — *Rhois copallini* L. (?), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Terebinthacearum, arboris Americae septentrionalis, vel potius Hymenaeae specierum (v. Anime p. 6.) Resina, per tempus mediante aqua aëreque quodammodo mutata. — Frusta globosa, stalacticia, irregularia, albida, flavescentia, fusco-flava, plus minus pellucida, externe rugosa, superficie saepius defricta, magisque opaca; dura, sed fragilia, fractura plana, splendente; inodora, insipidaque; caloris ope non liquescentia, quin immutentur; difficillime solubilia in alcohole vini, facilius vero in aethere et oleis aethereis. — Bituminis quasi naturam prae se fert. — *Vis:* irritans. — *Usus:* Ad suffitum, raro. — Cave confundas cum Copale orientali qui dicitur, Damar Puli, *Resina Dammarae*, Falscher ostindischer Copal, Dammarharz, — *Dammarae albae* RUMPH. (Cl. cet. v. Bals. Canadense p. 18), arboris insularum Moluccensium, Resina, primo adspectu copalis simili, sed molliori, friabiliorique, leni calore sine alteratione liquescente, maximaque ex parte in spiritu vini facile solubili.

COR LEONIS, Simiae. Löwenherz, Affenherz. *Coeur du Lion, du Singe*, aliorumque animalium cor, quod olim absurde ut medicamentum adhibebatur, jam dudum merito exolevit.

CORALLINA, Muscus corallinus, vel marinus. Korallenmoos, Korallenflechte Meermoos. *Coralline, Mousse, Marine.* — *Corallina officinalis* L., phytozoum marinum e fam. Corallinarum, in mari europaeo non infrequens. Corallium parvum plantulam mentiens, cespites formans confertos fruticulosos, colore albo, sublutescente, ex truncis compressis constantes, ramosis, superne distiche pinnatis, proliferis, constantes. — Prostat in commercio plerumque cum basi calcarea, cui insidet, et conchis parvis intermixta, vel in frustulis parvis fractis. Fragilissima enim est, odore debili fucino, sapore subsalso. — *Part. const. praev.:* Calcaria carbonica et Cartilago; verisimile est, eam etiam Jodium continere. — *Vis:* anthelminthica, emmenagoga. — *Usus:* In pulvere, electuario. Hodie perraro adhibetur.

CORALLIUM ALBUM. Weißer Korall. *Corail blanc.* — *Madraeporae oculatae* L., Polypi marini (Ord. cet. praecedentis), qui in oceano orientali reperitur, Domicilium lapideum, album, cylindrico-ramosum, pennae scriptoriae et ultra crassitudine, cellulis radiato-stellatis hinc inde obsessum.

CORALLIUM NIGRUM. Schwarzer Korall. *Corail noir.* — *Gorgoniae Antipatis*, polypi in oceano orientali obvii, Domicilium corneo-lapideum, nigrum, grandius, paniculato-ramosum.

CORALLIUM RUBRUM. Rother Korall. *Corail rouge.* — *Corallii rubri* LAM., *Isis nobilis* L., polypi marini, in mari mediterraneo occurrentis, Domicilium lapideum, durissimum, cylindricum, ramoso dendroideum, amoene rubrum. — Ad usum medicum Fragmenta tantum Coralliorum tenuiora, Korallenzinken, adhibentur.

Part. Coralliorum *const. praev.:* Calcaria carbonica. — *Usus:* Olim ut absorbentia, in pulvere; pluribusque pulveribus compositis addebantur. — Hodie exoleverunt.

CORNA, Fructus Corni. Kornelkirschen, Kornel-Dürrlitzer. *Cornouilles.* — *Corni masculae* L., e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Caprifoliacearum, fruticis indigeni, qui etiam in arboretis colitur, Fructus. — Drupa mediocris, oblongo-ovalis, olivae similis, rubra; sero maturescens, sapore acidulo, subdulci-austero. — *Vis:* refrigerans, adstringens (?). — *Usus:* diaeteticus. Olim exsiccata usurpabantur, in decocto. — Hodie obsoleta.

CORNU ALCIS. Elen-Geweihe, Elenshorn. *Corne d'Elan.* — *Cervi Alcis*, (Cl. cet. v. Cornu Cervi) animalis borealis, equi magnitudine, Cornua fusca vel nigrescentia, compressa, apicem versus dilatata, varieque tetmemena. — *Part. const.:* ut Cornu Cervi (v. infra). In Suecia adhibentur.

CORNU CERVI. Hirschhorn. *Corne de Cerf.*

Cervi Elaphi L., animalis ex ord. Ruminantium, fam. Cervorum, in silvis Germaniae frequentis, Cornu. — Concrementa ossea, durissima cylindrico-ramosa, externe scabro-rugosa, fusco-cinerea, intus albida. — E Cartilagine gelatinosa, indurata, atque Calcaria phosphorica maxime constantia. — Varia forma varieque immutata in officinis prostat:

1) Cornu Cervi raspatum, seu tornatum, Rasura Cornu Cervi. Geraspeltes, gedrehtes Hirschhorn. *Corne de Cerf rapée.* — Cornu Cervi est radulae ope in assulas spiraliter tortas divisum. (Alia animalium ruminantium ossa recentia, compacta, gelatina repleta, e. g. Bovis, substituere licet). — *Vis:* nutriens.

Usus: In decocto, ad gelatinam parandam; praeterea additur speciebus variis.

2) Cornu Cervi ustum album. Weißgebranntes Hirschhorn. Phosphas calcicus. Knochenasche. *Corne de Cerf calcinée.* — Paratur ustione cornu cervi, aliorumque ossium, igne aperto usque ad albedinem producta. — Frusta ossium adhibitorum forma, dura, aliquantulum sonantia, fragilia, insipida; in aqua insolubilia, in acido salis vel nitri sub levi effervescentia plane dissolubilia. — *Part. const.:* Calcaria subphosphorica et Calcaria carbonica. — *Vis:* parum absorbens.

Usus: In pulvere; externe, ad dentifricia. — Ad parandum Acidum phosphoricum et Phosphorum adhibetur.

3) Cornu Cervi ustum nigrum. Schwarzgebranntes Hirschhorn. Carbo Ossium. Knochenkohle. *Corne de Cerf noire.* — Paratur ustione cornu cervi aliorumque ossium in vasis clausis. — Frusta antecedentis forma, sed nigerrima, compacta, insipida. — *Part. const.:* praecedentis, et Carbo animalis. — *Vis:* purificans, decolorans, antiputrida, carminativa.

Usus: Interne et externe, in pulvere. — Ad parandum Kali Borussicum, Acidum phosphoricum adhibetur, itemque ad depurandos liquores coloratos, impuros.

CORTEX ACACIARUM, Acaciae nostratis seu Germaniae. Schlehenrinde, Schwarzdornrinde. *Ecorce du Prunier sauvage.* — *Pruni spinosae* L. (Fl. Bad. II. 363.), e cl. Icosandria, ord. Monogynia, fam. Rosacearum, fruticis indigeni vulgaris, Cortex. Colligendus cortex interior (Liber) flavus. Sapore gaudet amaro-adstringente. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum amarum et adstringens. — *Vis:* tonica, adstringens. — Olim in decocto ut antifebrile adhibebatur, et hodie adhuc medicorum attentionem meretur.

CORTEX ACERIS MINORIS. Feldahornrinde. *Ecorce d'Erable petit, d'Obier.* — *Aceris campestris* L., e cl. Octandria, ord. Monogynia (Polygamia Monoecia L. — Fl. Bad. III. 791.) fam. Acerinearum, fruticis vel arboris mediocris indigeni, Cortex externe rugosissimus et irregulariter rimosus, plus minus obscure cinereus, lichenibusque passim crustaceis, albo-maculatus, suberosus, in ramis junioribus magis glaber, colore-que pallidiore, verrucis parvis fuscis obsessus et fissus; superficie interna laevi vel inaequali, dum recens albida, siccata pallide lutescente vel fuscescente; sapore paullum adstringente, subamaro. Infusum aquosum, ferri muriatici oxydati ope colore sordide viridi turbatur. — Hodie obsoletus.

CORTEX ADANSONIAE. Affenbrodbaum-Schale. *Ecorce de fruit d'Adansonie.* — *Adansoniae digitatae* L., e cl. Monadelphia, ord. Polyandria, fam. Malvacearum, arboris ingentis Africae occidentalis, fructus Cortex. — In Aegypto ut antidysentericum adhibetur.

CORTEX ADSTRINGENS BRASILIENSIS. Adstringirende Rinde aus Brasilien. *Ecorce adstringente du Brésil.* — *Acaciae (Ingae) cochliacarpae* MART. e cl. Monadelphia, ord. Decandria, fam. Leguminosarum, arboris Brasiliae, Cortex. — Frusta crassa, tubulosa, canaliculata atque plana, superficie externa rugosissima, aspera, gibbosa, rimosa, colore griseo-fusco, lichenibus albidis, rubescentibus, nigrisque maculata, superficie interna laevi, obscure rubro-brunnea. Cortex durus; fractura transversalis partim plana, partim (in frustis crassioribus) fissili-fibrosa; inodorus, sapore adstringente, subnauseoso-amaricante. — Interior cortex (Liber nomine Corticis Barbatimao (Casca di Barbatimao) venditur. — Infusum aquosum intense rubro-fuscum, agitando spumescens, addito ferro muriatico oxydato, colore nigro-viridi tingitur, additoque solutione collae piscium in floccis flavo-fuscescentibus praecipitatur, liquidumque plane decoloratur et addito liquore stanni muriatici, flocci rubri praecipitantur; infusi autem gallarum ope minime turbatur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens peculiare (?). — *Vis:* tonica, adstringens. — *Usus:* In substantia, in decocto. — *Praep.:* Tinctura. — Cave confundas cum Cortice Angicae (p. 43.), Imbiribi (p. 48.), Juremae (p. 48.), China Brasiliensi, California vel de Rio Janeiro (p. 35.) aliisque corticibus alienis, nomine Corticis Adstringentis Brasiliensis occurrentibus.

CORTEX ALCORNOQUE, Cabarro. Alkornoque-, Cabarro- oder Chabarra-Rinde. *Ecorce d'Alcornoque.* — *Boudichiae virgilioidis* (?) vel potius *Magnoliae* aut *Rhopalae* speciei (?) Cortex, qui ex America meridionali adfertur. Occurrit in frustis crassis, planis vel parum canaliculatis, externe rugosissimis, gibbosis, laceris, obscure fusco-

griseis, lichenibus crustaceis, cinereis et nigrescentibus passim obsessis; epidermide corticeque exteriori saepius partim ablatis, tunc superficie externa inaequali, aspera, obscure cinnamomea, subviolacea, maculisque fusco-flavis intermixta; superficie interiori aequali, fibrosa, sordide pallideque flavo-fuscescente. Cortex levis; liber e fibris subsolutis constans, tenax, difficilis fractu, fractura fibrosissima; fere inodorus, sapore primo subadstringente, diu autem masticatus, amaro, salivam colore flavo imbuens. Infusum aquosum, ferro muriatico oxydato viride coloratur, et tinctura gallarum in floccis griseis praecipitatur. *Part. const. praev.:* Principium adstringens et amarum. — *Vis:* tonica. — *Usus:* In pulvere, in decocto. — *Praep.:* Extractum. — Cave confundas cum aliis corticibus, e. g. Quercus, Chinae flavae (p. 34.). — Ceterum varii cortices nomine Alcornoque cet. signantur.

CORTEX ALNI. Erlen-, Eller-Rinde. *Ecorce d'Aune.* — *Alni glutinosae* W., (*Betulae Alni* L. Fl. Bad. III. 677.), e cl. Monoecia, ord. Tetrandria, fam. Betulacearum, arboris indigenae, locis humidis frequentis. Cortex, e ramis 3 4-ennibus verno tempore colligendus, flavo-fuscus, epidermide obscure cinereo-fusca; sapore peradstringente, amaro. Infusum ferro muriatico oxydato colore viridi-nigro imbuitur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens et amarum. — *Vis:* tonica, febrifuga. — *Usus:* Olim pro febrifugo.

CORTEX ALYXIAE AROMATICAE Blum. Gewürzhafte Schlingstrauch-Rinde. *Ecorce d'Alyxié aromatique.* — E cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Apocynearum, fruticis scandentis Javae, Cortex. — In frustulis occurrens tubulosis, 1 — 2 lineas crassis, glabris, colore subgriseo-albo; Canellae albae (p. 47.) simillimibus, fragilibusque, fractura compacta, non fibrosa, odore proprio aromatico, fabarum de Tonco simili, sapore aromatico, grate amaro — *Part. const. praev.:* Oleum a thereum, Resina balsamea et Principium extractivum amarum. — *Vis:* tonica, febrifuga, antispasmodica.

CORTEX ANGELINAE. Angelina- oder Angelim-Rinde. *Ecorce d'Angelim.* — *Geoffraeae* (*Andirae*) speciei (?) Cortex, qui ex India occidentali, insula Grenada, advehitur, in frustis fuscescentibus, fragilibusque, odore mucido, sapore nauseoso-amaro. (Confer. Cort. Geoffraeae, cui similis, forsitan idem?) — Ut vermifugum usitatus.

CORTEX ANGICA. Angika-Rinde. *Ecorce d'Angica.* — Hoc nomine frusta ex America advehuntur pollicem lata, 2 — 3 lineas crassa, cortice exteriori plerumque ablata, qui, si adest, lichenibus albis tectus; intus colore rubescente-fusco. Maxima ex parte e libro constat pallidiore, foliaceo, fissili; odore debili, humorem redolente, sapore adstringente, neutiquam amaro. — Cortex hic false pro Cortice Adstringente Brasiliensi, supra descripto, venditur.

CORTEX ANGUSTURAE, C. Angusturae seu Angusturae verae. Angusturarinde, Oranurn- oder Caronn-Rinde. *Ecorce d'Angusture.* — *Galipeae officinalis* Hancock, e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Rutacearum, fruticis vel arboris Americae meridionalis, Cortex. Frusta canaliculata, raro tubulosa, 2 — 8-pollicaria, 1 — $1\frac{1}{2}$ pollicem lata et $\frac{1}{2}$ — 1 lineam crassa, sordide ochracea, superficie externa nonnunquam laevi, plerumque autem aspera, reticulata, longitudinaliter rugosa, epidermide pallide griseo-lutescente, lichenibus crustaceis passim maculata; superficie interna inaequali, breviter fissili. Cortex fragilis, fractura transversali aequali, obscure fusco-flavescente, resinosa; odore proprio aromatico subnauseoso, sapore acri aromatico-amaro, haud ingrato. Infusum aquosum, obscure aurantiacum, colorem laccae coeruleae albidum reddit, vitrioli martis ope praecipitatum albido-griseum praebet, tartari emetici autem et tincturae gallarum auxilio valde floccorum lutescentium maximam copiam demittit. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium extractivum amarum. — *Vis:* tonica, febrifuga. — *Usus:* In pulvere, infuso, decocto. — *Praep.:* Extractum, Tinctura. — Cave confundas cum

† CORTICE ANGUSTURAE SPURIAE, orientali, Falscher Ostindischer Angusturarinde, *Ecorce d'Angusture fausse.* — *Strychni Nucis Vomicae* L. aliusve *Strychni* e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Strychnearum, arborum Indiae orientalis, Cortice, (perperam a Brucea ferruginea derivato). — Occurrit in frustis tubulosis, canaliculatis, vel planis, praecedenti primo adspectu, similibus; sed discrepat superficie externa magis grisea, albida vel nigrescente, parum lutescente, verrucis pallidioribus plerumque conspersa, saepiusque passim cortice aurantiaco-ferrugineo, spongioso obducta (qui Cortex Angusturae ferrugineae, rostfarbene Angusturarinde, nominatur) superficie autem interna glabra, obscure vel pallide grisea; textura duriori, fractura plana, lignosa, minimeque resinosa; odore fere nullo, sapore amarissimo nauseoso, minime aromatico. Infusum hujus corticis aquosum, sordide fusco-flavescens, colorem laccae coeruleae non mutat. vitrioli martis ope colore obscure viridi turbatur, acidi nitri autem ope, colorem rubrum sensim assumit. — *Part. const. praev.:* Brucium et Strychnium. — *Vis:* toxica. — *Usus:* ad parandum Brucium.

CORTEX AROMADENDRI ELEGANTIS Blum. Gewürzbaumrinde. — E cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Magnoliacearum, arboris Javensis excelsae, pulcherrimae, Cortex grate aromaticus. — In Java crebre ut medicamentum adhibetur.

CORTEX AURANTIORUM. Pomeranzenschalen.
Ecorce d'Orange.

Synon.: Cortex fructus, seu Pomorum Aurantiorum, Malicorium Aurantii.

Citri Aurantii L., (Cl. cet. v. Aurantia p. 11.) fructus Cortex. — Siccatus prostat, plerumque in frustis ovato-acutis, externe epidermide brunneo-aurantiaca vel obscure olivacea, rugosa, punctata vestitis, intus albido-spongiosis; odore grate aromatico, sapore aromatico amaro (pars spongiosa tantum amara). Cortices Aurantiorum Curassavienses, Curassavische Pomeranzenschalen, tenuiores, duriores, minus spongiosa parte praediti, colore externe obscuriori, plerumque sordide-viridi vel brunneo, magisque aromate gaudentes, optimi sunt. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium extractivum amarum. — *Vis:* tonica, stomachica, carminativa.

Cortices pallidiores, vel nigro-maculati, mucidi, vel parum aromatici, rejiciendi.

Usus: In pulvere, infuso, speciebus. — *Praep.:* Flavedo, Tinctura, Extractum, Confectio, Oleum aethereum, Aqua, Spiritus, Syrupus. Multis aliis etiam additur compositionibus.

CORTEX AZEDARACH. Glatte Zedrachrinde. *Ecorce d'Azédarach.* — *Meliae Azedarach* L., e cl. Monadelphia, ord. Decandria, fam. Meliacearum, arboris Europae meridionalis Orientisque, Cortex amarus. — In America ut anthelminthicum usitatus.

CORTEX BÉLAHÉ, Belaaye. Belaherinde. *Ecorce de Bélahé.* — *Musaendae* vel *Danaidis* species, e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Rubiacearum, arborum Indiae orientalis, Cortex, aspectu chinae crassioris tubulosae flavae, epidermide sordida, albida, maculata, rugoso-sulcata et transverse rimosa uti china grisea, intus pallide fuscus; fractura aequali, parum fibrosa, non resinosa, pallide flava; odore chinae simili, sapore grate amaro, postremo adstringente. — Cortex hic in Africa et India orientali crebre ut antidysentericum in infuso spirituoso cet. adhibetur.

CORTEX RADICIS BERBERIDIS. Sauerdorn Wurzel-Rinde. *Ecorce de racine d'Épine vinette.* — *Berberidis vulgaris* L. (v. Baccae p. 14.), radicis, Cortex tenuis, externe cinereus, intus flavus, sapore peramaro. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum amarum flavo-colorans. — *Vis:* tonica (?). — *Usus:* In pulvere, decocto. —

CORTEX BETULAE. Birkenrinde. *Ecorce du Bouleau blanc.* — *Betulae albae* L. (Fl. Bad. III. p. 675.), e cl. Monoecia, ord. Dodecandria, fam. Betulacearum, arboris indigenae, notissimae, Cortex, vere colligendus; ramorum bi-triennium tenuis est, epidermide brunnea, nitente, punctisque albidis conspersa; trunci autem crassior, rufescens, fragilis, epidermide alba, glabra, quae facile secerni potest, e lamellis pluribus constante, vestitus; odore debili balsamico, sapore adstringente, subamaro. — *Part. const. praev.:* Betulium, Resina balsamica, et Principium adstringens. — *Vis:* tonica, excitans, febrifuga (?). — *Usus:* Olim in decocto, infuso.

CORTEX BRIDELIAE SPINOSAE W. Dornige Bridelien Rinde. *Ecorce de Bridelie à épines.* — E cl. Monoecia, ord. Pentandria, fam. Euphorbiacearum, fruticis Indiae orientalis, Cortex adstringens in patria sua ut medicamentum quam maxime celebratus.

CORTEX BRUCEAE SUMATRANAE ROXB. et C. Bruceae ferrugineae L'HERIT. Brucea Rinde. *Ecorce de Brucea*, — e cl. Dioecia, ord. Tetrandria fam. Terebinthacearum, fruticum vel arborum Indiae orientalis et Africae Cortex, quorum posterior e ramis annosioribus frusta format crassiuscula, canaliculata et tubulosa, externe albido-cinerea, passimque rubella, farinosa, longitudinaliter rugosa, hinc inde tuberculis praedita, in superficie interna plana, albida, fractura aequali vel inaequali, granulosa; dum recens odore nauseoso, siccatus inodorus, sapore peramaro. Ceterum nec Brucium nec Strychnium vel aliud alcali organicum simile continet; hinc falso pro Angustura spuria (p. 43.) habetur. — Cortices hi ut tonicum et febrifugum maxime in patria laudantur.

CORTEX CALOPHYLLI INOPHYLLI L. Groß-Schönblatt-Rinde. *Ecorce de Calaba à fruits ronds* (v. Tacamahaca). — In India orientali contra mictum sanguinolentum adhibetur.

CORTEX CALYCANTHI. Kelchblumen-Rinde, Gewürzstrauch-Rinde. *Ecorce de Calycanthus de Caroline*, — *Calycanthi floridi* L. (Fl. Bad. IV. 397.), e cl. Icosandria, ord. Polygynia, fam. Calycanthearum, fruticis elegantis Carolinensis, apud nos in hortis, ambulacris culti, Cortex tenuis, in ramis annosioribus nudus, externe fuscus vel griseo-fuscus, glaber vel plus minus rugosus et tuberculis sparsis obsessus, in ramulis junioribus brevissime pilosus; intus, dum recens, pallide viridis, siccatus cinnamomeus. Epidermis facile a cortice interiori, ligno arcte adhaerente, solvi potest. Odor et sapor fragrans, aromaticus, camphorinus, qui inter siccandum minime perditur. In-

fusum aquosum ferri muriatici oxydati ope obscure olivaceo colore tingitur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum camphorinum et Principium adstringens. — *Vis:* nervina, antifebrilis. — *Usus:* In pulvere, infuso. — Cortex hic medicis quam maxime commendandus.

CORTEX RADICIS CAPPARIDIS. Kapernwurzel-Rinde. *Ecorce de racine du Caprier.* — *Capparidis spinosae* L., e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Capparidearum, fruticis Europae meridionalis, Cortex. — In frustis occurrit irregularibus, convolutis, canescentibus, albidis, griseo-lutescentibus, obsolete annulatis, plus minus rugosis, intus glabris duris, fragilibusque; sapore subamaro, subadstringente. — Hodie exolevit.

CORTEX CAPRIFOLII GERMANICI et ITALICI. Deutsche und Italienische Geisblatt-Rinde. *Ecorce de Chevrefeuille Allemand et Italien.* — *Lonicerae Periclymeni* et *Lon. Caprifolii* L. (Fl. Bad. I. 489. et 487.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Caprifoliacearum, fruticum scandentium Europae meridionalis Germaniaeque Cortices, vere colligendi; tenues, glabri, tenaces, virides, epidermide fusca vestiti; odore nauseoso, uti et sapore amaro. — Olim ut diaphoreticum in usu erant.

CORTEX CARAPAE, Andirobae seu Nandiropae. Carapa-Rinde. *Ecorce de Carapa.* — *Carapae guianensis* AUBL. (*Xylocarpi Carapae* SPR.), e cl. Octandria, ord. Monogynia, fam. Meliacearum, arboris Guianensis, Cortex externe griseus, intus rubeo-brunneus, sapore amaro. — Ut febrifugum et anthelminthicum adhibetur.

CORTEX CAROBAE seu Caraibae. Caroba- oder Caraiba-Rinde. *Ecorce de Caroba.* — *Bignoniae antisyphiliticae* MART. et *Bign. Copajae* AUBL. (Cl. v. Chica p. 32.), arborum Americae meridionalis, Cortex emeticus et purgans. — Ut antidysentericum usurpatur.

CORTEX CASCARILLAE. Kaskarillrinde. *Ecorce de Cascarille.*

Synon.: Cortex Chacrillae, Clutiae, Eluteriae, Kina aromatica. Graue Fieber-Rinde.

Crotonis Eluteriae Sw., e cl. Monoecia, ord. Polyandria, fam. Euphorbiacearum, fruticis arborescentis Indiae orientalis, Cortex. — Frusta tubulosa, canaliculata, primo aspectu Chinae griseae (p. 32.) similia, superficie externa inaequali, aspera, rugoso-fissa, grisea, albida, vel obscure fuscescente, passim viridescente, lichenibus crustaceis maculata; epidermide privata, colore fusco, vel ferrugineo; superficie interna glabra, obscure fusca. Cortex libri expers, ponderosus, china durior, fragilis, fractura transversali plerumque plana, resinosa, nitente; odore debili aromatico, sapore aromatico pungente, haud grate amaro. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Resina et Principium amarum. — *Vis:* tonica, excitans.

Usus: In pulvere, electuario, pilulis, infuso et decocto. — *Praep.:* Extractum, Tinctura, Aqua, Oleum, Syrupus.

CORTEX CASCARILLAE NOVAE. Neue Kaskarillrinde. — Frustula tenuissima, convoluta, seu canaliculata, glabra, epidermide albida, cortice obscure sordide-viridi, vel griseo-fusco, libro ramentisque lignosis intermixta; odore ac sapore praecedentis. Cortex ramulorum juniorum ejusdem ac praecedens esse videtur fruticis.

CORTEX CEDRELAE. Cedrelarinde. — *Cedrelae febrifugae* BLUM., e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Meliacearum, arboris Indiae orientalis Javaeque, Cortex. — Frusta tubulosa, 1 — 2 lineas crassa, externe rugoso-fissa, lichenibusque crustaceis albido-maculata, intus aequalia, obscure fusca. Cortex levis, durus, tenax, fractura transversali maxime fibrosa; propemodum inodorus et primo insipidus, deinde adstringens, amariusculus. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens. — *Vis:* febrifuga.

CORTEX CELASTRI SCANDENTIS L. Windende Celastrusrinde. *Ecorce du Bourreau des arbres,* — e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Rhamnearum, arboris scandentis Americae borealis, Cortex. — Ab incolis pro emetico adhibetur.

CORTEX CEPHALANTHI OCCIDENTALIS L. Westindische Kopfblumen-Rinde. *Ecorce de Cephalanthe occidentale,* — e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Rubiacearum, fruticis Americae borealis, Cortex amarissimus. — Ut purgans, diaphoreticum et antifebrile adbibetur.

CORTEX RADICIS CHININCHAE, seu Chininchae. Chininchawurzel-Rinde. *Ecorce de Chinincha.* — *Unonae febrifugae* PAV., e cl. Polyandria, ord. Polygynia, fam. Anonacearum, fruticis Americae meridionalis, Cortex radicis cinereus, amarissimus. — Pro febrifugo maxime celebratus, ut vel chinam ab eo superari dicant.

CORTEX CHUTWUN. Chutwun-Rinde. *Ecorce de Chutwun.* — Hoc nomine Indi corticem amarum arboris non satis cognitae ut febrifugum usurpant.

CORTEX CITRATUS. Citronen-duftende Rinde. — *Litseae citratae* BL., (Cl. cet. v. Cinnamomum p. 35.), arboris Javae, Cortex, in frustis planis, latis, levibus, 1 — 1 1/2 lineam crassis, externe ru-

goso-verrucosis, epidermide sordide griseo-albida, fuscescente; intus glabri, cinnamomeis, odore ac sapore grate aromatico, caryophyllaceo-cinnamomeo occurrens. — Pro antihysterico adhibetur.

CORTEX CITRI. Citronenschalen. *Ecorces de Citron.*— *Citri medica* L. (v. Citrea p. 37., fructus Cortex, cortici Aurantiorum (p. 44.) similis; sed crebro occurrens in frustis fasciatis, spiralibus, colore luteo (citrino vel fusco-aurantiaco, intus albo; odore peculiari aromatico, saporeque aromatico, minus amaro; pars spongiosa insipida. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium amarum. — *Vis:* excitans, tonica, stomachica. — *Usus:* Ut corticum aurantiorum, sed raro. — *Praep.:* Flavedo, Conditum, Oleum aethereum, Aqua, Spiritus, Elaeosaccharum; variis et praeterea additur compositionibus.

CORTEX CONESSI, C. Antidysenterici, Profluvii, Codaga-palae, Cropal. Ruhrrinde. *Ecorce de Conesse.* — *Wrightiae antidysentericae* R. Br., (*Nerii antidysenterici* L.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Apocynearum, arboris vel fruticis Indiae orientalis, Cortex. — Frusta convoluta vel plana, 1 — 1 1/2 lineam crassa, externe nigrescentia, lichenibusque obsessa, intus pallidiora, dura; sapore amaro-adstringente. — *Vis:* antidysenterica, febrifuga — Apud nos vix usitatus.

CORTEX COPALCHI, Cascarillae de Trinidad, Quina blanca. Kopalchi- oder Koralle-Rinde. *Ecorce de Copalche.*— *Crotonis febrifugi* Jacq., (*Cr. Pseudo-Chinae* Shlect.— Cl. cet. v. C. Cascarillae p. 45) fruticis Mexicani, Cortex.— Frusta longa, tubulosa, 1 — 1 1/2 lineam crassa, cascarillae similia, epidermide albida, lutescente, obscure fusco-maculata, longitudinaliter fissa, cortice exteriori pallide griseo, molli, quasi suberoso; superficie interna aequali, cinnamomea. Cortex cascarilla levior et fragilior, fractura transversali inaequali, brevi fissili, opaca; odore cascarillae simili simulque etiam rosmarinaceo, camphorino, sapore aromatico, ut cascarillae, minus autem amaro; ceterum sese habet ut cascarilla. — *Part. const. praev.:* ac *Vires* eaedem, quae cascarillae.

CORTEX CORNE v. China alba (p. 35.).

CORTEX CORNI CIRCINNATAE L'Herit. Canadische Hartriegelrinde, *Ecorce de Cornouiller à feuilles arrondies*,

CORTEX CORNI FLORIDAE L. Großblüthige Cornelstrauchrinde, *Ecorce de Cornouiller à grandes fleurs*, et

CORTEX CORNI SERICEAE L'Herit. Rostfarbige Hartriegelrinde, *Ecorce de Cornouiller soyeux*,— e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Caprifoliacearum; fruticum arborumque Americae septentrionalis, Cortex peradstringens. — Ut febrifugum, antidysentericum cet. usurpatur.

CORTEX COTINI. Perücken-Sumachrinde *Ecorce de Fustet.* — *Rhois Cotini* L. (Fl. Bad. IV. 213.), e cl. Pentandria, ord. Trigynia, fam. Terebinthacearum, fruticis Europae meridionalis Germaniaeque, Cortex tenuis, externe subrugosus, griseo-fuscus, opacus, intus albidus, sapore adstringente, subamaro. Infusum aquosum ferro muriatico oxydato colore nigro imbuitur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens. — *Vis:* tonica, subnarcotica (?), antifebrilis (?).

CORTEX CULILAWAN, Caryophylloidis. Kulilaban-Rinde, Bitterzimmt. *Ecorce de Culilawan.* — *Cinnamomi Culilavan* Bl. (*Lauri Caruae* Reinw. — Cl. v. Cinnam. p. 37), arboris insularum Moluccensium, Cochinchinae, Cortex.— Frusta plana, seu parum concava, lata, 1 — 2 lineas crassa, passim tenuiora, convoluta, externe obscure cinnamomea, epidermide et cortice exteriore plerumque ablata, superficie interna plana. Cortex durus, odore et sapore grate aromatico, caryophyllaceo.— *Part. const. praev.:* Oleum aethereum.— *Vis:* stomachica, excitans. — Apud nos exolevit.

CORTEX CUSPAE, Conoriae. Cuspariude. *Ecorce de Cuspa.* — *Alsodeae Cuspae* Spr. (*Conoriae Cuspae* Kunth.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Violariearum, arboris excelsae Novae Granadae, Cumanae, Cortex pallide flavus, tenuis, sapore amarissimo, acerbo. — Ut antifebrile laudatur et ab incolis chinae ipsi praefertur.

CORTEX DIOSPYRI VIRGINIANAE L. Persimonrinde *Ecorce de Plaqueminier de Virginie,* — arboris Americae septentrionalis, e cl. Octandria, ord. Monogynia, fam. Styracearum; sapore gaudens amarissimo. — Ut febrifugum usurpatur.

CORTEX RADICIS DIRCAE PALUSTRIS L. Sumpflederholzrinde. *Ecorce de Dirca de Marais.* —(Cl. cet. v. Cort. Mezerei p. 49.), fruticis Americae borealis, Cortex fuscus, glaber; acer, causticus. Externe vesicas excitat. — Interne pro emetico, sed raro, in America adhibetur.

CORTEX (Casca) DE ENCACIA. Encaciarinde. *Ecorce d'Encacia*, — e Brasilia advehitur. Frusta crassa, ponderosa, plana vel canaliculata, externe inaequaliter in longitudinem rimosa, rubello-grisea passimque ferrugineo-maculata, et fusca, lichenibusque albidis et viridescenti-griseis tecta, intus obscure et pallide rubrofusca et cum punctis et striis rubeo-flavis intermixta; inodora, sapore subadstringente, amariusculo. — *Vis:* emetica, purgans. — In Brasilia ut emeticum et contra morsum serpentum venenatorum adhibetur.

CORTEX ESENBECKIAE FEBRIFUGAE, Angosturae pravae. Sieberrinde Fieberrinde. *Ecorce d'Esenbeckie febrifuge.*— *Esenbeckiae febrifugae* Mart., (*Evodiae febrifugae* St. Hil.), e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Rutacearum, arboris Brasiliensis, Cortex. Frusta tenuia plana vel parum canaliculata, obscure brunnea, epidermide sordide albida passim verrucosa, tecta, superficie interiori nigrofusca, aequali, striata; fragilia, fractura transversali aequali, odore debili ingrato, sapore amarissimo. — *Part. const. praev.:* Principium amarum, (forsitan Alcali vegetabile ?). — *Vis:* febrifuga. — Cortex supra descriptus etiam nomine *Chinae Piaoi* et *Chinae Janeiro* (p. 36.) occurrit.

CORTEX FEDEGOSO. Fedegoso-Rinde. *Ecorce de Fedegoso.* — *Cassiae occidentalis* L. (?) (Cl. v. Cassia fistula p. 28.), fruticis Americae meridionalis, Cortex convolutus, mediocriter crassus, externe griseus, plerumque asper, rugoso-sulcatus, transverse rimosus, intus saturate luteus, fibrosus, fragilis; inodorus, sapore nauseoso-amaro. — *Part. const. praev.:* Resina amara. — *Vis:* diuretica, febrifuga (?).

CORTEX FICUS INDICAE, religiosae et bengalensis L. (Cl. cet. v. Caricae p. 27.), arborum Indiae orientalis, Cortex. — Ab incolis ut tonicum, contra diabetem (?) cet. adhibetur.

CORTEX FRANGULAE INTERIOR, C. Alni nigrae bacciferae. Innere Faulbaum-, Hundsbaum-, Zapfenholz-, Pulverholz-Rinde. *Ecorce moyenne de Bourdaine.* — *Rhamni Frangulae* L. (v. Baccae p. 15.), Cortex e ramis mediocribus colligendus,

et a cortice exteriori alburnoque liberandus, coloris flavi, odoris foetidi, saporis amariusculi, subacris, gutturalis; masticantis salivam luteo tingens. — *Part. const. praev.*: Principium extractivum acriter amarum (Oleumque aethereum Acido Borussico conjunctum). — *Vis*: purgans, drastica. — *Usus*: Interne, cortex recens, in infuso. — *Praep.*: Unguentum.

CORTEX FRAXINI. Eschenrinde. *Ecorce de Frêne.* — *Fraxini excelsioris* L., e cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Jasminearum (?) Cortex, e ramis modice tenuibus colligendus; tenuis, externe cinerascens, vel viridescens, glaber, vel verrucoso-rugosus, rimosus, intus flavescens; sapore amaro, subadstringente. — Olim usitatus; hodie obsoletus.

CORTEX GEOFFRAEAE JAMAICENSIS, Cortex Cabbagii. Jamaikanische Wurmrinde. *Ecorce de Geoffraea de Jamaique de Cabbage.* — *Geoffraeae inermis* WRIGHT. (?), e cl. Diadelphia, ord. Decandria. fam. Leguminosarum (juxta recentissimam opinionem *Zanthoxyli Caribaei* LAM.?). Cortex. — Frusta plana vel canaliculata. 1 — 2 pollices lata, 1 — 1½ lineam crassa, externe glabra vel verrucosa, rugoso-rimosa, epidermide grisea, coerulescente et obscure fusco-violacea, striata maculataque, et lichenibus crustaceis albidis passim obsessa, superficie interna aequali vel inaequali fissili. Cortex internus sordide citrinus, subviridis, tenax, ex lamellis fibrosis, facile separabilibus constans; fractura transversali fibrosissima; odore debili, ingrato, sapore amaro, sine acore. — *Part. const. praev.*: Jamaicinum. — *Vis*: anthelminthica, purgans. — *Usus*: In pulvere, decocto. — *Praep.*: Extractum, Tinctura.

CORTEX GEOFFRAEAE SURINAMENSIS. Surinamische Wurmrinde. *Ecorce de Geoffraea de Surinam.* — *Geoffraeae surinamensis* BONDT. (?) (*inermis*? v. supra) Cortex. — Frusta praecedentis similia, passim crassiora, externe autem griseo-alba, subflavescentia, epidermide molli, spongiosa, rugosa vel glabra; intus fusca, pallida vel nigrescentia. — Cortex partim fragilior; fractura transversali inaequali, fissili; odore nullo, vel debili, haud ingrato, sapore subamaro, postremo adstringente, acri. — *Part. const. praev.*: Surinaminum. — *Vis* et *Usus*: idem qui praecedentis.

CORTEX GRANATORUM, C. Psidii, Malicorium. Granatenschalen. *Ecorce de Grenades.* — *Punicae Granati* L., e cl. Icosandria, ord. Monogynia. fam. Granatearum, arboris vel fruticis Europae meridionalis Orientisque, fructus Cortex. — Frusta plerumque quadrantia, concava, ½ — 1 lineam crassa, externe fusca, aurantiaca, rubescentia, glabra vel subverrucosa, intus flava, lacunosa, coriacea, dura, fragilia; inodora, sapore peradstringente. — *Part. const. praev.*: Principium adstringens. — *Vis*: tonica, vermifuga (?). — *Usus*: In pulvere, decocto.

CORTEX RADICIS GRANATI. Granatwurzel-Rinde. *Ecorce de Grenadier sauvage.* — Plantae praecedentis radicis Cortex, ab inculta colligendus. — Frusta canaliculata, passim curvata, ¼ — 1 lineam crassa, externe inaequalia, gibbosa, epidermide griseo-lutea, sordide viridi-maculata, superficie interna fissili, griseo-lutescente, sordide subviridi, cui lignum pallide lutescens passim adhaeret. Cortex fragilis, fractura inaequali, flavescente; odore debili, nauseoso. sapore adstringente, ingrate amariusculo. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore coeruleo-nigro tingitur. — *Part. const. praev.*: Principium adstringens et amarum. — *Vis*: anthelminthica. — *Usus*: In decocto, contra taeniam.

CORTEX GUAJACI, C. Ligni Sancti. Guajakrinde, Franzosenholz-Rinde, Heiligenholz-Rinde. *Ecorce de Gaïac, de Bois Saint.* — *Guajaci officinalis* L., e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Zygophyllearum, arboris Indiae occidentalis, Cortex. — Frusta plana vel parum concava, 1 — 3 lineas et ultra crassa, externe inaequalia aspera, rimosa, obscure griseo-fusca, coerulescentia, maculis luteis picta, superficie interna glabra, griseo-flavescente. Cortex fragilis, fractura transversali inaequali, facile in lamellas separabilis; inodorus, calefactus autem odorem spargens haud ingratum aromaticum, sapor amariusculus, acer, gutturalis. — *Part. const. praev.*: Resina propria. — *Vis*: irritans, diaphoretica. — *Usus*: In decocto.

CORTEX GUAZUMAE. Schwarzkraft Rinde. *Ecorce de Guazuma.* — *Bubromae Guazumae* W. (*Theobromae* L. — Cl. v. Cacao p. 23.), arboris Indiae occidentalis, Cortex, — qui contra elephantiasin adhibetur.

CORTEX GUILANDINAE. Moringa-Rinde. *Ecorce de Ben oleifere.* — *Hyperantherae Moringae* VAHL (*Guilandinae* L.), e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Leguminosarum, arboris utriusque Indiae, Cortex. — Pro medicamento antiscorbutico usurpatur.

CORTEX HAMAMELIS VIRGINIANAE L. Virginische Zaubernußrinde *Ecorce d'Hamamele de la Virginie.* — Fruticis Americae borealis, e cl. Tetrandria, ord. Digynia, fam. Berberidum; sapore gaudens amaro et adstringente ingrato. — In America adhibetur.

CORTEX HIPPOCASTANI, C. Castaneae equinae. Roßkastanien- oder wilde Kastanien-Rinde. *Ecorce de Marronier d'Inde.* — *Aesculi Hippocastani* L. (v. Castaneae equinae p. 28.) Cortex, a ramis 3 — 5-ennibus colligendus, tenuis, externe cinereus passimque fuscescens vel subviolaceus, subglaber vel non admodum rimosus et

tuberculis sparsis obsessus; sub epidermide cortex recens pallide viridis, siccatus subfuscus, flexilis; fractura non resinosa, colore carneo; inodorus fere, inter siccandum autem odorem ammoniacalem edens, sapore acerbo et amaro. Infusum aquosum brunneum, si per lucis radios reflexos adspicitur, coeruleo-versicolor, ferri muriatici oxydati ope colore atro-viridi imbuitur. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum adstringens et amarum. — *Vis:* tonica, febrifuga, antiseptica. — Pro succedaneo chinae habebatur. — *Usus:* In pulvere, decocto. — *Praep.:* Extractum. — Hodie perraro praescribitur.

CORTEX JAMBOSAE. Jambusrinde. *Ecorce de Jambus.* — *Jambosae malaccensis* RUMPH, (*Eugeniae* L.), e cl. Icosandria, ord. Monogynia, fam. Myrtacearum, arboris Malaccensis, Cortex adstringens. — Ut antidysentericum adhibetur.

CORTEX IMBIRIBI. Imbiribirinde. *Ecorce d'Imbiribi.* — E Brasilia advehitur. — Frusta lata et crassa, subcanaliculata, externe lichenibus albidis tecta et transverse fissuris parvis lineata, in superficie interna laevia, rubra; fractura recens rubeo-grisea, aëris aditu mox in colorem rubrum abiens. Cortex inodorus, peradstringens sine amaritudine. Infusum aquosum saturate rubro-fuscum ferri muriatici oxydati ope colore atro-viridi turbatur. — Cortex hic etiam false pro Cortice Adstringenti (p. 42.) venditur.

CORTEX JUBABAE. Jubaba-Rinde. *Ecorce de Jubube.* — Arboris ignotae, forsitan *Styracis* speciei, Cortex, qui ex India orientali advehitur. — Frusta tubulosa, fusca, aspectu corticis chinae fuscae, odoris gratissimi, aromatici, vanigliae similis, saporis aromatici, amariusculi. — Chocoladae addendus praescribitur.

CORTEX INTERIOR JUGLANDIS CINEREAE L. Innere Rinde des grauen Wallnußbaums. (Cl. cet. v. infra) arboris Americae borealis, — ut purgans usurpatur.

CORTEX NUCUM JUGLANDIUM VIRIDIS. Grüne Nußschale. *Brou de Noix commune.*

Synon.: Putamen (improprie) nucum juglandium.

Juglandis regiae L., (Fl. Bad. III. 700), e cl. Monoecia, ord. Polyandria, fam. Juglandearum, arboris Orientis, quae apud nos colitur, fructus Cortex viridis, glaber, subcarnosus, saporis acris, subcorrosivi; linguam colore fusco-nigro imbuens; siccando fuscescens saporemque mitiorem, magis amarum assumens. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum proprium, acri-amarum et adstringens. — *Vis:* irritans, tonica, anthelminthica, antisyphilitica.

Usus: In decocto. — *Praep.:* Extractum, Roob, Tinctura, Decoctum Pollini.

CORTEX JUREMAE. Jurema-Rinde. *Ecorce de Jurema.* — *Acaciae Juremae* MARTII (Cl. cet. v. Cort. Adstringens Brasiliensis p. 42.), arboris Brasiliensis, Cortex. — Frusta plana vel canaliculata, plerumque cortice exteriori liberata, colore sordide griseo-violaceo, incarnato, intus pallide violacea, fractura fibrosissima; sapore amariusculo-adstringente. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore pallide cinereo, subfuscescente, turbatur. — Cortex passim falso pro Cortice Adstringente Brasiliensi venditur, a quo, uti ex descriptione patet, longe recedit.

CORTEX RADICIS LIATRIS. Prachtscharten-Rinde. *Ecorce de Liatris.* — *Liatris spicatae* W. (*Liatris macrostachiae* Mx. — Cl. cet. ut Ayapana p. 14.), plantae perennis Americae borealis, Cortex radicis, — qui in colica et stranguria laudatur.

CORTEX LILAC, Syringae. Spanische Fliederrinde. *Ecorce de Lilac.* — *Syringae vulgaris* L. (Fl. Bad. I. 13.), e cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Jasminearum, fruticis vel arbusculae Europae australis, passimque Germaniae, frequenter cultae, Cortex, e ramis mediocribus colligendus, externe tuberculis minutis obsitus et tenerrime rugosus, dum recens griseo-fusco-viridescens, siccatus fuscus; intus recens albidus, siccatus flavescens, laevis; inodorus, sapore primum amaro, post acri, demum adstringente. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore atro-viridi imbuitur. — Cortex viribus medicatis praeditus et dignus est, qui ut medicamentum adhibeatur.

CORTEX MAGNOLIAE GLAUCAE L. Blaugraue Magnolien-Rinde. *Ecorce de Magnolie glauque,* — e cl. Polyandria, ord. Polygynia, fam. Magnoliacearum, arboris vel fruticis Americae borealis, Cortex glaber, nigro-fuscus, aromaticus, odore sassafrasino. — Ut tonicum, excitans, antifebrile, contra rheumatismum adhibetur. — In eundem finem *Cortex Magnoliae grandiflorae* L., et *M. auriculatae* LAM., arborum in iisdem terris occurrentium, usurpantur.

CORTEX MAHAGONI. Mahagoni Rinde. *Ecorce d'Acajou à meubles.* — *Swieteniae Mahagoni* W., e cl. Monadelphia, ord. Decandria, fam. Meliacearum, arboris occidentalis, Cortex. In frustis tam planis crassioribus, quam tenuioribus convolutis occurrens; colore externe pallide griseo, intus obscure rubro-fusco, sapore gaudens peradstringente, subamaro. — Ut febrifugum usurpatur.

CORTEX MALAMBO, Melambo. Malambo-Rinde. *Ecorce de Malambo.* — *Drimyos Granadensis* (Cl. cet. v. Cort. Winteranus p. 53), arboris Americae meridionalis, Cortex. Frusta canaliculata vel plana, crassa, cinereo-rubescentia, epidermide pallide griseo-rubro-fusco-maculata, passim tuberculosa; ponderosa, odore forti, grato-aromatico, calami aromatici simili, sapore acri aromatico, amaro.

CORTEX MALI SILVESTRIS. Wild-Apfelbaumrinde. *Ecorce du Pommier sauvage.* — *Pyri, Mali silvestris* (Fl. Bad. II. 388.), e cl. Icosandria, ord. Pentagynia, fam. Rosacearum, arboris indigenae notissimae, Cortex, e ramis 3—5-ennibus colligendus; tenuis, externe fuscus, cinerascens, intus flavo-viridescens; sapore peramaro, adstringente. — *Part. const. praev.:* Principium amarum et adstringens. — *Vis:* tonica, febrifuga. — *Usus:* Olim in decocto. — *Praep.:* Extractum.

CORTEX MAMMEAE AMERICANAE L. Mammen-Rinde. *Ecorce de Mammey d'Amerique,* — e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Guttiferarum, arboris Indiae occidentalis, Cortex, — qui in America ut medicamentum adhibetur.

CORTEX MANGLES. Manalc-Rinde. *Ecorce de Mangles.* — *Rhizophorae Mangles* L., e cl. Octandria, ord. Monogynia, fam. Rhizophorearum, arboris utriusque Indiae ad littora maris fluviorumque ripas crescentis, Cortex fuscus, saporis adstringentis. — *Vires* corticis chinae possidere fertur.

CORTEX FRUCTUS MANGOSTANAE. Mangostanen-Schale, oder Rinde *Ecorce de fruits de Mangostane.* — *Garciniae Mangostanae* L., e cl. Dodecandria, ord. Monogynia, fam. Guttiferarum, arboris Javae, insularum Moluccensium, fructus amoenissimi aromatici, Cortex, Cortici Granatorum (p. 47.) similis pariterque adstringens. — In dysenteria usurpatur.

CORTEX MARGARIAE, idem quod. China bicolor p. 35.

CORTEX MASSOY seu Mazoy. Massoy-Rinde. *Ecorce de Massoy.* — *Lauri (Cinnamomi) Burmanni* Nees (Cf. v. Cinnamom. p. 37.), arboris Javae, novae Guineae, Cortex. — Frusta tenuia, vel lineam crassa, fere plana vel canaliculata et tubulosa, obscure cinnamomea, vel nigro-fusca, epidermide fusco-grisea lichenibusque crustaceis albide maculata, glabra vel subrugosa; superficie interna aequali, striata, quae si ungue fricatur, obscurior fit, et pinguem nitorem assumit. Cortex fragilis, fractura aequali, brevi fissili, sub epidermide lineas duas distinctas albidas conspicuas, ceterum obscurae fusca; odore fragrante, grate aromatico, quodammodo foeniculino et sapore acri-aromatico, camphorino. — Ut roborans, stomachicum et carminativum adhibetur.

CORTEX MENISPERMI CRISPI L. Krausstängelige Mondsaamen-Rinde. *Ecorce de Menisperme crêpu* — (Cl. cet. v. Cocculi indici p 38.), arboris Bengalensis, Cortex verrucosus, amarus. — Chinae loco in patria usurpatur.

† CORTEX MEZEREI. Seidelbastrinde. *Ecorce de Mezereon, de Garou.*

Synon.: Cortex Thymeleae, Laureolae, Coccognidii.

Daphnes Mezerei L., *D. Laureoleae* L., *D. Gnidii* L. (Fl. Bad. II. 156.), e cl. Octandria, ord. Monogynia, fam. Thymelaearum, fruticum, quorum primus indigenus, secundus Helvetiae, Galliae Angliaeque, rarius Germaniae, tertius Europae meridionalis Africaeque borealis incola, Cortex, vere e trunco et ramis validioribus colligendus. Tenuis est, epidermide tenuissima, externe fusca, glabra, tecta, cortice intermedio viridi, tenuissimo; maxima ex parte autem libro albo, flavescente, glabro, tenacissimo constans; inodorus, sapore acerrimo caustico, masticando facile vesicas in ore excitans. — *Part. const. praev.:* Resina acris. — *Vis:* irritans, rubefaciens, vesicans.

Usus: Interne, in decocto; externe ad cutem irritandam, pus producendum, cortex maceratus imponitur. — *Praep.:* Unguentum, Taffetas epispastique.

CORTEX MICHELIAE MONTANAE Blum. Berg-Michelien-Rinde. *Ecorce de Michelie de montagnes* — (Cl. cet. v. Cort. Magnoliae p. 48), arboris Javensis procerae, pulcherrimae, Cortex aromatico-amarus. — Ab incolis corticis cascarillae loco adhibetur.

CORTEX RADICIS MICHELIAE CHAMPACAE L., arboris Indiae orientalis, qui ruber, amarus, et peracer, — ab incolis etiam ut medicamentum adhibetur.

CORTEX MOLLIS. Molle-Rinde. *Ecorce de Mollé.* — *Schini Mollis* L., e cl. Dioecia, ord. Decandria, fam. Terebinthacearum, arboris Americae australis, Cortex grate aromaticus. — In patria ut medicamentum adhibetur.

CORTEX RADICIS MORI NIGRAE. Schwarze Maulbeerwurzel-Rinde. *Ecorce de racine du Murier noir.* — *Mori nigrae* L., (v. Baccae p. 16.), radicis Cortex, superficie rugosa, colore aurantiaco, odore debili, ingrato, sapore dulcescente, nauseoso, adstringente. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens. — *Vis:* anthelminthica. — Olim contra taeniam in usum vocabatur.

CORTEX RADICIS MYRICAE CERIFERAE L. Virginianische Wachsbaumwurzel-Rinde. *Ecorce de Cirier,* — e cl. Dioecia, ord. Tetrandria, fam. Myricearum, fruticis seu arbusculae Americae borealis, radicis Cortex. — Ut emeticum ipecacuanhae loco adhibetur.

CORTEX OLEAE EUROPAEAE L. Olivenbaum- oder Oelbaum-Rinde. *Ecorce d'Olivier,* — (v. Ol. Olivarum). — Ut febrifugum, chinae succedaneum, adhibetur. — *Praep.:* Extractum, Tinctura, Syrupus.

CORTEX PARAIBAE. Paraiba-Rinde. *Ecorce de Paraiba.* — *Quassiae versicoloris* Spr. (Cl. cet. v. Cort. Quassiae p. 50.) arboris Brasiliensis, Cortex amarissimus, — narcoticas vires habens.

CORTEX PARATODO seu Paratudo, Casco per tudo. Paratodo-Rinde, gut für Alles. *Ecorce de Paratodo.* — *Gomphrenae officinalis* MART. (?), e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Amaranthacearum, vel potius *Canellae* speciei (v. Canella alba p. 24), plantarum Brasiliensium, Cortex, canellae albae similis, sed crassior, parum canaliculatus, externe flavescens, longitudinaliter rimosus, epidermide cinerea; fere inodorus, sapore primo amariusculo, post acerrimo urente, linguae diu adhaerente. — Ut excitans, carminativum, diaphoreticum et diureticum adhibetur.

CORTEX POCGEREBAE. Pokgereba-Rinde. *Ecorce de Pocgereba*; — ex America adfertur. Frusta convoluta, interdum ramosa, pennae scriptoriae ad digiti diametro, dura, ponderosa, superficie obscure brunnea, rugosa; inodora, sapore parum adstringente.

CORTEX POPULI. Pappelrinde. *Ecorce du Peuplier blanc.* — *Populi albae* L. (Fl. Bad. III. 759.), e cl. Dioecia, ord. Octandria, fam. Salicinarum, Cortex viridicinereus, e ramis mediocribus colligendus; sapore adstringente, subamaro. Infusum aquosum, addito ferro muriatico oxydato, colore viridi-nigro tingitur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens, Populium et Salicium.

CORTEX POPULI TREMULAE. Zitterpappel, Espen-Rinde. *Ecorce du Peuplier tremble.* — *Populi Tremulae* L. (Fl. Bad. III. 762. — Cl. cet. praecedentis), arboris notissimae, Cortex cinereus, e ramis 3—4-ennibus colligendus, odore ingrato, sapore peramaro, adstringente. — *Part. const. praev.:* Populium et Salicium. — Ut antifebrile et ad parandum Salicium usurpatur

CORTEX PRINOS VERTICILLATI L. Quirlförmige Prinos-Rinde. *Ecorce de Prinos verticillé.* — e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Sapotearum, fruticis Americae borealis, Cortex acri-amarus. — Ut febrifugum cet. adhibetur.

CORTEX PRUNI COCOMILIAE TENORE. Kalabrische Pflaumen-Rinde. *Ecorce de Prunier Cocomilie* — (Cl. cet. v. Cort. Acaciarum p. 42.), arboris Calabrensis, Pruni domesticae similis, Cortex. — In patria ut febrifugum loco chinae maxime laudatur. — Hinc cortex Pruni domesticae, vel Acaciarum, qui olim jam in hunc finem adhibebatur, similibus fortisan gaudet virtutibus.

CORTEX PRUNI PADI. Traubenkirschen-, Ahlkirschen-Rinde. *Ecorce du Cerisier à Grappes.* — *Pruni Padi* L. (Fl. Bad. II. 350. — Cl. cet. v. Cortex Acaciarum p. 42.), fruticis vel arboris indigenae, foliis ovato-acutis, duplicato serratis, subtus opacis, petiolis biglandulosis, racemis laxis seu pendulis, Cortex, e ramis tri-quadriennibus colligendus; recens externe obscure fusco-griseus, glaber et verrucis minimis, sordide luteis, vel pallide rubiginosis, obsitus, sub epidermide viridis, intus albidus, aëri autem expositus mox fuscescens, tenax; odore forti, amygdalarum amararum simili, sed minus grato, inter siccandum maxima ex parte evanescente, sapore peramaro, aromatico et adstringente. Infusum aquosum ferro muriatico oxydato colore viridi imbuitur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum cum Acido borussico junctum, Principium amarum et adstringens. — *Vis:* antirrheumatica, antisyphilitica, antifebrilis, antiphthisica. — *Usus:* In pulvere, infuso, decocto. — *Praep:* (e cortice recenti) Aqua destillata. — Cave confundas cum cortice Pruni serotinae, foliis simpliciter serratis, utrinque nitentibus, nervo medio subtus bifariam pubescentibus, basi glandulosis, racemis erectis, — vel cum Pruni virginianae (rubrae) cortice, foliis duplicato-serratis, nitidis, petiolo glanduloso, racemis laxis, nitentibus; qui cortices magis nitentes, tuberculorum loco rimulis minutis obsessi, ceterum odore gaudentes simili, magis ingrato. — Cortex posterior in America ut medicamentum adhibetur. — Confusio cum Cortice Frangulae (p. 46.) facile detegenda.

CORTEX PSEUDACACIAE. Unächte Acacien-Rinde. *Ecorce de Robinier.* — *Robiniae Pseudacaciae* L., e cl. Diadelphia, ord. Decandria, fam. Leguminosarum, arboris Americae borealis indigenae, ad nos transplantatae, Cortex griseus; — emeticas ut fertur habens vires.

CORTEX QUASSIAE. Quassienrinde. *Ecorce de Surinam.* — *Quassiae amarae* L. (v. Lignum) Cortex, qui a ligno facile secerni potest. — Frusta offerens tenuia, concava, externe pallide grisea, sublutescentia, passim obscure griseo-maculata, glabra vel parum rugosa, intus glaberrima, alba, striis rubescentibus intermixta, nonnunquam nigrescentia, levia, fragilissima, paene inodora, sapore amarissimo. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum amarum — *Vis:* tonica (narcotica?). — *Usus:* In pulvere, infuso, decocto. — *Praep.:* v. Lignum.

CORTEX QUASSIAE JAMAICENSIS. Jamaikanische Quassienrinde. *Ecorce de Jamaique.* — (v. Lignum) Differt a praecedente eo, quod magis ligno adhaeret, ac superficie externa internaque inaequali, lacunoso-tuberculosa, colore obscuriori griseo-fuscescente. Ceterum non minus amarus, imo amarior.

CORTEX QUERCUS. Eichenrinde. *Ecorce de Chêne.*

Quercus Roboris L. et *Q. sessiliflorae* SM. (Fl. Bad. III, 697 —698), e cl. Monoecia, ord. Polyandria, fam. Cupuliferarum, arborum indigenarum, notissimarum, Cortex, ex juniorum arbuscularum truncis, mense Majo—Junio colligendus; externe argenteo-nitens, vel cinereo-fuscus, glaber, vel rugoso-rimosus, tubercu-

lis et lichenibus passim obsessus, intus color corticis recentis albidus, aëri expositus inter siccandum celeriter fuscescens, superficie interna fibroso-fissili, opaca, cinnamomea, fragilis, fractura transversali plana, opaca, excepto libro tenacissimo; inodorus, sed cum partibus animalibus in aqua maceratus, odorem peculiarem coriarium emittens, sapor peradstringens. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore intense coeruleo-nigro tingitur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens.

Usus: In pulvere, decocto. — *Praep.:* Extractum, Tinctura, Tanninum. Aliis quoque additur compositionibus. — Ad usum medicum quoque Cortex coriarius contusus sumi potest.

CORTEX QUERCUS ALBAE. Weiße Eichenrinde. *Ecorce de Chêne blanc*, et

CORTEX QUERCUS TINCTORIAE. Quercitronrinde. *Ecorce du Quercitron*, — arborum Americae borealis Cortices adstringentes, quorum posterior simul amarus, colore praeditus luteo, tingente, — eodem modo uti praecedens adhibeutur.

CORTEX RAVENSARAE. Gewürzhafte Gutblattrinde *Ecorce de Ravensara.* — *Agathophylli aromatici* W., (*Evodiae* GAERTN. *Ravensarae Sonner.*), e cl. Dodecandria, ord. Monogynia, fam. (?) arboris excelsae Madagascariensis, Cortex aromaticus, — qui subinde cum Cassia caryophyllata (p. 28.) confundi dicitur.

CORTEX RADICIS ROSAE CANINAE. Hundsrosen-Wurzelrinde. *Ecorce du Rosier sauvage.* — *Rosae caninae* L. (v. Cynosbata p. 56.) radicis Cortex, epidermide brunnea, tenuissima, facillime a cortice tenace, albo, aëre autem admisso celeriter fuscescente, solubili, tectus; inodorus, sapore peradstringente, amariusculo. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore intense viridi-nigro tingitur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens. — Olim contra hydrophobiam maxime laudabatur. — Hodie exolevit.

CORTEX RUBI TRIVIALIS M. Gemeine Brombeerstrauch-Rinde. et Cortex Rubi villosi AIT. (Cl. v. Baccae Rubi p. 17.) fruticum Americae borealis, Cortices, — adstringentibus gaudent viribus.

CORTEX SALICIS. Weidenrinde. *Ecorce de Saule.*

Salicis Helicis L., (vel potius *Salic. purpureae* L. teste KOCH. — *Salic. monandrae* HOFFM. Fl. Bad. III. 727.), e cl. Dioecia, ord. Diandria, fam. Salicinarum, fruticis et arbusculae indigenae, amentis praecocibus, floribus monandris, germinibus villosis, foliis anguste lanceolatis, versus apicem serrulatis, utrinque glaberrimis, subtus glaucis, Cortex, e ramis 4-ennibus et annosioribus, mense Aprili-Majo vel mense Octobri colligendus; recens, externe fuscus et cinereo-olivaceus, fusco-purpurascens, glaber, siccatus convolutus, tubulosus, subrugosus, intus fuscescens, pallide cinnamomeus, mediocriter tenuis; odore (recentis) proprio balsamico, amygdalino, sapore amaro-adstringente, balsamico. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore viridi-nigro imbuitur. — *Part. const. praev.:* Salicium et Principium adstringens. — *Vis:* tonica, febrifuga.

Usus: In pulvere, decocto. — *Praep.:* Extractum, Salicium.

Cortex modo descriptus Salicis Helicis praecipue Salicio abundat, hinc prae omnibus Salicum corticibus ut medicamentum eligendus. Cortices aliarum Salicis specierum indigenarum, ut: S. rubrae SM., (S. fissae HOFFM.), et S. vitellinae L., minus, S. fragilis L., albae, pentandrae et incanae, capreae, cinereae et auritae L. cet. exiguam tantum quantitatem continent. An corticibus Salicum Salicium insit, magis explorandum est. Sapor amaro-balsamicus, et si cortex recens, cum oleo vitrioli purissimo illinatus, statim colorem brunneo-rubrum assumit, bonitatis est signum, Salicii praesentiam indicans.

et Resina acris. — *Vis:* excitans, stomachica. — *Usus:* In pulvere, decocto. — Cave confundas cum Canella alba (p. 24.) et Cortice Culilawan (p. 46.). Saepius quoque Costi dulcis nomine occurrit (v. infra).

CORTEX XANTHOXYLI, seu Zanthoxyli. Zahnwehholzrinde. *Ecorce de Zanthoxylon.* — *Zanthoxyli Clavae Herculis* L., e cl. Pentandria, ord. Trigynia, fam. Zanthoxylearum, fruticis insularum Caribaearum, Cortex ferrugineus, sapore dulcescenti-acri, austero-amaro. — Principio sui generis, Xanthopicrito, gaudens. — Contra colicam, rheuma cet. adhibetur. — Conf. Cortex Geoffraeae Jamaicensis (p. 47.).

CORTEX ZIZYPHI JOAZEIRO MART. Joazeiro-Rinde. *Ecorce de Jouzeiro* — (Cl. cet. v. Cort. Frangulae p. 46.), fruticis Brasiliensis, Cortex griseo-fuscus, emeticus. — Contra febres intermittentes adhibetur.

COSTUS. Kostus, Kostwurzel. *Costus.* — *Costi arabici* L., (*Costi speciosi* SM. (?)), e cl. Monandria, ord. Monogynia, fam. Scitaminearum, (vel potius *Iridaeae* cujusdam speciei (?)), plantae perennis Indiae orientalis Radix. — Frusta cylindrica, semi-cylindrica, vel cylindrico-conica, plerumque subtuberosa, curvata; 2—3-pollicaria, digiti et ultra crassitudine, modo in altero latere, modo in medio excavata, externe aspera, longitudinaliter rugoso-strigosa, griseo-rubescentia, vel obscure fusca, intus plus minus sordide cinereo-flavescentia, subnigro-maculata, stellatim celluloso-porosa, resinosa, mediocriter ponderosa, dura, fragilia; odore gratissimo aromatico, radicis iridis florentinae simili, sapore aromatico, plus minus amaro. — Distinguuntur: Costus amarus, bitterer Kostus, colore obscuriore saporeque magis amaro, et Costus dulcis, süßer Kostus, colore plerumque pallidiore saporeque minus amaro.— *Part. const. praev.:* Resina acris et Oleum aethereum. — *Vis:* stomachica, carminativa. — *Usus:* In pulvere, infuso. — Hodie perraro Costus verus apud mercatores obvius. — Nomine Costi corticosi, Costi dulcis, Corticis Costi, Canella alba (p. 24.) passimque Cortex Winteranus (v. supra) prostat.

CRETA ALBA. Weiße Kreide. *Craie blanche.*

Synon.: Creta Coloniensis, Campaniensis. Köllnische oder Champagner-Kreide.

Montes stratificatos recentiores formans. Praesertim ad Galliae, Angliae Daniaeque oras occurrens. — Massa alba, opaca, friabilis, insipida, tactu macilenta, linguae adhaerens, p. sp. 2,7; in aqua haud solubilis, igni exposita Calcariam puram relinquens. — Est Calcaria carbonica.

Eligenda sunt frusta albissima, laevia, in acido salis inter effervescendum plane solubilia. Rejicienda arenosa, aut aliis partibus heterogeneis inquinata.

Usus: In pulvere, ut absorbens. Ad multa praeparata adhibetur.

CROCUS. Safran. *Safran.*

Croci sativi L., e cl. Triandria, ord. Monogynia fam. Iridearum, plantae perennis bulbosae Asiae minoris, quae et in Europa meridionali, Austria Angliaque colitur, Stigmata, quae floribus apertis, evelluntur, una cum pistilli particula et caute siccantur. — Fila 1—2-pollicaria, apice dilatata, truncata, 3-laciniato-denticulata, versus basin attenuata; colore fusco-aurantiaco, basi pallide flavescente, subtenacia; odore fragrante, aromatico-narcotico, sapore amaro-aromatico; masticantis salivam intense luteam tingentia. Distinguuntur: Crocus Orientalis, Austriacus, Gallicus, Anglicus, Orientalischer, Oestreichischer, Französischer, Englischer Safran, et Crocus Hispanicus, Spanischer Safran, qui minoris est pretii. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium extractivum colorans (Polychroit). — *Vis:* excitans, nervina, antispasmodica, stomachica, narcotica.

Crocus corruptus, colore nigrescente vel pallido, paullulum aromaticus, salivam parum tingens, aut mucore tectus, vel oleo pingui illitus, rejiciendus. Cave ne intermixtus sit floribus Carthami tinctorii,

Scolymi hispanici, Punicae Granati, pernae fibris, quae cuncta a croci forma supra descripta longe recedunt.

Usus: In pulvere, infuso. — *Praep.:* Tinctura, Extractum, Syrupus, Spiritus, Oleum. Multas praeterea alias ingreditur compositiones, e. g. Laudanum liquidum Sydenhami, Emplastrum de Galbano crocatum, Theriacam cet.

CRYSTALLUS MONTANA. Bergkrystall *Crystal de roche.* — In montibus primitivis Helvetiae, Hungariae, Germaniae, Galliae, Indiae orientalis, Brasiliae cet. occurrens eorumque cavamina saepius incrustans. — Lapis durissimus, decolor, vitri instar pellucidus, crystallos prismaticas, plerumque regulariter hexaëdricas formans. — Est Silicia pura nativa. — Olim inepte ut absorbens adhibebatur. — Hodie exolevit.

CUBEBAE. Cubeben. *Cubebes.*

Synon.: Piper caudatum, Baccae Cubebae.

Piperis Cubebae L., e cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Piperacearum, fruticis scandentis Indiae orientalis, Fructus. — Baccae fuscae, reticulato-rugosae, piperis nigri specie et magnitudine, sed pedicello rigido, 2—3 lineas longo, in testa dilatato, praeditae, sub testa nucleum fuscum, intus albidum, durum, includentes; odore fragrante, grate aromatico, sapore acri-aromatico, piperino et camphorato. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Resina acris (Piperium?). — *Vis:* excitans, nervina, antisyphilitica.

Cave confundas cum Baccis Spinae cervinae (p. 18.) et Semine Amomi, quod majus est et pedunculo caret.

Usus: In pulvere. — *Praep.:* Oleum aethereum, Extractum oleoresinosum; adduntur etiam Speciebus aromaticis, cet.

CUCUMIS. Garten-Gurke, Kukumer. *Concombre.* — *Cucumeris sativi* L. (Fl. Bad. IV. 691.), e cl. Monoecia, ord. Monadelphia, fam. Cucurbitacearum, plantae annuae Indiae orientalis, apud nos tritissimae, Fructus. — Pepo oblongus, variae magnitudinis, subverrucosus, primo viridis, maturitate luteus vel aurantiacus, fusco-rubeus, trilocularis, pulpam includens albam, succulentam, cum seminibus albidis, ovatis, compressis, margine acuto. Odor succi debilis, proprius, sapor fatuus, vix subdulcis, salsus, subausterus. — *Part. const. praev.:* Saccharum et Salia varia. — *Vis:* refrigerans, antiphthisica. — *Usus:* diaeteticus. — *Praep.:* Succus, Unguentum pomatum.

† CUCUMIS ASININUS seu agrestis, Fructus Momordicae. Esels-Kürbis, Spring-Gurke, wilde Gurke. *Concombre d'Ane, sauvage, Elaterium.* — *Momordicae Elaterii* L. (Fl. Bad. IV. 685. — Cl. cet. praeced.), plantae annuae Europae australis et Orientis, nobis hortensis, praecedenti similis, sed foliis obtusangulis, hispidis, floribus viridi-flavescentibus, Fructus. Pepo ellipticus sub-bipollicaris, muricato-echinatus, pallide viridis, maturus tactu facillime a pedunculo desiliens succumque simul cum seminibus ejaculans, hinc caute ita colligendus, ut succus in vas idoneum excipiatur; sapore gaudet acerrimo, amaro. — *Part. const. praev.:* Elaterinum. — *Vis:* maxime drastica, hydragoga. — *Usus:* In pulvere, raro. — *Praep.:* Succus, Elaterium album et nigrum, Faecula, Oleum coctum. Additur aliis quoque compositionibus.

CUCURBITA LAGENARIA L. Flaschen-Kürbis. *Gourds,* — et Cucurbita Pepo L. Gemeiner Kürbis. *Citrouille.* — (Fl. Bad. IV. 688 et 689.) Plantarum annuarum ex eadem classe, ord. et fam. ac praecedens, quae aeque apud nos coluntur. Fructus plerumque majores, glabri; prioris lageniformes, posterioris subrotundi seminibusque margine incrassato praediti, nonnusquam tam ut esca quam ut medicamentum usurpantur.

† CUPRUM. Kupfer. *Cuivre.*

Synon.: Aes, Venus.

In officinis metallariis e mineris cupri depuratione et reductione obtinetur. — Metallum laete brunneo-rubrum, splendidis-

simum, perdurum, elastice-tenax, sonans, admodum ductile, in folia tenuissima, auri similia, extensibile; p. sp. 8,87, nonnisi calore albo-candente funditur, vix volatile, admisso aëre flamma viridi comburitur, oxydumque brunneo-nigrum format. — P. M. 395,695. In acido nitri facile, in acido sulphurico concentrato nonnisi caloris ope dissolubile, in ceteris autem acidis, excluso aëre, fere insolubile, sed aëre adjuvante facile solubile, et ab ipsa quidem aqua corroditur, eaque aeruginem format. Salia inde orta cuprea, viridia vel coerulea, cum ammonio caustico in excessu mixta, azuream praebent solutionem, et kali ferro-cyanici ope colore brunneo-rubro praecipitantur. — *Vis:* emetica.

Usus: In substantia, pulveris forma. — *Praep.:* Complura cuprina, e. g. Aerugo (p. 1.) Vitriolum de Cypro, Cuprum carbonicum, phosphoricum, ammoniacale, Lapis divinus cet.

CYDONIA. Quitten. *Coings.*

Synon.: Fructus Cydoniae. Kütten.

Pyri Cydoniae L. (Fl. Bad. II. 387.), e cl. Icosandria, ord. Pentagynia, fam. Rosacearum, arboris Orientis, ad nos transplantatae, Fructus. — Poma aspectu et magnitudine mali vel piri, anguloso-sulcata, adsecuta maturitatem lutea, tomento albo tecta; odore fragrante, grate aromatico, carnem albam, duram, acido-acerbam, subdulcem loculaque 5 polysperma includentia. — *Part. const. praev.:* Acidum malicum, Saccharum et Oleum aethereum.

Usus: diaeteticus, Cydonia in segmenta dissecta et siccata in decocto.

Praep.: Conditum, Pulpa, Miva, Panis, Diacydonium, Succus, Syrupus, Vinum, Extractum et Tinctura Martis cydoniata.

CYNOSBATA, Fructus Cynosbati. Hainbutten, Hagenbutten. *Grattes-culs, Cynorrhodons.* - *Rosae caninae* L. (Fl. Bad. II. 422.), e cl. Icosandria, ord. Polygynia, fam. Rosacearum, fruticis vulgatissimi, Fructus. — Tubi calycini baccati, ovales, glandis quercus magnitudine, amoene rubri, nitentes, reliquiis calycis sepalorum coronatae, carne dura, parum succulenta, sapore subacido, dulcescente, substyptico fructusque plures caryopsaceos, angulosos, albidos, cum lanugine brevi, pungente, includentes. — *Part. const. praev.:* Saccharum, Acidum malicum et citricum. — *Vis:* refrigerans, diuretica, antispasmodica (?). — *Usus:* diaeteticus; fructibus lanugineque exaratis siccata, in pulvere, decocto. — *Praep.:* Roob, Pulpa, Conserva.

DACTYLI, Palmula, Tragemata. Datteln. *Dattes.* — *Phoenicis dactyliferae* L., e cl. Dioecia, ord. Hexandria, fam. Palmarum, palmae Asiae et Africae borealis Fructus. — Baccae monospermae, oblongae, ovales, in basi calyce instructae. Siccatae prostant, colore rubro-fusco vel aurantiaco, glabrae, sub epidermide diaphana carnem dulcissimam et semen oblongum, uno latere sulco longitudinali exaratum, membranulaque alba, pellucida, obvolutum, includentes. Distinguuntur: Dactyli Alexandrini, Alexandrinische Datteln, majores, 1½ pollicares et ultra, colore fusco-rubro, molliores carnemque fuscescentem, succulentam, sapidissimam includentes. Dactyli Barbarici, Barbarische Datteln, minores, ovales, pallidiores carnemque albidam, minus succulentam dulcemque includentes. — *Part. const. praev.:* Saccharum. — *Vis:* nutriens, demulcens, pectoralis. — *Usus:* diaeteticus; in decocto, speciebus adduntur. — *Praep.:* Pulpa, Pasta. — Rejiciendi insipidi, corrugati, verminculosi.

DASJESPIS. — In promontorio Bonae Spei rupibus adhaerens reperitur. Excrementum esse creditur *Hyracis capensis* HERM., animalis e cl. Mammalium, ord. et fam. Multungulorum. — Massa mollis, glutinosa vel sicca, colore fusco-nigrescente, passim nitens, quisquiliis alienis intermixta; odore penetrante castorei simili. — *Usus:* idem qui castorei.

DENS LUPI DEXTER. Rechter Wolfszahn. *Dent du Loup droit.* — *Canis Lupi* L. (v. Axungia p. 13.) Dens laniarius dexter, durissimus, — qui olim, argento inclusus, infantibus ad manducandum suspendebatur, dentionis causa.

DENTALIUM. Zahnpurpurschnecke. *Dentales.* — *Dentalii elephantini* L., Vermis marini, ex ord. Annulatorum, fam. Serpuliorum, mare mediterraneum indicumque incolentis, Testae. — Canaliculi 2—4-pollicares, conici, parum curvati, 10-sulcati, in utraque extremitate obtusi, colore pallide griseo.— Est praecipue Calcaria carbonica. — Hodie exolevit.

DENTES APRI. Wild-Schweinszähne. *Dents de Sanglier.* — *Suis Scrophae* L., (Cl. cet. ut Hyracis v. supra) animalis notissimi. Dentes eminentes, curvati, albi, splendentes, cavi, durissimi; maxime ex Calcaria phosphorica et carbonica constantes. — Olim usitati.

DENTES HIPPOPOTAMI, Equi marini. Wallroß- oder Seepferds-Zähne. *Dents de l'Hippopotame.* — *Hippopotami amphibii* L. (Cl. cet. ut Suis), animalis Aegypti, Nilum inhabitantis, Dentes eminentes, maximi, curvati, in basi cavi, apice oblique truncati, durissimi. — *Part. const.* et *Usus:* Ut dentium apri.

DENTISCALPIUM HISPANICUM. Spanische Zahnstocher. *Cures-dents espagnols.* — *Ammi Visnagae* LAM. (*Dauci Visnagae* L. — Cl. cet. v. Herba Dauci), plantae Europae australis et Orientis, umbellae Pedunculi rigidi, aromatici, ex quibus dentiscalpia fiunt, quae ex Oriente Massiliam exportantur.

EBUR, Spodium. Elfenbein. *Ivoire.* — *Elephantis asiatici et africiani* Cuv. (Cl. cet. ut Suis.), animalium terrestrium maximorum, Asiam et Africam inhabitantium, Dentes prominentes, 3—6-pedales, curvati, basi lati, excavati, apice vero desinentes in cuspidem; durissimi, ponderosi, externe fuscescentes, intus albi, temporis decursu lutescentes. — *Part. const. praev.* et *Usus:* Ut Cornu Cervi (p. 41.). *Praep.:* v. infra. — Cornu Cervi aliisque ossibus durioribus neutiquam praestat.

EBUR seu Spodium ustum album. Weißgebranntes Elfenbein. *Ivoire brulé à blanc* — et
EBUR USTUM NIGRUM. Schwarzgebranntes Elfenbein. *Ivoire brulé à noir.* — Eodem modo parantur ac Cornu Cervi ustum (p. 41.) iisdemque gaudent proprietatibus.

ELEMI. Elemi. *Elemi.*

Synon.: Gummi vel resina Elemi. Elemi occidentale. Oelbaumharz.

Amyridis Plumieri DEC. (?) (*Amyridis elemiferae* L.?), e cl. Octandria, ord. Monogynia, fam. Terebinthacearum, arboris Americae meridionalis, insularum Antillorum, secundum aliorum opinionem, *Burserae gummiferae* (v. Caranna p. 25.), Resina, sponte effluens, quae aëre exsiccatur. Glebae variae magnitudinis, foliis arundinaceis saepius involutae, pallide citrinae, subvirideseentes, vel flavae, pingue-nitentes, in frustulis minoribus diaphanae, haud raro corticis particulis intermixtae, p. sp. 1,08, in frigore fragiles, digitis tractatae aliquantulum mollescentes et glutinoso-tenacem consistentiam adipiscentes, leni calore liquescentes, valde inflammabiles; odore balsamico foeniculino citrinoque, sapore resinoso-balsamico, amariusculo; in spiritu vini frigido partim tantum, sed calore admoto, ex toto solubiles. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Resina duplicis generis. — *Vis:* irritans.

Cave ne inquinata sit resina pini, quae magis flava, odorisque ingrati therebinthacei et in spiritu vini frigido ex toto solubilis est. Differentia, quae est inter Animen et Elemi, v. p. 6.

Usus: Interne raro, in emulsione; plerumque emplastris et unguentis admiscetur. — *Praep.:* Balsamum Arcaei.

ELEMI ORIENTALE. Ostindisches Elemi. *Elemi d'Orient.* — *Balsamodendri ceylanici* KUNTH., (*Amyridis Zeylanicae* RETZ.), arboris Indiae orientalis, Resina esse fertur. Glebae citrinae, viridescentes, vel fuscescentes, particulis albidis intermixtae, priori paululo duriores; odoris saporisque similis, sed gratioris. — Hodie perraro occurrit; plerumque sub hoc nomine frusta praecedentis exquisita venduntur. — Sic et

ELEMI AFRICANUM. Afrikanisches Elemi, *Elemi d'Afrique,* — in frustulis et granis variis, sapore acri, scammonii instar, — olim usitatum, — hodiedum non prostat.

ENTALIUM. Glatte Zahnschnecke. *Entales.* — *Dentalii Entalis* L. (Cl. cet. v. Dentalium p. 57.) Testae, dentalii figura, sed minores, teretes, acutiores, albissimae.

ERINACEUS EUROPAEUS. Europäischer Igel. *Herisson.* (v. Axungia p. 13.). Olim comburebatur, Erinaceus combustus, gebrannter Igel et pro medicamento adhibebatur, ut carbo animalis. — Hodie exolevit. — Fel Erinacei, moschum redolens, forsitan dignum est, quod pro medicamento usurpetur.

† EUPHORBIUM. Euphorbium. *Euphorbe.*

Synon.: Gummi Euphorbii.

Euphorbiae officinarum L. aliarumque *Euphorbiae* specierum, e cl. Monoecia, ord. Monandria, fam. Euphorbiacearum, fruticum aculeatorum Africae et Indiae orientalis, Succus exsudatus et aëre induratus. Euphorbium granula irregularia, plerumque rotundato-triangularia, cava, foraminibus tribus perforata, colore cinereo-albido, lutescente vel fuscescente, opaca, formans; friabile, inodorum, nisi aut carbonibus inspersum, ubi gratum exhalat odorem, aut in pulvere naribus facieique admoveris, ubi sternutationem vehementissimam, immo facile inflammationem excitat; sapore primo vix sensibili, post acerrimo, urente, diu adhaerente; et in aqua et spiritu vini, partim tantum solubile est. — *Part. const. praev.:* Resina acris, et Salia malica. — *Vis:* venenata, caustica, emetica et drastica, inflammans.

Usus: Interne vix ullus; externe, in pulvere etiam unguentis emplastrisque admiscetur. — *Praep.:* Tinctura, Emplastrum vesicatoreum perpetuum, ischiaticum, cet.

EXUVIAE ANGUILLAE. Aalhäute. *Depouilles d'Anguille.* — *Anguillae fluviatilis* (p. 6.) Cutis siccata, dura, coriacea, diaphana, supra viridi-nigrescens, infra albida — et

EXUVIAE VIPERARUM aliorumque Serpentum, Schlangenhäute, *Depouilles de Serpents*, (v. Axungia p. 14) Cutis sponte deposita. Membranae cellulosae, quae cum aqua cocta, gelatinam praebent. — Hodie exolevere.

FABAE. Bohnen. *Fèves.* — *Viciae Fabae* L. et *Phaseoli vulgaris* L. (Fl. Bad. III. 195 et 166.), e cl. Diadelphia, ord. Decandria, fam. Leguminosarum, plantarum annuarum Asiaticae originis, apud nos tritissimarum, Semina oblonga, compressa, partim subreniformia, umbilicata, glabra, variae magnitudinis colorisque; inodora et fere insipida, dura, farinosa. Eligantur plerumque Fabae albae, weiße Bohnen. — *Part. const. praev.:* Amylum. — *Vis:* nutriens, emolliens. — *Usus:* diaeteticus; Pulvis seu Farina Fabarum externe ad cataplasmata cet. usurpatur.

† FABAE ST. IGNATII, Fabae febrifugae, Indicae, Papettae, Nuces vomicae legitimae, Camelli. Ignatius-Bohnen. *Fèves de St. Ignace.* — *Strychni Ignatii* Berg. (*Ignatiae amarae* L.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Strychnearum, fruticis insularum Philippinarum, Semina oblonga, obtuse 3 4-gona, in uno latere convexa, in reliquis plana, subcompressa, nucis avellanae magnitudine et majora, externe obscure vel pallide grisea, subrubicunda, opaca, saepius pruinosa, intus albida, vel grisea, parum diaphana, durissima, cornea, difficillime in pulverem redigenda; inodora, sapore amarissimo, nauseoso, quasi metallico. — *Part. const. praev.:* Strychnium et (sic dictum) Brucium. — *Vis:* narcotica, toxica. — *Usus:* In pulvere. — *Praep.:* Strychnium et Brucium. — Rejicienda cariosa, vetusta.

FABAE (et Siliquae) LIBIBIDI. Libibidi-Bohnen. *Fèves de Libibidi.* — *Caesalpiniae Coriariae* W., e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Leguminosarum, arboris Americae meridionalis Fructus. — Legumina bipollicaria, sigmoidea, fusca, aspera, fabas ovatas, glabras, olivaceas continentia; sapore adstringente. — Olim ut medicamentum usitatae; ad rem coriariam aptae.

FABAE PICHURIM. Pichurim- oder Pechurim-Bohnen. *Fèves Pichurim.* — *Perseae Pichurim* Spr. *Ocoteae Puchury* Mart. (Cl. cet. v. Cinnamomum p. 37.), arboris Americae meridionalis, Semina. — Nuclei oblongi, ovati vel elliptici, in partes duas disjuncti, altero latere convexi, altero plani, vel concavi, externe tenerrime reticulato-striati sulcatique, obscure griseo-fusci, intus cinnamomei, densi; odoris grate aromatici, nucum moschatarum et ligni sassafras similis, saporis aromatici fere ut nucum moschatarum. Distinguuntur: Fabae Pichurim majores, große

Pichurim-Bohnen, Sassafrasnüsse (ab *Ocotea Puchury majore* Mart.), $1\frac{1}{4}$ pollicem circiter longae; et Fabae Pichurim minores, kleine Pichurim-Bohnen (ab *Ocotea Puchury minore* Mart.), minores, magis rotundatae, colore obscuriori odoreque magis piperaceo. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et unguinosum. — *Vis:* excitans, tonica, febrifuga. — *Usus:* In pulvere, pilulis.

FABAE DE TONCO. Tonko- oder Tunkabohnen. *Fèves de Tonca.* — *Dipterícis odoratae* W., e cl. Diadelphia, ord. Decandria, fam. Leguminosarum, arboris Guineae, Semina. — Fabae oblongae, subcompressae, 1 — 1 1/2-pollicares, cortice tenui, laevi, plus minus rugoso, obscure-brunneo, pingue-nitenti, tectae; nucleum bipartibilem, laete fuscum, germine magno cuneiformi apice insidenti, praeditum, includentes; odore gratissimo aromatico, vanigliae et meliloti simili saporeque acri-aromatico. — *Part. const. praev.:* Oleum aromaticum camphorinum (Coumarinum) et unguinosum. — *Vis:* excitans. — *Usus:* Ut medicamentum vix adhibetur: odoris causa tabaco admiscetur.

FAECULA MARANTHAE ALLOUJAE Jacq. Satzmehl von amerikanischer Kurkuma. *Amidon du Curcuma à racines tubéreuses.* — (Cl. cet. v. Arrow Root p. 9.), plantae Antillorum, Amylum, iisdem praeditum proprietatibus atque arrow-root eodemque modo adhibetur.

FARINA HORDEI. Gerstenmehl. *Farine d'Orge.* — *Hordei vulgaris, hexastichi* L. aliarumque *Hordei* specierum (Fl. Bad. I. 279 — 280.), e cl. Triandria, ord. Digynia, fam. Graminearum, cerealium nobis tritissimorum, seminum Farina. — Pulvis albissimus, subtilissimus, inodorus et prope insipidus. — Maximam partem Amylo, ceterum Glutine vegetabili, Saccharo et Gummi constans. — *Vis:* nutriens, emolliens, resolvens. — *Usus:* Externe ad cataplasmata. — *Praep.:* Farina Hordei praeparata. — Illius loco

FARINAM SECALIS ET TRITICI. Roggen- Waizen- und Spelzmehl. *Farine de Seigle et de Froment.* *Secalis cerealis, Tritici vulgaris* et *Speltae*, aliorumque cerealium notissimorum, iisdem gaudentium proprietatibus — sumere licet.

FEL ERINACEI. Igelgalle. *Fiel d'Herisson* (v. Erinaceus p. 58.).

FEL TAURI. Ochsengalle. *Fiel de Boeuf.*

Synon.: Bilis bovina.

Bovis Tauri L., animalis ruminantis notissimi, secretum proprium hepatis, in vesicula cystica collectum. — Liquor flavo-viridescens et fuscescens, spissiusculus, tenax, odore peculiari nauseoso et sapore amaro, dulci, gutturali, fastidioso, in aqua plane et spiritu vini maxima ex parte solubilis; acida fortiora praecipitatum gignunt resinoso-tenax, acidum nitri colorem simul efficit viridem, deinde coeruleum, postea violaceum et rubrum, postremo flavum. — *Part. const. praev.:* Resina, Saccharum, Principium extractivum colorans, Acidum cholicum, Taurinum et Adeps sui generis. — *Vis:* stomachica, resolvens, vermifuga.

Sit recentissimum; putridum omnino rejiciatur.

Usus: In substantia, cum qualibet aqua destillata mixtum, interne et externe. Additur etiam unguentis. — *Praep.:* Fel Tauri inspissatum.

FEL VITRI. Glasgalle. *Anatron, Fiel de verre.* — Massa alba vel grisea, porosa, sed dura, compacta, salina, in vitri fabricatione vitro fluido innatans. — E diversis Salibus Terrisque constans, Kali sulphurico plerumque praevalente. Olim ut medicamentum adhibebatur; — hodie merito exolevit.

FERMENTUM (Faeces) CEREVISIAE. Bierhefen, Gäscht. *Levûre de Bière.* — Coctione cerevisiae obtinetur, cum inter fermentationem hordei decocti separetur. — Puls albida, parum tenax, granulis minutissimis pellucidis, cum aqua mixtis, constans; aqua plane privata, massa est fuscescens, cornea, subdiaphana; insipida, in aqua haud solubilis, sed mollescens et miscellam lacteam formans, fluida saccharina et amylacea ad fermentationem spirituosam disponens. — Est Principium organicum sui generis, Azotum continens. — *Usus:* Nonnisi recens, aquam adhuc continens, adhibetur. Interne ut antiphthisicum, externe ad cataplasmata, impurum, cum cerevisia mixtum, usurpatur.

FERMENTUM PANIS. Sauerteig. *Levain.* — Pasta cinereo-albida, farinosa,

glutinosa, fermentationi vinoso-acidae subjecta. Massae panis additur. — Sinapismatibus admiscetur.

FERMENTUM, seu Faex VINI. Weinhefen. *Lie de Vin.* — Inter fermentationem vinosam succi uvarum recentis praecipitatur. — Similibus gaudet proprietatibus ac fermentum cerevisiae, semper autem plus minus Tartari admixtum est, — similique modo, uti et ad parandum Spiritum Vini adhibetur.

FERRI FLORES. Eisenblüthe. *Fleurs de Mars.* — Ex Styria, Carinthia adfertur. Massae lapideae, stalactideae, ramosae, corallinae cet. albae vel griseae, structura fibrosa. — Est Calcaria carbonica, interdum plus minus Ferro inquinata. — Hodie merito exolevit.

FERRI, seu Martis MINERA, Minera Martis Solaris. Hessischer Eisenvitriol-Kies. *Mine martiale d'Hesse.* — Ex Hassia, Almeroda praecipue, advehebatur. — Massae plerumque subglobosae, crystallinae, metallice splendentes, colore obscure glauco et flavescente, p. sp. 4,8; aëre admisso, facile fatiscentes et in Vitriolum Martis abientes. — Est Ferrum bisulphuratum nativum (Wasserkies), crystallos formans recte rhombicas et ab his derivandas. — Olim ut medicamentum adhibita. — Hodie exolevit. — Praecipue ad parandum Vitriolum viride inservit.

FERRUM. Eisen. *Fer.*

Synon.: Mars.

E mineris ferreis in fornacibus metallariis obtinetur et in officinis ferrariis depuratur. — Metallum albide griseum, elasticum, sonans, splendens, perdurum, tenacissimum, malleabile, p. sp. 7,79, fusionis difficillime, sed calore albo-candente mollescens eoque ferruminabile, magneti obediens viriumque magneticarum capax; p. M. 339,213. Aëri humido expositum rubiginem contrahens, caloris, nec minus acidorum ope facile oxydabile et dissolubile in acidis. Salia ferri oxydulati pallide viridia, vel alba, alcaliorum ope colore albo praecipitantur, quod praecipitatum aëri expositum, celeriter assumit colorem sordide coeruleum, postea fuscum. Salia oxydulo-oxydata coloris sunt obscurioris et alcaliorum ope colore sordide coeruleo, alcaliorum autem borussicorum ope intense azureo praecipitantur. Salia ferri oxydati colore gaudent plerumque fusco vel flavo saporeque magis styptico, alcaliorum ope praecipitantur colore fusco, tincturae gallarum auxilio coeruleo-nigro ut et praecedentia; acidum anthrazoothionicum et meconicum colore imbuunt intense sanguineo. — *Vis:* styptica, roborans, tonica.

Sit purum, a cupro aliisque metallis liberum, in acido muriatico plane dissolubile. Solutio decolor vel viridis, addito acido hydrothionico minime coloretur, et ferri laminam immissam cupro non obducat, nec addito ammonio caustico in excessu colorem coeruleum assumat.

Usus medicinalis multiplex. — *Praep.:* Limatura, Pulvis alcoholisatus, Aethiops martialis, Crocus Martis, Vitriolum Martis, Ferrum phosphoricum, muriaticum, Vinum, Extractum, Tinctura, Globuli. Multas variasque alias quoque ingreditur compositiones.

FLORES ACACIARUM, Pruni silvestris. Schlehenblüthe. *Fleurs de Prunier sauvage.* — *Pruni spinosae* L. (v. Cortex p. 42.) Flores parvi, albi, calyce 5-fido, corolla pentapetala; odorati, odore grato melleo et amygdalino, sapore peramaro. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Acidum borussicum continens (?) et Principium extractivum amarum. — *Vis:* alvum movens. — *Usus:* In infuso. — *Praep.:* Aqua, Syrupus.

FLORES AGNI CASTI. Keuschlamm-Blumen, Schaafmüllenblumen. *Fleurs d'Agnus castus.* — *Viticis Agni casti* L., e cl. Didynamia, ord. Angiospermia, fam. Verbenacearum, fruticis Europae australis, Flores verticillato spicati, in paniculam terminalem digesti, parvi, albi vel violaceo-rubelli; odore fragrantissimo aromatico et sapore acri-aromatico. — Hodie obsoleti.

FLORES ALTHAEAE. Eibischblumen. *Fleurs de Guimauve.* — *Althaeae officinalis* L. (v. Radix) Flores mediocres, pallide incarnati, malvacei, calyce involucrato, involucro majore enneaphyllo, villoso; paene inodori et insipidi, mucilaginosi, dulcescentes, subadstringentes. — *Vis:* demulcens, leniens. — *Usus:* In infuso; speciebus adduntur.

FLORES ANETHI. Dillblüthe. *Fleurs d'Aneth odorant.* — *Anethi graveolentis* L. (*Pastinacae Anethi* Spr. — Fl. Bad. IV. 210.), e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Umbelliferarum, plantae annuae indigenae et cultae, Flores parvuli, lutei, superi, calyce obsolete 5-dentato, corolla pentapetala, petalis involutis, umbellas magnas dilatatas, multiradiatas, involucris et involucellis carentes, formantes; odore forti aromatico, haud grato. — Hodie exoleverunt.

FLORES ANTHORAE. Giftheil-Blumen. *Fleurs d'Anthore, d'Aconit salutaire.* — *Aconiti Anthorae* L. (Cl. cet. v. Herba Aconiti), plantae perennis alpinae, Flores speciosi, flavi, galeati et cucullati, externe pilosi, in racemum terminalem digesti; acri-urentes. — Hodie obsoleti.

FLORES ANTHOS, Rorismarini, Libanotidis. Rosmarin-Blüthe. *Fleurs de Romarin.* — *Rorismarini officinalis* L. (v. Herba) Flores parvi, albide-coerulescentes, siccati, fuscescentes, labiati, calyce 2-labiato, corolla ringente, labio superiore 2-partito, labio inferiore 3-fido, reflexo; odorati, odore fragrante aromatico, camphorino. — *Part. const.*, *Vis* et *Usus:* Ut herbae.

FLORES AQUILEGIAE. Akeley- oder Agleyblumen, Glockenblumen. *Fleurs d'Ancolie.* — *Aquilegiae vulgaris* L., e cl. Polyandria, ord. Pentagynia, fam. Ranunculacearum, Flores speciosi, plerumque coeruleo-violacei, calyce corollino pentaphyllo, corolla pentapetala, petalis (nectariis) bilabiatis, calcaratis, calcari incurvo; paene inodori, triti autem odorem spargentes ingratum, sapore amariusculo-acri. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum colorans et narcoticum (?). — Hodie exoleverunt.

FLORES ARNICAE. Fallkrautblumen. *Fleurs d'Arnica.*

Synon.: Flores Doronici Germanici. Wolverley-Blumen.

Arnicae montanae L. (Fl. Bad. III. 465), e cl. Syngenesia, ord. Polygamia superflua L., fam. Compositarum, trib. Radiatarum, plantae perennis, montanae, Germaniae, Helvetiae aliarumque Europae borealis regionum, Flores compositi (Calathia) radiati, majusculi $1\frac{1}{2}$—2 pollices lati, luteo-aurantiaci, calyce communi (periclinio) oblongo rotundato, squamis tenuibus, lineari-lanceolatis, villosis, duplici serie positis; radio patente, ligulis $\frac{3}{4}$-pollicaribus et ultra, $1\frac{1}{2}$ lineae latis, apice truncatis, 3-dentatis, disco convexo, calyce paullo longiori, pappo piloso, aspero, receptaculo (anthoclinio) foveolato, brevi-piloso. Flores integri, una cum calyce communi, colligendi et celeriter siccandi sunt. Inter siccandum pappus sese dilatat, ita ut flores magnopere intumescant et dilabantur et massae piloso-lanatae speciem assumant. Odor debilis, haud gratus, (sed flores agitati naribusque admoti, sternutationem excitant) sapor acri-aromaticus, gutturalis. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum, Resina acris et Oleum aethereum. — *Vis:* incitans, diaphoretica, diuretica, antiparalytica, facile anxietatem vomitumque movens.

Sint flores integri, plane explicati; imperfecti autem, insectis, praecipue Muscae Arnicae larvis corrugati, rejiciendi. Cave confundas cum

aliis floribus compositis flavis, e. g. Inulae dysentericae, britannicae, salicinae, Doronici Pardalianchis et scorpioidis, Anthemidis tinctoriae, Calendulae officinalis, Hypochaeridis maculatae et Scorzonerae humilis, infra describendis.

Usus: In pulvere raro, praecipue in infuso — *Praep.:* Extractum, Oleum aethereum, Tinctura. Adduntur aliis quoque compositionibus.

FLORES AURANTIORUM. Pomeranzenblüthe. *Fleurs d'Oranger.*

Synon.: Flores Naphae.

Citri Aurantii L. (v. Aurantia p. 11.), Flores albi, mediocres, calyce plano urceolato, 5-dentato, corolla pentapetala, infera, petalis oblongis, crassiusculis, succulentis; odore fragrantissimo, grate aromatico, sapore aromatico, amaricante; siccati sordide flavescentes, minus aromatici. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* excitans, carminativa, antispasmodica.

Usus: In infuso. — *Praep.:* Aqua et Oleum.

FLORES BALAUSTIORUM, Granatorum, Punicae. Granaten-Blumen. *Fleurs de Balauste.* — *Punicae Granati* L. (v. Cortex p. 47.), Flores speciosi, plerumque pleni, coccinei, superi, calyce coriaceo, 5-partito, corolla pentapetala, in flore pleno polypetala, petalis dense complicatis; inodori, sapore peradstringente. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum adstringens et colorans. — *Vis* et *Usus:* Ut corticis. — *Praep.* Conserva, Pulvis sternutatorius ruber.

FLORES BARBAE CAPRI. Wald-Bocksbart-Blumen. *Fleurs de Barbe de Chèvre de bois.* — *Spiraeae Arunci* L. (Fl. Bad. II. 396.), e cl. Icosandria, ord. Pentagynia, fam. Rosacearum, suffruticis indigeni, Flores parvi, albo-flavescentes, inferi, calyce 6-partito, corolla pentapetala patente, paniculas magnas, terminales, e spicis filiformibus, compositis, formantes; odore grate aromatico, sapore adstringente, aromatico, amariusculo. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore viridi tingitur.

FLORES BARBAE CAPRINAE, Ulmariae. Wiesen-Geisbart Blumen *Fleurs de Barbe de Chèvre de prés.* — *Spiraeae Ulmariae* L. (Fl. Bad. II. 400. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis indigenae, Flores albi, priorum similes, sed corymbos proliferos formantes; odore grate aromatico, amygdalino et aurantiaco. — Ambo hodie exoleverunt.

FLORES BELLIDIS MAJORES. Große Maslieben, oder Gänseblumen, weiße Wucherblumen, Rindsaugen *Fleurs de grande Marguerite.* — *Chrysanthemi Leucanthemi* L. (Fl. Bad. III. 472. — Cl. cet. v. Fl. Arnicae p. 61.), plantae perennis vulgatissimae, Flores (Calathia) speciosi, caulem ramosque terminantes, calyce communi (periclinio) hemisphaerico, squamis imbricatis, margine scariosis, radio albo, patente, multifloro, disco luteo, achenis oblongis, pappo destitutis, receptaculo (anthoclinio) hemisphaerico, nudo; inodori, sapore herbaceo-amariusculo, subadstringente.

FLORES BELLIDIS MINORES. Maslieben, kleine Gänseblumen, Angerblumen. *Fleurs de petite Marguerite.* — *Bellidis perennis* L. (Fl. Bad. III. 471. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis vulgatissimae, Flores (Calathia) praecedenti similes, sed minores, scapo (pedunculo) unifloro insidentes, calycis (periclinii) squamis non scariosis, radio passim purpurascente, ceterum ut praecedentes formati; inodori, sapore herbaceo, ingrato, acido-adstringente. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum proprium. — *Vis:* temperans. — *Usus:* In substantia, infuso. — *Praep.:* Conserva, Syrupus. — Flores pleni, qui in horto coluntur, radio amoene rubro, nomine Florum Bellidis hortensis, rothe Garten-Maslieben usitati. — Hodie ut praecedentes exoleverunt.

FLORES BETONICAE. Betonienblumen. *Fleurs de Betoin.* — *Betonicae strictae* AIT. et *B. officinalis* L. (Fl. Bad. II. 624.), e cl. Didynamia, ord. Gymnospermia, fam. Labiatarum, plantarum perennium, quarum altera indigena, altera Europae meridionalis incola, Flores verticillati, spicam terminalem, foliatam, interruptam, formantes, parvi, purpurei, bilabiati, tubo longo, cylindrico, labio superiori indiviso, planiusculo, adscendente, inferiori trilobo, lobo medio emarginato, crenulato. — Hodie exoleverunt.

FLORES BIDENTIS, Verbesinae, Cannabinae aquaticae flavae. Zweizahnblumen, gelber Wasserdost, Wasser-Dürrwurz, Deutsche Ackmelle. *Fleurs de Bident.* — *Bidentis tripartitae* et *cernuae* L. (Fl. Bad. III. 388 — 389.), e cl. Syngenesia, ord. Polygamia aequali, fam. Compositarum, trib. Eupatorinearum, plantarum annuarum locis humidis frequentium, Flores (Calathia), caulem ramosque terminantes, nutantes, mediocres, lutei, quorum ille discoideus, hic plerumque radiatus; involucro foliaceo, calycem (periclinium) superante, stipati, receptaculo (anthoclinio) paleaceo, plano, pappo (fructuum) ex aristis plerumque binis, retrorsum aculeatis, constante; inodori, triti autem odorem spirantes ingrate aromaticum, sapore acri-adstringente. — Acmellae loco olim usurpabantur.

FLORES BORRAGINIS, Buglossi latifolii. Boretsch- oder Borrasch-Blumen. *Fleurs de Bourrache.* — *Borraginis officinalis* L. (Fl. Bad. I. 429.), e cl. Pentandria,

ord. Monogynia, fam. Borraginearum, plantae annuae, originis Orientalis, nunc apud nos vulgatissimae, Flores, caulem ramosque terminantes, in racemos unilaterales, bipartitos congesti, mediocres, laete coerulei, calyce 5-partito, hispido, corolla rotata, fauce fornicibus clausa, staminibus nigris conniventibus, quae sola colligenda celeriterque siccanda; odore debili melleo, sapore vix ullo. — *Part. const. praev.:* Mucilago. — *Vis:* diaphoretica, diuretica (?). — *Usus:* In infuso, speciebus admiscentur.

FLORES BRAYERAE. Brayera-Blumen. *Fleurs de Brayera.* — *Brayerae anthelminthicae* Kunth. (Cl. cet. v. Fl. Barbae capri p. 62.), fruticis Abyssiniensis, Flores, florum Agrimoniae (v. Herba) similes. — Ut anthelminthicum laudantur.

FLORES BUGLOSSI. Ochsenzungen-Blumen. *Fleurs de Buglosse.* — *Anchusae officinalis* L. (Fl. Bad. I. 417. — Cl. cet. praecedentis), plantae biennis indigenae, Flores rubri, spicas terminales, secundas, recurvas formantes, calyce 5-partito, aspero, corolla infundibiliformi, fauce fornicibus clausa; calyce liberati, colligendi celeriterque siccandi; siccati coeruleo-violacei; inodori, primo paene insipidi, postremo ingrate amariusculi, gutturales. — Hodie exoleverunt.

FLORES BUPHTHALMI VULGARIS. Giftblumen, Färberkamillen. *Fleurs de Chamomille des teinturiers.* — *Anthemidis tinctoriae* L. (Fl. Bad. III. 483. — Cl. cet. ut Fl. Chamomillae p. 64.), plantae perennis indigenae, Flores (Calathia) majusculi, aurei, terminales, solitarii,. calyce communi (periclinio) hemisphaerico, squamis imbricatis, apice scariosis, radio multifloro, disco concolore, receptaculo (anthoclinio) paleaceo, achenis nudis; odore ingrate aromatico, sapore herbaceo, parum acri, masticantis salivam tingentes colore luteo. — Olim ut anthelminthicum usitati. — Hodie exoleverunt.

FLORES CALCATRIPPAE, Consolidae regalis, Delphinii. Rittersporn-, Lerchenklauen-Blumen. *Fleurs de pied d'Alouette.* — *Delphinii Consolidae* L. (Fl. Bad. II. 493.), e cl. Polyandria, ord. Trigynia, fam. Ranunculacearum, plantae annuae, inter segetes vulgatissimae, Flores, caulem ramosque terminantes, in racemos raros congesti; mediocres, violaceo-coerulei, calyce corollino pentaphyllo, calcarato, calcari longo, horizontali-recto, apice plerumque recurvo, corolla monopetala, 3-loba, stamina pistillumque includente; inodori, sapore peramaro, nauseoso. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum colorans et acri-narcoticum (?). — Hodie exoleverunt.

FLORES CALENDULAE, Calthae sativae, Verrucariae. Ringelblumen, Goldblumen, Todtenblumen. *Fleurs de Souci ordinaire.* — *Calendulae officinalis* L. (Fl. Bad. III. 509.), e cl. Syngenesia, ord. Polygamia necessaria, fam. Compositarum, trib. Radiatarum, plantae annuae Europae meridionalis, apud nos in hortis vulgaris, Flores (Calathia), caulem ramosque terminantes, solitarii, speciosi, aurei, aurantiaci, calyce communi (periclinio) hemisphaerico, in duplici serie polyphyllo, glanduloso-piloso, foliolis lineari-lanceolatis, aequalibus, radio multifloro, patente, e ligulis $\frac{1}{2}$—1-pollicaribus, latiusculis, apice 3-dentatis, foemineis fertilibus, constante, disco plano, floribus infundibiliformibus, centralibus abortivis, marginalibus hermaphroditis fertilibus, fructibus cymboideis, muricatis, cunctis incurvis, receptaculo (anthoclinio) plano, nudo; odore peculiari, balsamico-subnarcotico, sapore amariusculo, salso, subadstringente. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum amarum et Calendulinum. — *Vis.:* diuretica, resolvens. — *Usus:* In pulvere raro, praecipue in decocto. — *Praep.:* Conserva, Aqua, Acetum, Unguentum.

FLORES CALENDULAE ARVENSIS L. Feld-Ringelblumen. *Fleurs de Souci de Champs* — (Fl. Bad. III. 508.), plantae annuae indigenae, Flores, praecedentibus minores, pallidiores fructibusque extimis erectis, protensis. — Hodie vix pro medicamento usurpantur.

FLORES CALTHAE PALUSTRIS, Populaginis. Sumpf-Dotterblumen, groß Butter- oder Schmalzblumen, deutsche Kappern. *Fleurs de Calthe.* — *Calthae palustris* L. (Fl. Bad. II. 565.), e cl. Polyandria, ord. Polygynia, fam. Ranunculacearum, plantae perennis, in locis humidis, aquosis, gramineis, vulgaris, Flores aurei, splendentes, majusculi, calyce corollino (perigonio) colorato, pentaphyllo, phyllis petaloideis, patentibus, rotundatis, absque nectario; inodori, sapore acri. — *Vis:* acris, toxica (?). — Hodie exoleverunt.

FLORES CAPRIFOLII. Gaisblattblumen, Specklilien. *Fleurs de Chèvre feuille.* — *Lonicerae Caprifolii* L. et *Lon. Periclymeni* L. (v. Cortex p. 45.), Flores terminales, verticillati, mediocres, calyce dentato, supero, corolla irregulari 5-fida, subringente, basi gibba, speciei prioris externe rubella, intus albo-flavicante, (Fl. Caprifolii Italici), posterioris plerumque albo-lutescente. (Fl. Caprifolii Germanici). Odor utriusque grate aromaticus. — Olim usitati, — hodie obsoleti.

FLORES CARDAMINES, Nasturtii pratensis, Cuculi. Wiesenkressenblumen, Guckucksblumen. *Fleurs du Cresson des prés.* — *Cardamines pratensis* L. (Fl. Bad. III. 56.), e cl. Tetradynamia, ord. Siliquosa, fam. Cruciferarum, plantae perennis, in pratis humidis, locis silvaticis, graminosis, frequentis, Flores mediocres, laete rubro-violacei, corymbum vel racemum terminalem, rarum, formantes, calyce tetraphyllo, patulo, corolla tetrapetala, cruciformi, limbo patentissimo, petalis reticulate-venosis; odore grate melleo, sapore acri-pungente. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum acre. — *Vis:* irritans, antiscorbutica. — *Usus:* In pulvere.

FLORES CARTHAMI, Cnici sativi. Saflor-Blumen, falscher Safran. *Fleurs de Carthame.* — *Carthami tinctorii* L. (Fl. Bad. IV. 597.), e cl. Syngenesia, ord. Polygamia aequali, fam. Compositarum, trib. Cynarearum, plantae annuae Orientalis, quae apud nos colitur, Flores compositi (Calathia), majusculi, aurantiaci, cynarei, calyce communi (periclinio) ventricoso, squamis imbricato-squarrosis, foliaceis, margine spinosis, spinis brevibus luteis, corollulis aequalibus, tubuloso-infundibiliformibus, calycem superantibus, stamina lutea includentibus, cum pistillo prominulo, receptaculo (anthoclinio) paleaceo. Flosculi absque calyce post anthesin, jam marcescentes,

coloreque rubro-fusco assumto, colligantur. Optimi sunt Fl. Carthami Turcici, Alexandrini, colore corusco, obscure rubro-fusco gaudentes; minoris pretii, Fl. Carth. Gallici, Germanici et Hungarici, qui pallidiores, passim laete aurantiaci sunt. Odor omnium peculiaris, ingratus, sapor amariusculus. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum luteo-colorans, et Principium resinoso-acidum rubro-colorans (Carthaminum). — *Vis.:* alvum movens. — *Usus:* Ut medicamentum rarissime. Ad tingendum adhibentur. — Crocus his floribus saepe adulteratur (p. 54.).

FLORES CASSIAE, Clavelli Cinnamomi. Zimmtblüthen. *Boutons de Cassia.* — *Lauri dulcis* (?) Roxb. (*Lauri Tamalae* (?) Hamilt. *Lauri Cubebae* (?) L. — Cl. cet. v. Cinnamomum, p. 37.) fruticis vel arboris Chinae, Cochinchinae, Fructus immaturi, forma clavi minoris, cuneiformi-rotundata, obscure fusci, rugosi, capitulo subcomplanato, piperis magnitudine, apice perforato germineque placentiformi, laete brunneo perspicuo; odoris et saporis aromatici, cinnamomei, sed minus grati. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus:* Ut cinnamomi. — Hodie autem apud nos raro adhibentur.

FLORES CERASORUM. Kirschenblüthe. *Fleurs de Cerisier.* — *Pruni avium* et *Pr. Cerasi* L. (v. Cerasa p. 30 et 31.), Flores, in umbellas fasciculatas congesti, mediocres, albi, calyce 5-fido, corolla 5-petala, patente, odore grato. — Olim usitati. — Hodie exoleverunt.

FLORES CERASI RACEMOSI SILVESTRIS, Fl. Padi. Traubenkirschen-Blüthe. *Fleurs de Cerisier à grappe.* — *Pruni Padi* L. (v. Baccae p. 16.) Flores, racemos longos, laxos, subnutantes, formantes, albi, praecedentium similes, sed minores, calyce reflexo, petalis ovatis, serrulatis, staminibus corolla brevioribus; odore amygdalino, haud grato, sapore amariusculo. — Hodie obsoleti. — Cum floribus Acaciarum (p. 60.) confundi dicuntur.

FLORES CHAMOMILLAE. Kamillen. *Fleurs de Camomille.*

Synon.: Flores Chamomillae vulgaris, nostratis, Chamaemeli.

Matricariae Chamomillae L., (Fl. Bad. III. 479), e cl. Syngenesia, ord. Polygamia superflua, fam. Compositarum, trib. Radiatarum, plantae annuae indigenae, in arvis, vineis, ad vias frequentis, Flores (Calathia), caulem ramosque terminantes, solitarii, mediocres, calyce communi (periclinio) squamis imbricatis, subaequalibus, margine subscariosis, radio albo, primo patente, postremo reflexo, disco luteo, initio plano, post conico, receptaculo (anthoclinio) conico, acuto, nudo, cavo, pappo nullo. Flores inter siccandum valde corrugantur. Odor fortis peculiaris, aromaticus, sapor aromaticus, amarus. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium extractivum amarum. — *Vis:* carminativa, antispasmodica, nervina, tonica.

Cave confundas cum floribus Anthemidis arvensis et Anth. Cotulae (v. infra), qui facile receptaculo paleaceo, uti et Chrysanthemi inodori, qui majores, receptaculo nudo, hemisphaerico vel obtuse conico, solido, odoris defectu, sapore acri, distinguuntur.

Usus: In pulvere, plerumque in infuso. — *Praep.:* Extractum, Aqua, Oleum aethereum et coctum, Syrupus, Essentia.

FLORES CHAMOMILLAE FOETIDAE, Cotulae foetidae. Stinkende Kamillen, Hunds-Kamillen. *Camomilles puantes.* — *Anthemidis Cotulae* L. (Fl. Bad. III. 482. — Cl. cet. ut praecedentis), plantae annuae vulgaris, habitu praecedentis, Flores (Calathia) chamomillarum genuinarum simillimi, plerumque autem paullo majores, receptaculo (anthoclinio) paleaceo, paleis tenuibus setaceis, solido; quam ob causam flores inter siccandum minus corrugantur et chamomillis majores apparent. Odor gravis, chamomillarum odore multo ingratior, sapor acer, parum amarus. — Olim usitati. — Hodie obsoleti.

FLORES CHAMOMILLAE ROMANAE, Chamaemeli nobilis, Anthemidis vel Leucanthemi odorati. Römische Kamillen. *Camomilles romaines.* — *Anthemidis nobilis* L. (Cl. cet. praeced.), plantae perennis Europae meridionalis, Flores compositi (Calathia), chamomillarum facie, sed majores et plerumque plus minus pleni, disco luteo, ligulis albis intermixto, calyce communi (anthoclinio) lanuginoso, receptaculo conico, paleaceo, paleis densis, cymbiformibus, duplicato-serrulatis; odore fragrante

aromatico, odoris chamomillarum vulgarium simili, sapore aromatico, peramaro. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus*: ut chamomillarum vulgarium. — *Praep.*: Oleum aethereum, Extractum. — Cave confundas cum Floribus plenis Matricariae (v. Herba) et Achilleae ptarmicae (p. 69.).

FLORES CHEIRI, Keiri, Leucoji lutei. Gelbe Violen, Goldlack, gelbe Levkoien. *Fleurs de Giroflée jaune.* — *Cheiranthi Cheiri* L. (Fl. Bad. III. 79.), e cl. Tetradynamia, ord. Siliquosa, fam. Cruciferarum, plantae biennis et suffruticosae Europae meridionalis, passimque in Germania crescentis et hortensis, Flores majusculi, plerumque aurei, racemos erectos terminales formantes, calyce 4-phyllo erecto, sepalis lateralibus basi saccatis, corolla 4-petala, patente, petalis longe unguiculatis, limbo patente, obovato; odorati, fragrantes, grate aromatici, sapore peramaro, parum pungente. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum acre, Principium amarum et adstringens. — *Vis*: excitans, emmenagoga (?). — *Usus*: Hodie obsoleti. — *Praep.*: olim Aqua, Spiritus, Syrupus, Oleum coctum.

FLORES CICHORII. Cichorien- oder Wegwarten-Blumen. *Fleurs de Chicorée sauvage.* — *Cichori Intybi* L. (v. Radix) Flores (Calathia) axillares, bini vel terni, sessiles, cum uno plerumque pedunculato, flosculi coerulei, calyce (periclinio) duplici, cylindrico, squamis hispidis, exterioribus squarroso-reflexis, corolla ligulata, patente, receptaculo (anthoclinio) paleaceo, pappo brevi, paleaceo. — Hodie obsoleti.

FLORES CISTI MARIS. Rauhhaarige Cistrose *Fleurs de Ciste hérissé.* — *Cisti villosi* LAM. (Cl. v. Ladanum), fruticis Europae australis et Africae borealis, Flores speciosi, amoene rubri. — Hodie obsoleti.

FLORES COLCHICI. Zeitlosenblumen, Wiesensafran, nackte Hure. *Fleurs de Colchique.* — *Colchici autumnalis* L. (Fl. Bad. II. 123.), e cl. Hexandria, ord. Trigynia, fam. Colchicacearum, plantae perennis bulbiferae, indigenae, in pratis humidis frequentis, Flores majusculi pallide violacei, radicales, solitarii, bini vel terni, erecti, campanulato-hexapartiti, tubo longissimo albo; inodori, sapore amarissimo. — *Part. const. praev.*: Veratrium (?). — *Vis*: purgans, drastica. — *Usus*: In pulvere. — *Praep.*: Tinctura, Acetum, Vinum.

FLORES COTULAE AUREAE L. Goldfarbene Laugenblumen, Spanische Kamillen. *Fleurs de Cotule dorée.* — (Cl. cet. v. Fl. Chamomillae p. 64.), plantae annuae Europae meridionalis, praecipue Hispaniae, Flores compositi (Calathia) discoidei, lutei; odore gratissimo aromatico. — In Hispania uti chamomillae adhibentur.

FLORES CYANI, Baptisculae, Siliginis. Blaue Kornblumen. *Fleurs de Bluet.* — *Centaureae Cyani* L. (Fl. Bad. III. 499.), e cl. Syngenesia, ord. Polygamia frustranea, fam. Compositarum, trib. Cynarearum, plantae annuae inter segetes vulgaris, Flores (Calathia) speciosi, laete coerulei, caulem ramosque terminantes, solitarii, calyce (periclinio) subrotundo-ovato, squamis imbricatis, adpressis, ciliatis, flosculis radii elongatis, infundibiliformibus, abortivis, disci minoribus, fertilibus, receptaculo (anthoclinio) setoso, pappo brevi-setoso. Colligendi solummodo radii flosculi, qui celeriter siccandi et loco obscuro asservandi. — *Vis*: diuretica. — Hodie fere obsoleti. Ornamenti causa speciebus admisceri solent.

FLORES CYANI MAJORES. Große blaue Kornblumen, Bergglockenblumen. *Fleurs de Centaurée de montagne.* — *Centaureae montanae* L. (Fl. Bad. III. 497. — Cl. cet. praec.), plantae perennis indigenae, montanae, praecedenti similis, sed caule plerumque simplici, Flores praecedentibus similes, sed majores, pulchre coeruleo-violacei. — Hodie obsoleti.

FLORES CYNARAE. Artischocken-Blumen. *Fleurs d'Artichaut.* — *Cynarae Scolymi* L. (Fl. Bad. IV. 601. — Cl. cet. v. Flor. Carthami p. 63.), plantae perennis Europae australis, Africae borealis et Orientis, apud nos cultae, Flores compositi (Calathia) maximi, corollulis tubulosis, uniformibus, coeruleis, calyce communi (periclinio) imbricato, squamis magnis, ovatis, basi crassis, carnosis, receptaculo (anthoclinio) setoso crassissimo, carnoso. — Receptaculum cum squamis calycinis nutriendi ergo reconvalescentibus commendatur.

FLORES DIGITALIS. Fingerhutblumen. *Fleurs de Digitale.* — *Digitalis purpureae* L. (v. Herba) Flores in racemum densum, terminalem, erectum, subsecundum, congesti, brevi-pedunculati, penduli, majusculi, violaceo-purpurei, calyce inaequali, 5-partito, corolla campanulato-ventricosa, basi contracta, tubulosa, limbo inaequali, 4-fido, laciniis tribus superioribus obtusissimis, inferiori prominulo, rotundato, praedita, intus alba et purpureo-maculata pilisque longis, sparsis, obsessa; inodori, sapore nauseoso, peramaro. — *Part. const.* et *Vis*: ut herbae. — Hodie immerito perrarus eorum usus.

FLORES EBULI. Attichblumen. *Fleurs d'Yèble.* — *Sambuci Ebuli* L. (v. Baccae p. 15.), Flores cymas terminales, plerumque 3-partitas, formantes, parvi, pallide rubelli, antheris rubris; ceterum Florum Sambuci p. 71.) similes, odore autem nauseoso. — Hodie exoleverunt.

FLORES FABARUM. Bohnenblüthe. *Fleurs de Fève.* — *Viciae Fabae* L. (v. Fabae p. 58.), Flores axillares, aggregati, speciosi, papilionacei, albi; alis, in medio macula atra, holosericea, obsessis; suaveolentes. — *Usus*: Ad Aquam florum Fabarum.

FLORES FARFARAE, Tussilaginis. Huflattigblumen. *Fleurs de Pas d'Ane.* — *Tussilaginis Farfarae* L. (v. Herba) Flores compositi (Calathia), solitarii, scapum bracteatum terminantes, mediocres; primo vere ante foliorum evolutionem prorumpentes, laete flavi, radiati, calyce (periclinio) cylindrico, squamis imbricatis, pilosis, radio brevi, multifloro, ligulis angustissimis; receptaculo (anthoclinio) nudo, pappo piloso. Flores celeriter siccandi et in vasis clausis loco sicco asservandi: recentes, odore debili melleo, siccati, inodori, sapore amariusculo, subadstringente. — *Part. const. praev.*: Mucilago, Principium extractivum amarum et adstringens. — *Vis*: resolvens, pectoralis. — *Usus*: In infuso. — *Praep.*: Conserva, Syrupus, Aqua.

FLORES FILIPENDULAE, Saxifragiae rubrae. Filipendelwebel, knollige Spierstaudenblu

men *Fleurs de Filipendule.* — *Spireae Filipendulae* L. (Fl. Bad. II. 398. — Cl. cet. v. Fl. Barbae Capri p. 62.), plantae perennis in pratis, silvis caeduis, occurrentis, Flores terminales, cymosi, parvi, albi vel rubelli, calyce reflexo; odore grate aromatico. — Hodie obsoleti.

FLORES FLAMMULAE JOVIS, Brennkrautblumen *Fleurs de Clematite droite.* — *Clematidis erectae* L. (v. Herba) Flores, in umbellas axillares, paniculato-decompositas, digesti, mediocres, albo-flavescentes, 4-phylli, externe pilosuli; sapore acri. — Hodie obsoleti.

FLORES GENISTAE, Cytiso-Genistae. Günsterblumen, Pfriemenblumen. Künichotten. *Fleurs de Genet.* — *Genistae scopariae* Lam. (Spartii scoparii L. — Fl. Bad. III. 153. — Cl. cet. ut Flor. Fabarum p. 65.), fruticis indigeni vulgaris, ramis angulatis, viridibus, glabris, Flores axillares, solitarii, subracemosi, speciosi, aurei, calyce bilabiato, 5-fido, basi producto, corolla papilionacea, vexillo amplo, ovato, carina obtusissima; recentes, odore grato melleo, siccati, inodori, sapore nauseoso-amariusculo, inter maticandum salivam luteo tingentes. — Hodie obsoleti.

FLORES HEMEROCALLIS ALBAE Andr. Weiße Taagblumen. *Fleurs d'Hemerocalle blanche* — (Cl. cet. v. Fl. Liliorum alborum p. 67.), plantae perennis Japoniae, Flores speciosi, albi, cernui, grate odorati. — Odoris causa Pastillis Ipecacuanhae admiscentur.

FLORES HEPATICAE ALBAE, Parnassiae. Weiße Leberblumen. *Fleurs de Parnassie de Marais.* — *Parnassiae palustris* L. (Fl. Bad. I. 751.), e cl. Pentandria, ord. Tetragynia, fam. Tamariscinearum, plantae perennis in pratis, praecipue uliginosis, occurrentis, Flores terminales, solitarii, speciosi, albi, staminibus post fructificationem elastice resilientibus, et nectariis quae dicuntur, squamas multisetas, stamina mentientes, praediti. — Hodie obsoleti.

FLORES HEPATICAE NOBILIS. Edel-Leberkraut-Blumen. *Fleurs d'Hepatique noble.* — *Anemones hepaticae* L. (*Hepaticae trilobae* Dec. Fl. Bad. II. 506. — Cl. cet. v. Flores Calthae p. 63.), plantae indigenae, silvaticae et hortensis, Flores scapum uniflorum terminantes, mediocres, plerumque pleni, coeruleo-violacei, rubri vel albi, perianthio corollino 6—9-phyllo, (in flore pleno, polyphyllo) patente, involucro calycino 3-phyllo, foliolis ovatis, integerrimis, cincto; inodori, sapore fere nullo. — Hodie exoleverunt. —

FLORES HIBISCI TILIACEI L. Lindenähnliche Hibiscusblumen. *Fleurs de Ketmia ressemblantes du Tilleul* — (Cl. cet. v. Flor. Althaeae p. 61.), arboris Indiae orientalis, flores speciosi, lutei, malvacei, saccharino-mucilaginosi. — In Java uti flores malvae arboreae adhibentur.

FLORES seu SUMMITATES HYPERICI. Johanniskraut-Blumen oder Spitzen. *Fleurs de Millepertuis.* — *Hyperici perforati* L. (Fl. Bad. III. 255.), e cl Polyadelphia, ord. Polyandria, fam. Hypericinearum, plantae perennis indigenae, caule erecto, ramoso, ancipiti, glabro, foliis oblongo-ovatis, obtusis, pellucido-punctatis, Flores mediocres, lutei, inferi, calyce 5-sepalo, corolla 5-petala, patente, 3-adelpha, cum antheris margine nigro-punctatis, in cymas terminales, paniculam densam formantes, congesti, una cum summis stipitibus foliisque, pluribus floribus jam defloratis et capsulis oblongo-ovatis, obtuse 3-quetris, fusco-rubris, resinoso-nitentibus, formatis, demum colligendi; odore levi proprio, balsamico, sapore resinoso-amariusculo, subadstringente. — *Part. const. praev.:* Resina rubra, Principium extractivum amarum et adstringens. — *Vis:* balsamica, vulneraria, anthelminthica. — *Usus:* In infuso. — *Praep.:* Succus expressus, Oleum coctum, Extractum, Essentia, Syrupus. — Hodie prope obsoleti. — Eorum loco in Gallia etiam sumi solent

FLORES seu SUMMITATES HYPERICI ASCYRI. Vierkantigen Johanniskraut-Blumen. *Fleurs de Millepertuis quadrangulaire,* — a *Hyperico quadrangulari* L. (Fl. Bad. III. 252.), planta locis humidis occurrente, caule autem quadrangulo praedita, ceterum praecedentis simillima. — Iisdem gaudentes proprietatibus.

FLORES HYPERICI CONNATI Lam. Verwachsene Johannisblumen. *Fleurs de Millepertuis traversé,* — plantae Brasiliensis, Flores odorati. — Contra morsum serpentum venenatorum adhibentur.

FLORES JASMINI. Jasminblumen. *Fleurs de Jasmin.* — *Jasmini officinalis* L., *Jasm. grandiflori* et *Jasm. Sambac* L., e cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Jasminearum, fruticum Europae meridionalis, Orientis et Indiae orientalis, apud nos passim hortensium, Flores albi, mediocres, calyce 5-dentato, corolla tubuloso-hypocrateriformi, limbo patente, 5—8-partito; odore fragrante gratissimo. — Ad parandum Oleum, Spiritum et Essentiam Jasmini usurpantur.

FLORES LAVENDULAE. Lavendelblumen. *Fleurs de Lavande.*

Synon.: Flores Spicae. Spickblumen.

Lavandulae angustifoliae Ehrh., (*Lav. Spicae var. α* L. — *Lavandulae verae* Dec.) et *Lavandulae latifoliae* Ehrh. (*Lav. Spicae var. β* L.? *Lav. Spicae* Dec. — Fl. Bad. II. 589.); e cl. Didynamia, ord. Gymnospermia, fam. Labiatarum, fruticum Europae meridionalis, apud nos hortensium, Flores in spicam terminalem, verticillatam, congesti, parvi, violacei, calyce tubuloso, 5-dentato, dente supremo majori, corolla bilabiata, tubo calyce duplo longiori, labio superiori bilo-

bo, obtuso, recto, inferiori 3-partito, patente, staminibus inclusis. Colligendi flores ante anthesin, et cum superiore rhachiteos parte. Odor fragrans, grate aromaticus, sapor aromaticus, camphorinus. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* nervina, cephalica, excitans.

Usus: In pulvere, interne raro, externe in infusione ad balnea, fomentationes, cet. — *Praep.:* Oleum aethereum, Spiritus, Acetum. Additur ad multas quoque compositiones aromaticas.

FLORES LIGUSTRI. Liguster- oder Hartriegel-Blumen. *Fleurs de Ligustre, de Troëne.* — *Ligustri vulgaris* L. (v. Baccae p. 16.) Flores parvi, albi, in thyrsos terminales congesti, calyce 4-dentato, corolla infundibiliformi, 4-loba; odore grate amygdalino. — Hodie obsoleti.

FLORES LILAC, seu Syringae. Spanische Fliederblumen, Lilakblumen. *Fleurs de Lilas.* — *Syringae vulgaris* L. (Fl. Bad. I. 13. — Cl. cet. praeced.), fruticis speciosi vel arboris, Persicae originis, nunc crebre apud nos cultae et quasi spontaneae, foliis ovato-cordatis, integerrimis, glabris, Flores conferti, racemoso-paniculati, violacei, rosei vel albidi, corolla infundibiliformi, 4-fida; fragrantes, odore gratissimo roseo. — Destillatione Oleum dant aethereum, oleo rosarum simile. — *Vis:* analeptica. — Apud nos non adhibentur.

FLORES LILIORUM ALBORUM. Weiße Lilien. *Fleurs de Lis blanc.* — *Lilii candidi* L. (Fl. Bad. IV. 222.), e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Liliacearum, plantae perennis bulbosae, Europae meridionalis et Orientis, apud nos hortensis, Flores caulem, foliis sparsis obsessum, terminantes rarumque quasi racemum formantes, speciosi, albi, erecto-patentes, campanulati, intus glabri; odorati, odore fragrante, gratissimo, sapore ingrate-amaro, subacri-aromatico, mucilaginoso. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium extractivum amarum. — *Vis:* anodyna, emolliens. — *Usus:* Plerumque recentes adhibentur. — *Praep.:* Oleum coctum, Aqua, Conserva.

FLORES LILIORUM CONVALLIUM, Convallariae majalis. Maiblumen. *Fleurs de Muguet.* — *Convallariae majalis* L. (Fl. Bad. II. 51. — Cl. et ord. praecedentis), fam. Smilacearum, plantae perennis indigenae, foliis radicalibus ovato-oblongis, integerrimis, glaberrimis, Flores in scapo semitereti racemum rarum, secundum, subnutantem, formantes, parvi, albi, perigonio corollino globoso-campanulato, 6-fido; odore suavi, inter siccandum autem plerumque evanescente, sapore amaro-acri. — *Vis:* purgans, errhina. — *Usus:* Interne in pulvere raro, sternutandi causa naribus ingeritur. — *Praep.:* Aqua, Spiritus, Acetum, Conserva, Extractum, Pulvis sternutatorius. Aliis quoque additur compositionibus.

FLORES MALI SILVESTRIS seu Pomorum. Wilde Apfelblüthe. *Fleurs de Pommier sauvage.* — *Pyri Mali* L. (v. Malum), arboris indigenae, notissimae, Flores majusculi, pulchre albidi cum rubello mixti; grate odorati, ante petalorum explicationem colligendi celeriterque siccandi. — Olim ut medicamentum pro thea usitati. — Hodie oxoleverunt. — Interdum Floribus Persicorum (p. 69.) admiscentur, quibus majores et odore diverso praediti sunt.

FLORES MALVAE ARBOREAE, hortensis, roseae. Große Pappelrosen, Stockrosen, Halsrosen, Herbstrosen. *Fleurs de Mauve de Jardin, Passeroses.* *Althaeae roseae* Cav. *Alceae roseae* L. (Fl. Bad. III. 133. — Cl. cet. v. Fl. Althaeae p. 61.), plantae biennis et perennis Orientalis, apud nos hortensis, caule erecto, 6 — 12 pedali, hirto, crasso, foliis magnis, petiolatis, cordatis, 5 — 7-gono-lobis, crenatis, hirsutis; Flores magni, atropurpurei (qui soli colligendi, cum multivario omnino sint colore), axillares, solitarii, racemum terminalem, foliatum, formantes, calyce 5-fido, involucro plerumque 6-fido, corolla malvacea, patente, pentapetala (saepius plus minus plena); inodori, fere insipidi, mucilaginosi. — *Part. const. praev.:* Mucilago et Principium extractivum colorans. — *Vis:* demulcens, emolliens. — *Usus:* In infuso. — *Praep.:* Ad multas species adduntur.

FLORES MALVAE SILVESTRIS. Wilde oder Wald-Pappelblumen, Roß-Pappelblumen. *Fleurs de Mauve sauvage.* — *Malvae silvestris* L. (Fl. Bad. III. 136. — Cl. cet. praecedentis), plantae perennis indigenae, caule erecto et procumbente, ramoso, foliis usque ad medium 5 — 7-lobis, lobis acutis, dentatis, subtus subvillosis, petiolis et pedunculis pilosis, Flores axillares, aggregati, majusculi, violacei, purpureo-venosi, involucro 3-phyllo, corolla calyce 5-fido 3 — 4-plo majore, malvacea. Inter siccandum flores evadunt coerulei; inodori, insipidi, mucilaginosi. — *Vis:* emolliens. — *Usus:* In infuso, decocto. — Eorum loco etiam colliguntur

FLORES MALVAE ROTUNDIFOLIAE. Rundblätterige Malven- oder Käsepappel-Blumen. *Fleurs de petite Mauve* — (v. Herba) minores, pallide rubelli, venis purpureis picti; iisdem gaudentes proprietatibus.

FLORES MAMMEAE, Mammeyblumen. *Fleurs de Mammey.* — *Mammeae americanae* L. (v. Cortex p. 49.) Flores albi, grate odori. — Ad parandam Eau de Creole quae dicitur, usurpantur.

FLORES MAYS. Mays- oder Welschkorn-, Türkischkorn-Blüthe. *Fleurs des Mays, de Blé de Turquie.* — *Zeae Mays* L., e cl. Monoecia, ord. Triandria, fam. Graminearum, plantae annuae speciosae, Americanae originis, apud nos cultae, Flores masculi, albidi, graminei, paniculam magnam, erectam, terminalem, ex spicis laxis, formantes, calycis gluma bivalvi, biflora, corolla bivalvi, mutica, staminibus tribus. — Nuperrime contra ischuriam commendabantur.

FLORES MICHELIAE CHAMPACAE L., e cl. Polyandria, ord. Polygynia, fam. Magnoliacearum, arboris excelsae Indiae orientalis, Flores flavescentes, fragrantissimi, amaro-acres. — Ut discutiens, emmenagogum in patria praescribuntur. — *Praep.:* Oleum infusum. — Apud nos non adhibentur.

FLORES MILLEFOLII. Schaafgarben-Blüthe. *Fleurs de Millefeuille.*

Synon.: Summitates Millefolii, Achilleae vulgaris.

Achilleae Millefolii L. (Fl. Bad. III. 487. — Cl. cet v. Fl. Chamomillae p. 64.), plantae perennis apud nos vulgaris, Flores (Calathia) in corymbum terminalem, compositum, densum, fastigiatum, dispositi, parvi, albi vel rubelli, calyce (periclinio) oblongo, imbricato, squamis margine fuscescentibus, radio sub-5-floro, ligulis brevibus, latis, rotundatis, 3-dentatis, disco paucifloro, sordide albido, receptaculo (anthoclinio) paleaceo, pappo nullo. Odore grate aromatico, sapore aromatico, acri-amariusculo, subadstringente. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium extractivum amarum et adstringens. — *Vis:* tonica, nervina, antispasmodica.

Usus: In substantia raro, in infuso. — *Praep.:* Aqua, Oleum, Extractum.

FLORES seu SUMMITATES MILLEFOLII NOBILIS. Edle Schaafgarbenblumen oder Spitzen. *Fleurs de Millefeuille noble.* - *Achilleae nobilis* L. (Fl. Bad. III. 488. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis indigenae et Europae australis, locis siccis, in collibus apricis, obviae, praecedenti simillimae, sed plerumque statura minori, foliis durioribus, latioribus, brevioribus pallidioribusque. Flores praecedentium simillimi, sed minores, semper sordide albido-sulphurei, magis aromatici, camphorini. — Apud nos vix adhibentur. — Medicis autem magnopere commendandi.

FLORES NARCISSI SILVESTRIS. Gemeine Narcissen, Gelbe Sternblumen. *Fleurs de Narcisse sauvage.* — *Narcissi Pseudo-Narcissi* L., e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Amaryllidearum, plantae perennis bulbosae, indigenae et hortensis, Flores scapum uniflorum terminantes, speciosi, lutei, nutantes, corolla 6-partita, patente, corona campanulata, concolore, longitudine corollae, limbo undulato-inciso (saepius autem pleni occurrunt); odore ingrato, sapore nauseoso-amaro, acri. — *Vis:* emetica. — *Usus:* In pulvere. — *Praep.:* Extractum, Acetum, Oxymel.

FLORES NASTURTII INDICI, Fl. Cardamines majoris. Indianische Brunnenkressen-Blumen, große Kapuziner-Kreße. *Fleurs de Cresson des Indes, de Capucin.* — *Tropaeoli majoris* L. (Fl. Bad. IV. 261.), e cl. Octandria, ord. Monogynia, fam. Tropaeolearum, plantae annuae scandentis Peruvianae, apud nos hortensis, Flores majusculi, aurantiaci, fuscescentes, inferi, calyce colorato, 5-partito, calcarato, petalis 5 irregularibus, obtusis, calyce insertis, staminibus basi liberis; odore fragrante grato, sapore grate acri. — *Vis:* antiscorbutica. —

Etiam sumuntur hoc et Fl. Cardamines minoris nomine Flores *Tropaeoli minoris* L., plantae Peruvianae, prioris simillimae, minores autem et petalis acuminato-setaceis; — iisdem gaudentes virtutibus.

FLORES NYMPHAEAE ALBAE. Weiße Seerose, oder Seeblume weiße Seejungfer, Seemummel *Fleurs de Nenuphar blanc.* — *Nymphaeae albae* L. (Fl. Bad. II. 482.), e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Nymphaeacearum, plantae perennis indigenae, aquaticae, Flores magni, nivei, solitarii; longe pedunculati, in aquae superficie natantes, calyce 4-phyllo, corolla polypetala, patente, petalis oblongo-ovatis, exterioribus calycem superantibus, filamentis exterioribus petaloideis, flavis, antheris terminalibus; odore grato, siccati autem inodori, sapore amaro-adstringente. — *Vis:* anodyna (?). Hodie obsoleti.

FLORES NYMPHAEAE LUTEAE. Gelbe Seerosen u. s. w. *Fleurs de Nenuphar jaune.* — *Nymphaeae luteae* L. (*Nupharis lutei* Sm. — Fl. Bad. II. 480.), plantae praecedenti simillimae, iisdem locis occurrentis, Flores lutei, paullo minores, calyce 5-phyllo, corolla polypetala, patenti-campanulata; ceterum similibus gaudentes proprietatibus.

FLORES OXYACANTHAE, Spinae albae. Weißdornblüthe. *Fleurs d'Alisier, d'Aupepin.* — *Mespili Oxyacanthae et monogynae* GAERTN. (v. Baccae p. 16.) Flores mediocres, albi vel rosei), calyce 5-fido, corolla 5-petala, patente; suaveolentes, odore amygdalino. — Hodie obsoleti.

FLORES PAEONIAE. Gichtrosen, Pfingstrosen. *Fleurs de Pivoine.* *Paeoniae officinalis* L. (Fl. Bad. II. 491.), e cl. Polyandria, ord. Digynia, fam. Ranunculacearum, plantae perennis tuberosae Europae meridionalis et mediae, apud nos hortensis. Flores magni, intense rubri, caulem ramosque terminantes, solitarii, calyce 5-sepalo, inaequali foliaceo, corolla 5-petala, patente, in hortis plerumque plena, polypetala. Solummodo petala absque calyce colligenda. Recentes odore ingrato, siccati, inodori, sapore adstringente, subdulci, masticantis salivam colore violaceo tingentes. — *Part. const. praev.:* Principium rubro-colorans et adstringens. — *Vis:* antiepileptica (?). — *Usus:* In infuso. — *Praep.:* Syrupus, Conserva, Tinctura, Aqua.

FLORES PAPAVERIS RHOEADOS. Klatschrosen.
Fleurs de Coquelicot.

Synon.: Flores Papaveris erratici. Klapperrosen, rother Feldmohn, rothe Kornrose.

Papaveris Rhoeados L. (Fl. Bad. II. 477.), e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Papaveracearum, plantae annuae indigenae, inter Cerealia vulgaris, Flores magni, sanguinei, terminales, solitarii, calyce bisepalo, caduco, corolla 4-petala, patente, petalis subrotundis, in basi nigro-maculatis, quae solummodo colligenda celeriterque siccanda; recentes odore sunt debili, narcotico, siccati, tenuissimi, diaphani, inodori, sapore amariusculo, mucilaginoso. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum, colorans, et Morphii vestigia (?). — *Vis:* anodyna, demulcens.

Usus: In infuso, decocto. — *Praep.:* Tinctura, Syrupus, Conserva, Acetum, Aqua.

FLORES PERSICORUM. Pfirsichblüthe. *Fleurs de Pêcher.* — *Persicae vulgaris* MILL. (*Amygdali Persicae* L. — Fl. Bad. II. 365.), e cl. Icosandria, ord. Monogynia, fam. Rosacearum, arboris Orientis, apud nos cultae, Flores praecoces, solitarii, laterales, mediocres, laete violaceo-rubri, calyce 5-fido, corolla 5-petala, patente, fauce calycis inserta, ante anthesin colligendi celeriterque siccandi et in vasis optime clausis, loco sicco, obscuro, asservandi; odore grate-aromatico, sapore amaro. — *Vis:* alvum movens. — *Usus:* In infuso. — *Praep.:* Syrupus, Conserva, Succus.

FLORES PNEUMONANTHES. Blauer Wiesen-Enzian, Lungenblume, blauer Tarant. *Fleurs de Gentiane Pneumonanthe.* — *Gentianae Pneumonanthes* L. (Fl. Bad. I. 589.), e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Gentianearum, plantae perennis indigenae, in pratis humidis passim frequentis, Flores axillares terminalesque, speciosi, pedunculati, coerulei, campanulati, plicati, limbo 5-fido, laciniis brevibus, acuminatis, denticulis intermediis minutis; inodori, sapore amaro. — Hodie obsoleti.

FLORES PRIMULAE VERIS, Paralyseos, Verbasculi pratensis odorati. Schlüsselblumen, Himmelsschlüssel, Petersschlüssel. *Fleurs de Primevère.* — *Primulae veris* SM. (*Pr. officinalis* JACQ. — Fl. Bad. I. 439.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Primulacearum, plantae perennis indigenae, in pratis montosis frequentis, Flores inferi, mediocres, lutei, in scapo erecto umbellam terminalem, nutantem, formantes, calyce prismatico, 5-dentato, persistente, corolla tubuloso-infundibiliformi, limbo concavo, subhemisphaerico, 5-fido, ore maculis 5 aurantiacis notato. Corollae absque calyce colligendae celeriterque siccandae et loco sicco asservandae sunt. Odor recentium grate melleus, inter siccandum debilior evadens, sapor subdulcis. — *Vis:* cephalica (?). — *Usus:* In infuso, ut thea. — *Praep.:* Aqua, Acetum, Oxymel, Syrupus, Conserva. Cave confundas cum floribus *Primulae elatioris* SM., qui majores, pallidiores, limbo plano distincti et inodori sunt.

FLORES PSEUDACACIAE. Wilde Acacienblüthe. *Fleurs de Robinier.* — *Robiniae Pseudacaciae* L. (v. Cortex p. 50.) Flores speciosi, albi, papilionacei, in racemos longos, pendulos, dispositi; suaveolentes. — In infuso usurpantur.

FLORES PTARMICAE. Bertram Garben- oder Nießgarben-Blumen, wilde Dragunblumen *Fleurs de Ptarmique ou à éternuer.* — *Achilleae Ptarmicae* L. (Fl. Bad. III. 485. — Cl. cet. v. Fl. Millefolii p. 68.), plantae perennis speciosae, in pratis, ad paludes, passim vulgaris, Flores (Calathia) corymbosi, speciosi, albi, disco sordide flavescente (in hortis saepius pleni, pulchre nivei, occurrunt); inodori, sapore acerrimo, mor

dace. — Apud nos non adhibentur. Interdum flores pleni false pro Floribus Chamomillae Romanae (p. 64.) venditare conantur.

FLORES RANUNCULI ALBI. Weiße Ranunkel- oder Waldhahnenfuß-Blumen, Aprilenblumen, Windröschen, Kuckucksblumen, Buschanemonen. *Fleurs d'Anemone sauvage, de la Silvie.* — *Anemones nemorosae* L. (Fl. Bad. II. 515. — Cl. cet. v. Fl. Calthae palustr. p. 64.), plantulae perennis, in nemoribus, ad sepes, cet. vulgaris, Flores terminales, solitarii, nutantes, mediocres, pulchelli, nivei vel dilute violacei, venis aquosis picti, aut rubelli, perigonio 6-phyllo; inodori, si triturantur autem nidorem spirantes acri-pungentem, sapore acerrimo-urente. — *Part. const. praev.:* Principium proprium acre volatile oleo-camphorinum. — *Vis:* rubefaciens, vesicans. — *Usus:* Ut odontalgicum; et externe flores recentes applicantur. Inter siccandum enim omnis acrimonia perditur. — *Praep.:* Aqua. — Apud nos vix adhibentur.

FLORES ROSARUM. Rosen. *Roses.*

Synon.: Flores Rosarum pallidarum seu incarnatarum. Centifolien.

Rosae centifoliae L., e cl. Icosandria, ord. Polygynia, fam. Rosacearum, fruticis aculeati notissimi, Flores terminales, solitarii, bini et terni, nutantes, magni, superbi, superi, limbo calycis 5-partito inaequali, laciniis duobus pinnatifidis, uno semipinnatifido et duobus nudis; tubo calycino ovato, glandulose-hispido, corolla semper plena, paene hemisphaerica, pallide rubra, in medio fundo amoenissime rubra; odore suavissimo, sapore adstringente. Rosae absque calyce celeriter siccandae et in vasis optime clausis asservandae sunt; recentes quoque cum calycibus sale condiuntur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium adstringens. — *Vis:* analeptica, nervina, leniter alvum movens (?).

Usus: Flores siccati in pulvere et infuso adhibentur. — *Praep.:* Aqua, Oleum aethereum et infusum, Mel, Syrupus, Julapium, Conserva, Tinctura, Mucharum, Unguentum. — Ad complures alias quoque compositiones adduntur.

Centifoliae loco etiam **Flores Rosae Damascenae** L., illis simillimi, in corymbum congesti, sumuntur, aeque fragrantes, nomine **Florum Rosarum Damascenarum**. Damascener-, oder Monatrosen. *Roses de Puteau*, — occurentes.

FLORES ROSAE ALBAE, **Rosarum albarum**. Weiße Rosen. *Roses blanches.* — *Rosae albae* L. (Fl. Bad. II. 427.), fruticis aculeati noti, Flores albi, plerumque pleni, primo in medio subincarnati, centifoliis minores; suaveolentes. — Siccati asservantur et recentes ad Aquam Rosarum albarum adhibentur.

FLORES ROSARUM RUBRARUM. Rothe Rosen. *Roses rouges.*

Synon.: Flores Rosarum Gallicarum, finarum. Französische Rosen, Essigrosen, Sammtrosen, Zuckerrosen, Knopfrosen. *Fleurs de Rose de Provins.*

Rosae Gallicae L. (Fl. Bad. II. 406.), fruticis aculeati Galliae et Germaniae australis, uti et hortensis, Flores solitarii, terni, intense rubri, plerumque simplices, petalis obcordatis, ungue luteo. Colliguntur petala ante explicationem et, resectis unguibus staminibusque remotis, celeriter siccantur, atque in vasis optime clausis asservantur. Odor recentium suavis, sed debilior quam centifoliae, siccatorum fere nullus, sapor magis adstringens est. — *Part. const. praev.:* ut praecedentium, minus autem Olei aetherei et plus Principii adstringentis. — *Vis:* adstringens, tonica, cordialis (?).

Usus: In pulvere, infuso. — *Praep.:* Tinctura, Acetum, Con-

serva, Saccharum, Tabulae. Adduntur aliis quoque compositionibus, praecipue speciebus.

FLORES ROSARUM SILVATICARUM, Fl. Rosae caninae. Wilde Rosen, Hundsrosen, Hagenbuttenrosen. *Fleurs de Rose sauvage.* — *Rosae caninae* L. (Fl. Bad. II. 422.), fruticis indigeni vulgatissimi, aculeati, Flores corymbosi, mediocres, pallide rubelli, tubo calycino ellipsoideo, plerumque glabro, corolla simplici, 5-petala, petalis obcordatis, odore grato melleo, sapore leniter adstringente. — *Usus:* In infuso olim. — *Praep.:* Aqua. — Hodie exoleverunt.

FLORES SALVIAE. Salbeiblumen. *Fleurs de Sauge.* — *Salviae officinalis* L. (v. Herba), Flores mediocres, violacei, caulem terminantes, verticillati, verticillis subdimidiatis, 6-floris, inferioribus bracteatis, calyce bilabiato, 5-dentato, corolla bilabiata, ringente, galea falcata, labio inferiore 3-lobo, filamentis basi appendiculatis; odore fragrante, aromatico. — Hodie obsoleti.

FLORES SAMBUCI. Hollunderblüthe. *Fleurs de Sureau.*

Synon.: Holderblüthe, Fliederblumen.

Sambuci nigrae L. (v. Baccae p. 17.) Flores, cymas magnas, compositas, plerumque 5-partitas, terminales, exhibentes, parvi, albi, subflavescentes, superi, calyce 5-dentato, corolla rotata, 5-fida, laciniis reflexis; una cum radiis partialibus, resectis radiis universalibus, diebus serenis colligendi celeriterque siccandi; siccati flores pallide sulphurei sunt. Odor recentium fortis, ingratus, siccatorum gratior, aromaticus. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* sudorifera, resolvens, discutiens.

Flores sicci sint pallide flavi, neque vero nigrescentes, qui rejiciendi.

Usus: In infuso, externe ad cataplasmata, fomentationes. — *Praep.:* Aqua, Acetum, Spiritus, Julapium, Oxymel, Mel, Extractum, Oleum, Unguentum. Adduntur pluribus speciebus.

FLORES SAXIFRAGIAE ALBAE. Weiße Steinbrechblumen. *Fleurs de Saxifrage blanche.* — *Saxifragae granulatae* L. (Fl. Bad. II. 221), e cl. Decandria, ord. Digynia, fam. Saxifragearum, plantae perennis indigenae, Flores terminales, subfasciculati, mediocres, albi, inferi, calyce 5-fido, viscoso-piloso, persistente, corolla 5-petala, patente, petalis obovatis, pellucido-venosis; inodori, sapore herbaceo, acidulo. — Hodie obsoleti.

FLORES SCABIOSAE. Scabiosen- oder Apostemkraut-Blumen. *Fleurs de Scabieuse.* — *Scabiosae arvensis* L. (Fl. Bad. I. 321.), e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Dipsacearum, plantae perennis indigenae, Flores terminales, in capitulum plano-convexum aggregati, laete rubro-violacei, involucro universali polyphyllo, subbiseriali, partiali calycino obsolete 4-dentato, corollulis tubulosis, 4-fidis, exterioribus radiantibus, anthoclinio (receptaculo) paleaceo; inodori. — Hodie obsoleti.

FLORES STOECHADIS ARABICAE seu purpureae. Arabischer Stoechas, Schopf-Lavendel. *Fleurs de Stoechas d'Arabique.* — *Lavandulae Stoechadis* L. (Cl. cet. v. Fl. Lavendulae p. 67.), fruticis Europae meridionalis et Africae borealis, Flores parvi, obscure purpureo-violacei, in spicam oblongam, densam, bracteatam, congesti comaque foliacea, purpureo-violacea praediti, ceterum floribus lavendulae similes, quibuscum etiam quoad proprietates conveniunt. — Apud nos obsoleti.

FLORES STOECHADIS CITRINAE, Germanicae, Amaranthi lutei, Elichrysi. Rhein- oder Rain-Blümchen, Mottenkraut, gelbes Sandruhrkraut, gelbes Katzenpfötchen. *Fleurs de Stoechas citrin, Immortelles jaunes.* — *Gnaphalii arenarii* L. (Fl. Bad. III. 407. — Cl. cet. v. Fl. Tanaceti p. 72.), plantae perennis indigenae, Flores (Calathia) mediocres, citrini vel aurantiaci, discoidei, terminales, in corymbum compositum congesti, calyce (periclinio) squarroso, colorato, persistente, disco plano receptaculo (anthoclinio) nudo, foveolato, pappo piloso; odore aromatico ingrato, sapore amaro, sub-aromatico. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium extractivum amarum. — *Vis:* anthelminthica, nervina. — Hodie exoleverunt.

FLORES STOECHADIS NEAPOLITANAE. Neapolitanisches Ruhrkraut, Stoechasblumen. *Fleurs de Stoechas de Naples.* — *Gnaphalii Stoechadis* L. (Cl. cet. praecedentis), fruticuli Europae meridionalis et Africae borealis, Flores praecedentium similes, paullo longiores; odorati. — Pariter apud nos obsoleti.

FLORES SULPHURIS. Schwefelblüthe. *Fleurs de Soufre.*

Synon.: Sulphur sublimatum. Sublimirter Schwefel.

Paratur in officinis chemicis, dum Sulphur leni calore sub-

limatur. — Pulvis citrinus, subtilis, tactu laevis, inodorus et prope insipidus, saepius autem acidulus, ob adhaerens acidum sulphuricum. Est Sulphur tenuissime divisum (v. Sulphur).

Puritatis investigationem vide ibidem.

Usus: In pulvere. — *Praep.:* Flores Sulphuris loti, Unguentum sulphuratum. Complures alias quoque ingrediuntur compositiones et ad multa alia praeparata adhibentur.

FLORES TAGETIS. Sammtblumen, Todtenblumen. *Fleurs de Tagètes.* — *Tagetis erectae* L. (Fl. Bad. IV. 617. — Cl. cet. v. Flores Arnicae p. 61.), plantae annuae Mexicanae, apud nos hortensis, Flores (Calathia) terminales, solitarii, erecti, majusculi, aurantiaci, pedunculo inflato, calyce (periclinio) crasso simplici, tubuloso 5-gono, dentato, radiis plerumque 5, patentibus, longis et latis, receptaculo (anthoclinio) nudo, pappo setaceo, inaequali; odore gravi nauseoso. — Hodie obsoleti.

FLORES TANACETI. Rheinfarrnblumen. *Fleurs de Tanaisie.*

Synon.: Flor. Athanasiae. Rainfarrn-, Wurmkraut-Blumen Revierblumen.

Tanaceti vulgaris L. (Fl. Bad. III. 397.), e cl. Syngenesia, ord. Polygamia superflua, fam. Compositarum, trib. Eupatorinearum, plantae perennis indigenae, Flores (Calathia) mediocres, aurei, in corymbos terminales, densos, fastigiatos, congesti; calyce (periclinio) hemisphaerico, imbricato, squamis acutis adpressis, disco densissimo, corollulis radialibus 3-fidis foemineis, reliquis hermaphroditis, 5-fidis, pappo obsoleto marginali, receptaculo (anthoclinio) nudo; odore forti aromatico, haud grato, sapore aromatico, nauseoso-amaro. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium extractivum amarum et adstringens. — *Vis:* incitans, tonico-nervina, anthelminthica, diuretica.

Usus: In pulvere, electuario, infuso — *Praep.:* Oleum aethereum, Aqua, Extractum, Essentia, Conserva.

FLORES TILIAE. Lindenblüthe. *Fleurs de Tilleul.*

Tiliae europaeae L. (*T. parvifoliae* et *grandifoliae* Ehrh. — Fl. Bad. II. 483 -- 485.), e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Tiliacearum, arboris indigenae notissimae, Flores mediocres, albide lutescentes, subviridescentes, in cymas terminales congesti, pedunculo sub-3-floro, bracteato, bractea subvirente-albida, lineari-oblonga, integerrima, reticulata, pedunculo partim adnata; calyce 5-sepalo, deciduo, corolla 5-petala, staminibus subpolyadelphis. Flores colliguntur una cum bracteis; recentes suaveolentes, siccati prope inodori, sapore dulcescente. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium adstringens. — *Vis:* nervina, resolvens, diaphoretica (?).

Usus: Forma theae. — *Praep.:* Aqua, Conserva.

FLORES TRIFOLII ALBI. Weiße Kleeblumen. *Fleurs de Trèfle blanc.* — *Trifolii repentis* L. (Fl. Bad. III. 222.), e cl. Diadelphia, ord. Decandria, fam. Leguminosarum, plantae perennis in pratis vulgatissimae, Flores albi, parvi, in capitulum, scapum terminans, congesti, papilionacei; odore grato melleo, sapore dulcescente. — Hodie obsoleti.

FLORES TUNICAE, seu Caryophyllorum rubrorum. Nelkenblumen, Nägelein, Grasblumen. *Fleurs d'Oeillet rouges.* — *Dianthi Caryophylli* L. (Fl. Bad. IV. 301.), e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Caryophyllacearum, plantae perennis Europae meridionalis, apud nos hortensis. Flores terminales, solitarii, speciosi, saturate purpurei, calyce cylindrico, 5-dentato, in basi squamis 4 brevissimis suffulto, corolla 5 petala caryophyllacea, in hortis plerumque plena, petalis imberbibus, crenatis, (variat multis coloribus). Petala obscure purpurea, absque calyce colligenda celeriterque siccanda et in vasis optime clausis asservanda sunt. Odor suavissimus aromaticus, sapor aromaticus, subadstringens, amariusculus. — *Usus:* In pulvere, infuso. — *Praep.:* olim, Acetum, Syrupus, Conserva, Spiritus, Aqua. — Hodie apud nos exoleverunt; — uti et

FLORES TUNICAE SILVESTRIS. Wilde Karthäuser-Nelken. *Fleurs d'Oeillet sauvage.* — *Dianthi Carthusianorum* L. (Fl. Bad. II. 236.), plantae indigenae vulgaris, Flores terminales, fasciculati, subaggregati, purpurei, praecedentibus minores, squamis calycinis aristatis, nigricantibus, calyce brevioribus, petalis superne pilis raris praeditis; inodori, sapore subadstringente.

FLORES URTICAE DIOICAE cum FRUCTIBUS. Große Brennesselblüthe mit Früchten. *Fleurs d'Ortie dioique* ou *grande.* — *Urticae dioicae* L. (Fl. Bad. III. 683.), e cl. Monoecia, ord. Tetrandria, fam. Urticearum, plantae perennis in ruderatis, ad sepes, cet., vulgaris, Flores exigui, pallide viridescentes, apetali, dioici, masculi perigonio 4-partito, foeminei perigonio 2-valvi, praediti, utrique axillares, in spicas geminatas, glomeratas, longas, pendulas, digesti; una cum fructibus, semina minuta ovata, fusca, nitida, perigonio cincta, exhibentibus, colligendi; inodori, sapore herbacco. Nuper ut febrifugum magnopere laudati sunt.

FLORES URTICAE MORTUAE seu Lamii albi. Weiße Taubnessel- oder Todtennessel-Blumen. *Fleurs d'Ortie blanche.* — *Lamii albi* L. (Fl. Bad. II. 613. — Cl. cet. v. Fl. Lavendulae p. 67.), plantae perennis vulgatissimae, habitu fere praecedentis, Flores verticillos multifloros exhibentes, albi, calyce 5-dentato, in basi fusco maculato, corolla speciosa, alba, bilabiata, fauce inflata, nuda, margine utroque reflexa et dente notata, labio superiore galeato-fornicato, crenulato, externe villoso, ciliato, labio inferiore reflexo, bilobo, antheris nigris, hirsutis; absque calyce colligendi celeriterque siccandi et loco sicco, vase clauso, asservandi; odore debili melleo et sapore subdulci-mucilaginoso. — *Vis:* emolliens, diuretica (?). *Usus:* Forma theae.

FLORES VERBASCI. Wollblumen. *Fleurs de Bouillon blanc.*

Synon.: Flores Thapsi barbati. Königskerze, Himmelsbrand.

Verbasci Thapsi L., *Verbasci thapsiformis* Schrad. et *Verbasci phlomoidis* L. (Fl. Bad. I. 495 et 497.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Scrophularinearum, plantarum biennium indigenarum, locis sterilibus arenosis frequentium, caule 2—5-pedali, erecto, foliis magnis, alternis, decurrentibus, in posteriori plerumque sessilibus, oblongis, crenatis, utrinque plus minus tomentoso-villosis, Flores, racemum magnum, terminalem, plus minus densum, simplicem vel ramosum formantes, speciosi, lutei, inferi, brevissime pedunculati, calyce 5-partito, villoso, corolla rotata, limbo inaequali 5-fido, staminibus albide-villosis. Corollae absque calyce, tempore sereno colligendae celeriterque siccandae, et in vasis vitreis, porcellaneis, vel ferreis stanno obductis, optime clausis, loco sicco asservandae sunt. Odor florum recentium subnarcoticus, ingratus, siccatorum suavis, melleus, sapor dulcescens, mucilaginosus. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum (?), Mucilago et Saccharum. — *Vis:* pectoralis, emolliens, anodyna, resolvens.

Sint flores amoene flavi, non autem nigrescentes. Cave confundas cum floribus sequentis speciei.

Usus: In infuso, forma theae; adduntur speciebus. — *Praep.:* Oleum coctum, Extractum.

FLORES VERBASCI NIGRI. Schwarze Wollblumen. *Fleurs de Bouillon noir.* — *Verbasci nigri* L. (Fl. Bad. I. 501.), plantae indigenae, praecedenti similis, sed foliis subcordatis, superne saturate viridibus, subtus villosis. Flores, praecedentibus minores, saturate lutei, spicam terminalem tenuiorem formantes, corolla in fauce maculis purpureis notata staminibusque violaceo-villosis; odore fortiori ingrato. — Hodie exoleverunt.

FLORES VIBURNI, Opuli, Sambuci racemosae. Wasserhollunder-Blüthe, Schneeballen *Fleurs d'Obier.* — *Viburni Opuli* L. (v. Baccae p. 18.) Flores caulem ramosque terminantes, cymosi, radiantes, albi, in hortis autem pleni, steriles, pilam speciosam, densam, globosam, primo pallide viridem, post pulchre niveam, exhibentes (qui solummodo colligendi); grate odorati. — Ad parandam Aquam Viburni, cui *Vires* lithontripticas adscribebantur olim adhibiti — Hodie obsoleti.

FLORES VIOLARUM. Violen. *Fleurs de Violette.*

Synon.: Flores Martiae. Märzenveilchen.

Violae odoratae L. (Fl. Bad. III. 514.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Violariearum, plantae perennis indigenae, acaulis, radice fibroso, stolonibus reptantibus, (foliis v. Herba) Flores mediocres, saturate violacei, solitarii, pedunculo radicali insidentes, calyce 5-sepalo, in basi producto, corolla 5-petala, inaequali, calcarata, antheris conniventibus; in hortis etiam pleni. Corollae calyce liberatae colligendae, celeriter siccandae, atque in vasis bene obturatis, loco obscuro asservandae sunt. Odor suavissimus, sapor subdulcis, gutturalis. — *Part. const. praev.:* Violium, Principium extractivum colorans et Aroma. — *Vis:* antispasmodica, resolvens, emetica.

Cave confundas cum floribus Violae hirtae et caninae, qui inodori sunt.

Usus: In infuso raro; speciebus adduntur. — *Praep.:* Syrupus, Mel, Aqua, Julapium, Tabulae, Conserva, Oleum infusum.

FOLIA ADHATODAE. Adhatoda-Blätter *Feuilles d'Adhadote.* — *Justiciae Adhatodae* L., e cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Acanthacearum, fruticis Indiae orientalis, Folia magna, ovato-oblonga, integerrima, venosa, superne splendentia, subtus subpilosa, subcoriacea; inodora, sapore amarissimo. — Apud nos non usitata.

FOLIA AGAVES. Agave- oder Aloebaum-Blätter. *Feuilles d'Agavé.* — *Agaves americanae* L. (Cl. cet. v. Aloe p. 3.) Folia maxima, crassissima, oblongo-lanceolata, margine spinosa et in spinam longam, firmam, desinentia, glabra, glaucescentia, succulenta; sapore dulciusculo-acidulo. — *Vis:* diuretica; mundificans. — Succus expressus ad ulcera sananda applicatur.

FOLIA ALLAMANDAE CATHARTICAE L. Purgir-Allamanda-Blätter. *Feuilles d'Allamanda cathartique.* (Cl. cet. v. Folia Nerii p. 77.), fruticis scandentis, lactescentis, Guianae, Folia quaterna, ovato-oblonga, acuta, splendentia, subtus ferruginea, succulenta, sapore amaro. — In India occidentali ut laxans usurpantur.

FOLIA ALNI. Erlen-, Else- oder Eller-Blätter. *Feuilles d'Aune.* — *Alni glutinosae* W. (v. Cortex p. 43.) Folia petiolata, obcordato-subrotunda, inaequaliter obtuse-serrata, obscure viridia, glabra, nitentia, subtus subvillosa; sapore peradstringente. — Hodie (forsitan immerito) obsoleta.

FOLIA ALOYSIAE. Aloysienblätter. *Feuilles d'Aloysia.* — *Lippiae citriodorae* KUNTH., (*Aloysiae citriodorae* ORTEG, *Verbenae 3-phyllae* L.), e cl. Didynamia, ord. Angiospermia, fam. Verbenacearum, fruticis Americae meridionalis, apud nos hortensis, Folia terna, lanceolata, acuta, integerrima, margine aspera, subrugosa; odore fragrante, citrino. — In Hispania pro medicamento usurpantur.

FOLIA ALYPI. Alypiblätter. *Feuilles d'Alype.* — *Globulariae Alypi* L., e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Globulariearum, fruticis parvi Europae meridionalis, littoris marini incolae, Folia lanceolata, 3-dentata, sempervirentia, foliorum myrti similia; sapore amarissimo. — *Vis:* drastica. — Apud nos obsoleta.

FOLIA ANAGYRIDIS FOETIDAE L. Stinkbaum-Blätter. *Feuilles de Bois puant.* — (Cl. cet v. Fol. Sennae p. 79.), arbusculae Europae australis et Hindostani, Folia ternata, foliolis oblongis, mucronatis, subtus sericeis; odore penetrante, nauseoso. — *Vis:* purgans. — Ut laxans, et externe ad cataplasmata adhibebantur. — Apud nos obsoleta.

FOLIA ANGRAECI FRAGRANTIS PETIT THOUARS. (*Aërobii fragrantis* SPR. — Cl. cet. v. Vaniglias), plantae parasiticae insularum Mascarensium, Folia speciosa, canaliculata, apice inaequaliter biloba, obtusa, integerrima 3-nervia, coriacea; odore grate aromatico, Fabarum de Tonco p. 59.) simili. — Ut thea, nomine Faam seu Fahon, Thea de insula Bourbon, usurpantur.

FOLIA ANTIDESMATIS ALEXITERII L. Glanz Giftstiller-Blätter. *Feuilles d'Antidesma alexitère,* — e cl. Dioecia, ord. Pentandria, fam. (?), arboris Indiae orientalis. Folia oblonga, utrinque attenuata, integerrima, splendentia, coriacea. — In patria ut antidotum contra morsum serpentum venenatorum adhibentur.

FOLIA AQUIFOLII, **Agrifolii, Acrifolii, Cassinae.** Stechpalmenblätter, Hülsenblätter. *Feuilles de Houx.* — *Ilicis aquifolii* L. (v. Baccae p. 14.) Folia ovato-acuta, in margine spinoso-undulata, saturate viridia, glabra, splendentia, coriacea, sempervirentia; inodora, sapore nauseoso, subacerbo, amaro. — *Part. const. praev.*: Principium extractivum amarum. — *Vis*: tonica, febrifuga, lithontriptica. — *Usus*: In pulvere, decocto, infuso vinoso.

FOLIA ARBORIS VITAE. Lebensbaumblätter. *Feuilles de Cèdre blanc.* — *Thujae occidentalis* L., e cl. Monoecia, ord. Monadelphia, fam. Coniferarum, trib. Cupressinearum, arboris sempervirentis Americae septentrionalis, apud nos cultae, ramulis distichis, horizontalibus, Folia minuta, rhomboideo-ovata, superne obscure virentia, subtus viridi-flavescentia, cum ramulis, ab illis quadrifariam compresso-imbricatis, tectis, colligenda; odore forti balsamico, haud ingrato, sapore acri-aromatico, balsamico, camphorino et amaro. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum. — *Vis*: anthelminthica, resolvens, febrifuga (?). — *Usus*: In infuso, decocto. — *Praep.*: Oleum aethereum.

FOLIA AURANTIORUM. Pomeranzenblätter. *Feuilles d'Oranger.*

Citri Aurantii L. (v. Aurantia p. 11.) Folia ovalia, acuminata, integerrima, cum petiolo alato, sempervirentia, glabra, subcoriacea, pellucido-punctata (siccata, pallide viridia); odore grate aromatico, sapore aromatico, subamaro. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum et Principium extractivum amarum. — *Vis*: excitans, tonica, stomachica, carminativa.

Cave confundas cum foliis Citri medicae L., petiolo nudo vel subalato praeditis.

Usus: In pulvere, infuso; adduntur speciebus.

FOLIA AZEDARACH. Glatte Zedarachblätter. *Feuilles d'Azedarach commun.* — *Meliae Azedarach* L., e cl. Monadelphia, ord. Decandria, fam. Meliacearum, arboris Europae meridionalis Orientisque, Folia grandia, bipinnata, foliolis ovato-lanceolatis, inciso-serratis, glabris; sapore amaro. — Apud nos non usitata.

FOLIA BACCHARIDIS. Bachuspflanze-Blätter. *Feuilles de Baccharis.* — *Baccharidis indicae* L. (Cl. cet. v. Flores Bidentis p. 62.), fruticis Indiae orientalis, Folia petiolata, obovata, medio subserrato-dentata, glabra; dum digitis teruntur, odorem spirantia fragrantem. — In Java ut nervinum, ad fomentationes, balnea, cet., adhibentur.

FOLIA BACCHARIDIS IVAEFOLIAE L. Amerikanische Bachuspflanze-Blätter. *Feuilles de Baccharis à feuilles d'Iva.* — Fruticis Virginiae et Peru Folia angusta, lanceolata, acuta, serrata, subtus pilosa, nervosa; odore aromatico et sapore amaro. — In America ut stomachicum adhibentur. In eundem finem et ut febrifugum etiam *Folia Baccharidis genistelloidis* Pers. et *Baccharidis venustae* Kunth. usurpantur.

FOLIA BETLES. Betelblätter. *Feuilles de Betel.* — *Piperis Betles* L., (Cl. cet. v. Cubebae p. 55.), fruticis scandentis Indiae orientalis, Folia permagna, subcordata, acuta, glabra, 7-nervia; odore ac sapore acri-aromatico, piperino. Cum Nuce Arecae et Calce mixta masticatorium usitatissimum et expectorans apud Indos, — apud nos non adhibentur.

FOLIA BETULAE. Birkenblätter. *Feuilles de Bouleau blanc.* — *Betulae albae* L. (v. Cortex p. 44.) Folia longe petiolata, deldoidea, acuminata, duplicato argute-serrata, glabra, saturate viridia, subtus reticulata; odore grate aromatico, balsamico, sapore amaro. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum et Principium extractivum colorans amarum. — *Vis*: excitans, stomachica. — *Usus*: In infuso, decocto; externe ad balnea adhibentur, folia recentia cuti applicantur. — *Praep.*: Oleum aethereum et infusum, Aqua, Spiritus.

FOLIA BUCCO. Buccoblätter. *Feuilles de Bucco.* — *Diosmae crenatae* L., e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Rutacearum, fruticis promontorii Bonae Spei, Folia pollicaria, 1½-pollicaria, ovato-lanceolata, vel obovata, obtuse glanduloso serrulata, pallide-viridia, subtus glandulis elevatis, fuscescentibus, punctata, subcoriacea; odore forti aromatico, haud ingrato cuminino, sapore aromatico, menthaceo. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum. — *Vis*: antispasmodica, diuretica (?). — *Usus*: In infuso.

FOLIA BUXI. Buchsblätter. *Feuilles de Buis.* — *Buxi sempervirentis* L. (Fl. Bad. III. 681.), e cl. Monoecia, ord. Tetrandria, fam. Euphorbiacearum, fruticis Europae meridionalis, Helvetiae et Germaniae passim incolae, Folia breviter petiolata, pollicaria, ovato-obtusa, integerrima, superne obscure viridia, nitentia,

subtus pallidiora, glabra, coriacea, sempervirentia; per se quidem inodora, digitis autem trita, odorem spargentia nauseosum, sapore nauseoso-amaro, subdulci, irritante. — *Part. const. praev.*: Buxium. — *Vis*: diaphoretica, narcotica (?). — Apud nos non adhibentur.

FOLIA CALLICARPAE AMERICANAE L. Amerikanische Schönbeeren-Blätter. *Feuilles de Callicarpe américaine*, — e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Verbenacearum, fruticis Americae borealis et australis, Folia magna, opposita, petiolata, ovato-oblonga, serrata, pilosa. — Contra hydropem laudantur.

FOLIA CAPRIFOLII GERMANICI et ITALICI. Deutsches und Italienisches Geisblatt. *Feuilles de Chèvre feuille.* — *Lonicerae Periclymeni* L. et *Lon. Caprifolii* L. (v. Cortex p. 45.) Folia opposita, inferiora breviter petiolata, superiora sessilia, summa in L. Caprifolio connata; ovata et orbiculata, integerrima, glabra, subcoriacea; prope inodora, sapore nauseoso-amariusculo. — Hodie obsoleta.

FOLIA (Folbac) DE CAROBBA. Carobba Blätter. *Feuilles de Carobba.* — Ex Brasilia advehuntur. Folia petiolata, pinnata, foliolis speciosis, lato-lanceolatis, nitentibus, plantae non satis cognitae; plerumque diffracta prostant; inodora, sapore amaro, subadstringente. — Ut mundificans externe adhibentur.

FOLIA CASTANEAE PUMILAE. Zwerg Kastanienblätter. *Feuilles de Châtaignier nain.* — *Castaneae pumilae* L. (Cl. cet. v. Castaneae vescae p. 28.), arboris Americae borealis, Folia 3 — 4-pollicaria, oblonga, utrinque attenuata, mucronato-serrata, subtus tomentosa. — In America ut febrifugum usurpantur.

FOLIA CEANOTHI. Seckelblumen-blätter. *Feuilles de Ceanothe.* — *Ceanothi Americanae* L., e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Rhamnearum, fruticis Americae septentrionalis, Folia subcordato-ovata, inaequaliter serrulata, triplinervia, subtus pubescentia; sapore acri-adstringente. — *Vis*: purgans. — In America in infuso usurpantur, nomine Theae de New Jersei.

FOLIA CERBERAE. Schellenbaumblätter. *Feuilles de Cerbera.* — *Cerberae Manghas* GAERTN. (Cl. cet. v. Cortex Conessi p. 46.), arboris Indiae orientalis, Folia lanceolata, acuminata, transverse venosa, coriacea. In Java uti folia sennae adhibentur.

FOLIA CESTRI DIURNI L., Tagblumenstrauchblätter. *Feuilles de Galand du jour*, — e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Solanacearum, arbusculae Indiae occidentalis (Cubae), Folia petiolata, oblongo-lanceolata, acuminata, glabra, membranacea. — In patria ut febrifugum contra oedem pedum adhibentur.

FOLIA CICCAE DISTICHAE L., Zweizeilige Ciccablätter. *Feuilles de Cicca distichée*, — e cl. Monoecia ord. Tetrandria, fam. Euphorbiacearum, fruticis lactescentis Indiae orientalis, Folia pinnata, foliolis alternis, ovato-oblongis, laevibus. — Ut diaphoreticum adhibentur, contra exanthema acutum.

FOLIA COLUTEAE, Sennae Germanicae. Blasenstrauchblätter, Deutsche Sennesblätter. *Feuilles de Baguenaudier, faux Séné.* — *Coluteae arborescentis* L. (Fl. Bad. III. 201.), e cl. Diadelphia, ord. Decandria, fam. Leguminosarum, fruticis Europae meridionalis passimque Germaniae, qui in ambulacris colitur, Folia impari-pinnata, foliolis semi-pollicaribus et ultra, obcordatis seu emarginatis, integerrimis, superne glabris, saturate viridibus, subtus glaucescentibus, pilosulis, teneris; inodora, sapore nauseoso-amaro. — *Vis*: emetica, purgans. — Hodie obsoleta. — Foliis Sennae (p. 79.) interdum admisceri dicuntur.

FOLIA COLUTEAE SCORPIOIDIS. Scorpions-, Senet- oder Kronwicken-Blätter. *Feuilles de faux Baguenaudier.* — *Coronillae Emeri* L. (Fl. Bad. III. 203. — Cl. cet. praec.), fruticis elegantis Europae mediae et australis passimque Germaniae, Folia impari-pinnata, foliolis parvis, obovato-cuneiformibus, plus minus emarginatis, glabra, superne saturate viridia, subtus glaucescentia; sapore nauseoso-amariusculo. — *Vis*: laxans. Foliorum sennae loco adhiberi posse creditur.

FOLIA COTINI. Perücken-Sumach-Blätter. *Feuilles de Fustet.* — *Rhois Cotini* L., (v. Cortex p. 46.), Folia simplicia, petiolata, mediocria, suborbicularia, integerrima, opaca, glabra, superne saturate viridia, subtus pallidiora, glaucescentia, venosa, rigida, subcoriacea; odore resinoso, sapore peradstringente, subamaro.— *Part. const. praev.*: Principium adstringens. — *Vis*: tonica, narcotica (?). — Apud nos non usitata.

FOLIA DIANTHERAE TRISULCAE FORSK. (Justiciae trisulcae VAHL.) Dreifurchige Diantheren Blätter, — e cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Acanthacearum, fruticis elegantis Arabici, Folia ovato-oblonga, obtusa, glabra, coriacea. — Ut emolliens et anodynum externe in patria adhibentur.

FOLIA FRAXINI. Eschenblätter. *Feuilles de Frêne.* — *Fraxini excelsioris* L. (v. Cortex p. 47.) Folia magna, impari-pinnata, foliolis 13 subpetiolatis, oblongis, acuminatis, serratis, superne saturate viridibus, subtus pallidioribus, juxta nervos, fuscescente-tomentosis; sapore amaro, subadstringente. — Hodie obsoleta.

FOLIA GUAYAVAE. Guiava Birnblätter. *Feuilles de Goyavier rouge.* — *Psidii pomiferi* L. (Cl. cet. v. Folia Myrti p. 77.), fruticis ramosissimi utriusque Indiae, Folia parva, oblongo-lanceolata, utrinque attenuata, subtus pubescentia, lineata, rugosa; grate aromatica et adstringentia. — Ut febrifugum adhibentur.

FOLIA HAMAMELIDIS VIRGINIANAE L. Virginische Zaubernussblätter. *Feuilles d'Hamamelis.* — (v. Cortex p. 47.) Folia semi-cordato-oblonga, obtusa, sinuato-dentata, glabra, vel subtus scabra, aromatica et adstringentia. - Ab incolis interne et externe ut medicamentum adhibentur.

FOLIA HEDERAE ARBOREAE. Epheublätter. *Feuilles de Lierre.* — *Hederae Helicis* L. (v. Baccae p. 15.) Folia speciosa, longe petiolata, angulato - 3 — 5-loba, floralia indivisa, ovata; omnia integerrima, superne obscure viridia, splendentia, subtus pallidiora, nervoso-venosa, coriacea, sempervirentia; digitis trita, odorem spirantia balsamicum, sapore nauseoso, gutturali. — *Part. const. praev.*: Resina balsamica. — *Usus*: In decocto, raro; Folia recentia externe cuti applicantur ad suppurationem sustentandam.

FOLIA ILICIS VOMITORII AIT. (Cassines Peraguae MILL.) Brechhülsen Blätter. *Feuilles d'Apallaghine* (?) — (Cl. cet. v. Bacc. Aquifol. p. 14.), fruticis Americae borealis, Folia oblonga, argute serrata, glabra, coriacea. — *Vis*: purgans, emetica, diuretica. — Ab incolis forma theae, nomine black trink, usurpantur. — Ab hoc frutice false Thea de Paraguay derivatur (v. Hb. Apalachines.).

FOLIA INDI seu Malabathri, Tamalabathri. Indische Blätter. *Feuilles Indiennes.* — *Perseae Tamalae* SPR. (*Lauri Tamalae* HAMILT. (?) v. Cassia lignea p. 28.) Folia grandia, 1 — 1 1/2 pedes excedentia, oblonga, acuminata, integerrima, triplinervia, glabra, superne viridi-lutescentia, subtus cinerascentia, coriacea; odore ac sapore grate aromatico, cinnamomeo. — Hodie obsoleta.

FOLIA JUGLANDIS, Folia Nucum. Welsch-Nussblätter. *Feuilles de Noyer commun.* — *Juglandis regiae* (v. Cortex p. 48.) Folia magna, impari-pinnata, pinnis 7 — 9, oblongo-ovalibus, glabris, subserratis, subaequalibus, firmis; odore peculiari, haud ingrato, sapore nauseoso-acri. — Apud nos non usitata.

FOLIA KALMIAE LATIFOLIAE L. Breitblatt. Kalmienblätter. *Feuilles de Kalmie à feuilles lar-*

gea — (Cl. cet. v. Fol. Rhododendri p. 78.), fruticis elegantis, sempervirentis Americae borealis, Folia terna, longe petiolata, oblonga, acuta, integerrima, glabra, superne saturate viridia, subtus pallidiora, splendentia. — *Vis:* narcotica. — *Usus:* In decocto; in diarrhoea inveterata guttatim caute administrantur; externe ad herpetem, tineam capitis sanandam, applicantur.

FOLIA LABURNI. Bohnenbaum- oder Erbsenbaum-Blätter. *Feuilles d'Aubours, de Cytise des Alpes* — (Fl. Bad. III. 551. — Cl. cet. v. Folia Coluteae p. 76.), fruticis vel arboris mediocris Europae australis, Helvetiae, apud nos in ambulacris, hortis, cultae, Folia majuscula, longe petiolata, ternata, foliolis speciosis, ovali-oblongis, integerrimis, superne saturate viridia, subtus pallidiora, tenerrime reticulato-venosa, glabra vel subpilosa, firmiuscula; inodora, sapore fatuo, herbaceo, subsalso-amariusculo, post subacri, inter masticationem mucilaginem praebentia. — *Vis:* resolvens, irritans, drastica (?). — Hodie obsoleta.

FOLIA LAURI. Lorbeerblätter. *Feuilles de Laurier.* — *Lauri nobilis* L. (v. Baccae p. 15.) Folia speciosa, oblongo-lanceolata, integerrima, margine undulata, obscure viridia, glabra, nitentia, subtus reticulato-venosa, nervo medio flavo, coriacea, sempervirentia, petiolo brevi, rubro; odore grate aromatico, camphorato, pungente. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* excitans. — *Usus:* In infuso, raro.

FOLIA LAURI ALEXANDRINAE. Alexandrinische Lorbeerblätter. *Feuilles de Laurier Alexandrin.* — *Rusci Hypophylli* L., e cl. Dioecia, ord. Monadelphia, fam. Smilacearum, fruticis sempervirentis Italiae, Macedoniae, Caucasiae, Folia mediocria, elliptica, mucronata, integerrima, venosa, saturate viridia, glabra, nitentia, coriacea, subtus in medio florifera, floribus parvis, flavescentibus, nudis, praedita; inodora, subadstringentia. — Hodie obsoleta.

† FOLIA LAURO-CERASI. Kirschlorbeerblätter. *Feuilles de Laurier-Cerise.* — *Pruni Lauro-Cerasi* Mill. (Jc. Hayne Arz. Gew. IV. t. 41.), e cl. Icosandria, ord. Monogynia, fam. Rosacearum, fruticis vel arboris Orientis, apud nos hortensis, Folia, mense Julio colligenda, 4—6-pollicaria, late-lanceolata, serrulata, glabra, nitentia, coriacea, sempervirentia, subtus venosa, costa media prominula, prope basin glandulis 2—4 impressis notata; fere inodora, sed digitis trita, odorem spirantia fortem, grate amygdalinum, sapore aromatico, styptico, amaro. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum Acidum borussicum continens. — *Vis:* antispasmodica, narcotica, facile deleteria. — *Usus:* In infuso, raro. — *Praep.:* Aqua. — Cave confundas cum foliis *Pruni lusitanicae* L., glandulis commemoratis carentibus, et foliis Lauri, supra descriptis.

FOLIA LIGUSTRI. Rainweide- oder Ligusterblätter. *Feuilles de Ligustre.* — *Ligustri vulgaris* L., (v. Baccae p. 16.), Folia mediocria, lanceolata, utrinque attenuata, integerrima, glabra, nitentia, sapore styptico, amaro. — Hodie obsoleta.

FOLIA LINNEAE. Linnea-Blätter. *Feuilles de Linnea.* — *Linneae borealis* Gronov. (Fl. Bad. IV. 457.), e cl. Didynamia, ord. Angiospermia, fam. Caprifoliacearum, fruticuli repentis Europae borealis et Germaniae, Folia parva, opposita, petiolata, subrotunda, crenulata, ciliata, superne pilosula, obscure viridia, nitentia, subtus pallidiora, nuda; sapore amariusculo. — *Usus:* Forma theae; externe ad cataplasmata, fomentationes.

FOLIA MATICAE; Matica. — Hoc nomine Piperis speciei cujusdam Folia cordata, superne lanata, apud Peruanos ut stypticum externe in pulvere applicantur.

FOLIA MYRTI. Myrtenblätter. *Feuilles de Myrte.* — *Myrti communis* L. (v. Baccae p. 16.), Folia parva, sed variae magnitudinis, breviter petiolata, ovato-lanceolata, integerrima, obscure viridia, splendentia, coriacea, sempervirentia, pellucido-punctata; digitis trita, odorem spirantia gratissimum aromaticum, sapore gaudentia aromatico, styptico-amaro. — Hodie obsoleta.

FOLIA (cum Stipitibus) MYRTI BRABANTICAE, Gales, seu Chamaeleagni. Brabantische Myrten- oder Post-Blätter, Myrtenagel-Blätter, Torfmyrten-Blätter. *Feuilles de Myrte bâtard, de Galé odorant, de Piment royal.* — *Myricae Gales* L., e cl. Dioecia, ord. Tetrandria, fam. Myricearum, fruticuli Europae et Americae borealis passimque Germaniae in turfosis, Folia alterna, breviter petiolata, ovato-lanceolata, margine revoluto, superne glabra, obscure viridia, subtus albido-tomentosa, et flavo-punctata, firmiuscula, cum Ramulis junioribus pilosis, viridi- et rubicundo-punctatis, colligenda; odore forti, grate aromatico et sapore aromatico, amaro, subadstringente. — Ut thea, et externe in unguento, sed hodie rarissime, adhibentur. Nihilominus planta haec sane efficax, medicorum attentione etiam nunc digna est. Passim pro thea chinensi subrogabantur.

† FOLIA NERII, Oleandri, Rosaginis. Oleanderblätter *Feuilles de Laurier Rose.* — *Nerii Oleandri* L., e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Apocynearum, fruticis Europae meridionalis, Folia mediocria, simplicia, terna, breviter petiolata, lineari-lanceolata, integerrima, glabra, parallele nervosa, coriacea, sempervirentia; inodora, sapore amarissimo-nauseoso. — *Vis:* narcotica (?) toxica. — Hodie obsoleta.

FOLIA OLEAE EUROPAEAE L. Oelbaum- oder Olivenbaum-Blätter. *Feuilles d'Olivier* — (v. Ol. Olivarum). Folia mediocria, breviter petiolata, lanceolato-acuminata, integerrima, nitentia, subtus albido vel aureo-lepidota, sempervirentia; sapore amaro, subadstringente. — Ut febrifugum loco chinae adhibentur.

FOLIA OLIVELLAE. Spanischer Zeiland. *Feuilles du Camelée.* — *Cneori tricocci* L., e cl. Triandria, ord. Monogynia, fam. Empetrearum (?), Folia lanceolata, obtusa, integerrima, glabra, sempervirentia; sapore acri-amaro, nauseoso. — Ut purgans olim adhibebantur. — Hodie obsoleta.

FOLIA OPUNTIAE. Opuntienblätter, Indianische Feigenblätter. *Feuilles de Figuier d'Inde.* — *Cacti Opuntiae* L., e cl. Icosandria, ord. Monogynia, fam. Nopalearum, fruticis succulenti Indiae occidentalis, in Europa meridionali nunc tanquam indigeni, nobis hortensis, Articuli ramorum ovati, compressi, aculeati, aculeis setaceis, externe virides, interne albidi, molles, succulenti; sapore refrigerante, dubdulci, mucilaginoso. — Externe vulneribus applicantur. — Apud nos non usurpantur.

FOLIA PALIURI. Stechdornblätter. *Feuilles de Paliurus.* — *Paliuri australis* Gaertn. (*Rhamni Paliuri* L.), e cl. Pentandria, ord. Trigynia, fam. Rhamnearum, fruticis aculeati Europae australis passimque Germaniae, Folia ovata, serrulata, 3-nervia, glabra, nitentia. — Hodie obsoleta.

FOLIA PERSICORUM. Pfirsichblätter. *Feuilles de Pêcher.* — *Persicae vulgaris*

Mill. (v Flores p. 69.) Folia, mense Junio et Julio colligenda, speciosa, lanceolata, acuminata, argute serrata, ad basin utroque margine glandulis duabus obsessa, glabra, nitentia, saturate viridia, tenera, annua; odore forti amygdalino, sapore aromatico, amaro, substyptico. — *Part. const. praev.* et *Vis*: ut foliorum lauro-cerasi, sed debiliora sunt. — *Usus*: In infuso. — *Praep.*: Aqua destillata.

FOLIA POPULI TREMULAE L. Zitterpappel- oder Espenblätter. *Feuilles de Peuplier tremple* — (Fl. Bad. III. 762. — Cl. cet. v. Cort. Populi p. 50.), arboris silvestris vulgaris, Folia longe petiolata, pendula, facile trementia, subrotundo-ovata, obtusiuscula, repando-dentata, basi rotundata, integerrima, eglandulosa, laete viridia, glabra, in juventute autem tenerrime pilosa, subtus reticulato-venosa, firmiuscula; sapore dulciusculo, irritante et amaro. — *Part. const. praev.*: Populium et Salicium (?). — Folia medicorum attentione digna sunt.

FOLIA PRUNI PADI. Traubenkirschen-Blätter. *Feuilles de Prunicr à grappes* (v. Cortex p. 50.), Folia speciosa, petiolo fusco-rubro, biglanduloso, praedita, late ovato-lanceolata, basi subcordata, simpliciter vel duplicato-argute serrata, laete viridia, glabra, subtus autem ad nervos pubescentia, subrugosa, membranacea. Similibus praedita *Viribus* ac cortex. — *Usus*: In infuso. — *Praep.*: Aqua.

FOLIA PTELEAE TRIFOLIATAE L. Kleebaum- oder Lederblumen-Blätter. *Feuilles de Ptelea à fruits d'Orme.* — E cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Zanthoxylearum, fruticis elegantis Americae borealis, Folia longissime petiolata, ternata, foliolis speciosis, sessilibus, obsolete denticulatis, glabris, vel subtus costa media pilosis. — In America ut anthelminthicum adhibentur.

FOLIA RAVENSARAE, seu Agathophylli. Gewürzhaftes Gutblatt. *Feuilles de Ravensara.* — *Agathophylli aromatici* W. (v. Cortex p. 51.), Folia petiolata, obovata, integerrima, coriacea. — Pariter aromatica sunt uti cortex eodemque modo uti et ad condimenta in patria adhibentur.

FOLIA QUERCUS. Eichenblätter, Eichenlaub *Feuilles de Chêne.* — *Quercus Roboris* L. et *Q. sessiliflorae* Sm. (v. Cortex p. 50.) Folia speciosa, simplicia, petiolata, oblonga, sinuata, lobis rotundatis, glabra, rigida, subcoriacea, annua; sapore peradstringente. — *Part. const.* et *Vires* ut corticis, sed debiliores. — Hodie obsoleta.

FOLIA RHODODENDRI CHRYSANTHI. Sibirische Schneerosenblätter. *Feuilles de Rosage à fleures jaunes.* — *Rhododendri chrysanthi* L., e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Ericinearum, fruticis Sibiriae australis et Tauriae montium incolae, Folia una cum stipitibus junioribus colligenda, petiolata, 2—3-pollicaria, ovato-oblonga, integerrima, margine subrevoluto, glabra, obscure viridi-fuscescentia, subtus pallidiora, tenerrime reticulato-venosa, passim ferruginosa, rigida, subcoriacea (Foliis Lauri p. 77. quodammodo similia); intermixta ramulis, pennam scriptoriam crassis, griseo-fuscis, striatis, hinc inde squamis obsessis; odore nauseoso rhabarbarino, sapore styptico, ingrate amaro. — *Part. const. praev.*: Principium proprium amarum. — *Vis*: excitans, narcotica, diaphoretica, diuretica. — *Usus*: In pulvere, infuso, decocto. — *Praep.*: Tinctura. — Cave confundas cum aliarum Rhododendri specierum foliis, infra describendis.

FOLIA RHODODENDRI FERRUGINEI L. Rostfarbige Alpenbalsam- oder Alpenrosen-Blätter — *Rhododendri ferruginei* L. (Fl. Bad. IV. 280.), fruticis alpicolae Folia, praecedentibus minora, lanceolata, utrinque attenuata, superne glabra, viridia, reticulato-venosa, subtus ferrugineo-leprosa, vel punctata; odore fortiori, sapore acri-pungente.

FOLIA RHODODENDRI MAXIMI L. Größte Alpenbalsamblätter. — Fruticis Americae borealis, Folia praecedentium majora, 4 — 6-pollicaria, ovato-oblonga, acuminata, utrinque glabra, viridia, subtus pallidiora.

FOLIA RHODODENDRI PONTICI L. Pontische Alpenbalsamblätter — Fruticis Asiae minoris, Folia oblonga, margine reflexo, subtus concolora, glabra, coriacea.

† FOLIA RHOIS TOXICODENDRI. Gift-Sumach-Blätter. *Feuilles de Sumac veneneux.* — *Rhois Toxicodendri* L. (Cl. cet. v Folia Cotini p. 76. Jo. Hayne Arzn. Gew. IX. 1.), fruticis Americae borealis, nobis hortensis. 3 4-pedalis, caule erecto et radicante, Folia ternata, longissime petiolata, foliolis 2—4-pollicaribus et ultra, lato-ovatis, acuminatis, integerrimis, vel subsinuato-dentatis, glabris, vel subtus subvillosis, laete viridibus, membranaceis, diaphanis; inodora, sapore adstringente. — *Vis*: toxica, acris; ipsa exhalatio inflammationem cutis et intumescentiam efficit. Hinc caute folia manibus armatis colligenda. — *Usus*: In pulvere, pilulis. — *Praep.*: Succus, Extractum, Tinctura.

FOLIA RIBIS NIGRI. Schwarze Johannisbeer-Blätter *Feuilles de Cassis.* — *Ribis nigri* L. (v. Baccae p. 17.) Folia mediocria, longe petiolata, 5-loba, lobis acutiusculis, grosse serratis, subtus resinoso-punctata; odore ingrato cimicino, sapore styptico, acidulo. — *Vis*: resolvens, diuretica. — Hodie obsoleta.

FOLIA RUBI BATI. Kratzbeeren- oder Brombeerenblätter. *Feuilles de Ronce bleuâtre.* — *Rubi caesii* L. (Cl. cet. v. Baccae Rubi p. 17.), fruticis indigeni, vulgaris, aculeati, Folia ternata, bina vel simplicia, lobata, foliolis ovatis, inaequali-serratis, superne obscure viridia, subtus villosa; sapore styptico. Hodie obsoleta.

FOLIA SALICIS. Weidenblätter. *Feuilles de Saule.* — *Salicis albae* L. (Fl. Bad. III. 747. — Cl. cet. v. Cortex p. 51.), arboris plerumque procerae, locis humidis, paludosis, vulgaris, amentis serotinis, densis, floribus diandris, ovariis glabris, Folia lanceolata, utrinque attenuata, argute glanduloso-serrulata, supra incana, subtus albido-sericea; trita, odore proprio, balsamico et sapore amaro adstringente. — *Part. const. praev.* et *Vis*: ut corticis (?). — *Usus*: Praecipue externe ad gargarismata. — Hodie autem vix praescribuntur, quamquam digna, quae adhibeantur. — Ceterum antea investigandum est, cujus Salicis speciei folia praestantiora sint.

FOLIA SALVADORAE PERSICAE L. Persische Salvadorblätter. *Feuilles de Salvadore persique* — e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Ardisiacearum (?), arboris Arabicae et Persicae, Folia petiolata, oblonga, venosa, integerrima, crassa. — Externe tumoribus, bubonibus cet. in pulvere superinponuntur. — In patria arbor maxime celebris, imo pro alexipharmacum habetur.

FOLIA SAMBUCI. Hollunderblätter. *Feuilles de Sureau.* — *Sambuci nigrae* L. (v. Baccae p. 17.) Folia magna, impari-pinnata, foliolis 5 — 7 oblongo-lanceolatis, serrulatis, saturate viridibus, nudiusculis, stipulis carentia; odore et sapore nauseoso. — Hodie obsoleta.

FOLIA SENNAE. Sennesblätter. *Feuilles de Séné.*

Cassiae lanceolatae Forsk., *Cassiae Sennae* Lam. et *Cassiae acutifoliae* Del., e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Leguminosarum, fruticum Aegypti superioris, Folia $\frac{1}{2}$ — 1-pollicaria et ultra, 2 — 3 lineas lata; folia prioris speciei lanceolata, acuta, angustiora; secundae obovata, subinde emarginata, latiora; utraque integerrima, mucronulata, basi aeque ac petiolus brevissimus obliqua, pallide flavescente-viridia, passim subfuscescentia, subtus pallidiora, cinerascentia, venosa, sub lente subtomentosa; rigidula, fragilia; odore debili, ingrato, sapore ingrato, subdulci, postmodum amariusculo, mucilaginoso. Infusum aquosum saturate luteo-fuscum, addito ferro muriatico oxydato, in colorem saturate fuscum sine turbatione abit. — Distinguuntur: Folia Sennae Alexandrinae, Alexandrinische Sennesblätter, *Séné de la Palte*, quae ex Aegypto advehuntur, et plus foliorum Cassiae lanceolatae habent, et Folia Sennae Tripolitanae, Tripolitanische Sennesblätter, *Séné de Tripoli*, quae e Tripoli adportantur, foliis Cassiae obovatae plerumque ditiora, colore saepius viridiori magisque stipitibus intermixta. Ambabus speciebus admixta sunt Folia *Cynanchi Arghel* Del. anguste lanceolata, acuta, petiolo recto, paullo longiori, instructa, colore pallidiore, flavescente vel subviridi-griseo, rugulosa, subtus venis prominentibus aut nullis, aut obsoletis, crassiora, subcoriacea; odore fortiori, ingrato, ac sapore amarissimo-nauseoso, irritante. — Folia Sennae Indiae orientalis, Ostindische Sennesblätter, *Séné d'Inde orientale*, advehuntur ex India orientali et folia sunt *Cassiae acutifoliae* Del.; priorum sunt similia, sed foliis Cassiae lanceolatae angustiora, lineari-lanceolata et plerumque longiora, ^{3} — $1\frac{1}{2}$ pollicem complectentia, glabra, paullo tenuiora, ceterum ut antecedentia. Neque vero folia Cassiae obovatae, neque folia Cynanchi Arghel his intermixta sunt. (Folia Sennae Arabicae seu Mocca huc pertinent) — *Part. const. praev.*: Principium proprium extractivum (Cathartium). — *Vis*: laxans.

Sint folia pallide viridia, neque vero fusca, stipitibus crassioribus saltem et foliis Cynanchi Arghel liberata. Folia Sennae parva quae dicuntur, i. e. frustula foliorum fractorum, cribri ope separata, cum pulvere aliisque quisquiliis mixta, rejicienda. Contaminatio cum foliis Coluteae arborescentis facile dignoscitur (confer descriptionem p.76.) Folia Coria-

riae myrtifoliae sunt majora, triplinervia, glabra, coriacea, Foliorum Myrti (p. 77.) similia; infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati colore nigro imbuitur.

Usus: In pulvere, electuario, infuso. — *Praep.* et *Compos.:* Extractum, Tinctura, Aqua laxativa, Electuarium lenitivum, Pulvis pectoralis, Syrupus Sennae, Syrupus Mannae, et multis aliis adduntur compositionibus.

FOLIA SENNAE AMERICANAE. Amerikanische Sennesblätter. *Feuilles de Séné Americain.* — *Cassiae Marylandicae* L., suffruticis Americae borealis, Folia magnitudine foliorum sennae descriptorum, sed oblongo-ovalia, saturatius viridia, subtus cinerascentia, margine subciliata, tenera. — Apud nos non et vix usquam in America adhibentur.

FOLIA SENNAE PORTUREGALIS. Port-Royal Sennesblätter. *Feuilles de Séné de Port-Royal.* — Hoc nomine nuper novae Cassiae speciei Jamaicensis Folia Londinum adportata sunt, iisdem Viribus ac folia sennae ordinariae praedita, quae ab incolis eodem modo adhibentur.

FOLIA SOULAMEAE AMARAE LAM. Bittere Soulameablätter. *Feuilles de Soulamée amère,* — e cl. Diadelphia, ord. Octandria, fam. Polygalearum, arboris insularum Moluccensium, Folia oblonga, amarissima, — quae in patria praecipue in malis arthriticis et hydropicis externe applicantur.

FOLIA SPIRAEAE TOMENTOSAE L. Filzige Spierstaudenblätter *Feuilles de Spirée velutée.* — (Cl. cet. v. Flores Barbae Capri p. 62.), fruticis Americae borealis, Folia parva, lanceolata, profunde et inaequaliter serrata, subtus tomentosa; amaro-adstringentia. — In patria ut tonicum, stomachicum, febrifugum, cet. celebria.

FOLIA SPINAE ALBAE. Weißdornblätter. *Feuilles d'Aubepin.* — *Crataegi Oxyacanthae* L. (v. Baccae p. 15.) Folia mediocria, petiolata, obovato- 3 — 5-fida, incisc-dentata, lobis obtusiusculis, laete viridia, glabra, nitentia, rigidula; inodora, sapore styptico-amaro. — Hodie obsoleta.

FOLIA SUMACH, seu Rhois Coriariae. Sumachblätter *Feuilles de Sumac.* — *Rhois Coriariae* L., et *Rhois typhinae* L. (Cl. cet. v. Fol. Rhois Toxicodendri p. 78.), fruticum vel arborum, quarum illa Europae meridionalis, haec Americae septentrionalis incola, apud nos in ambulacris obviarum, Folia magna, impari-pinnata, pinnis prioris ovato-oblongis, obtuse serratis, posterioris lanceolatis, argute serratis; utriusque saturate viridia, subtus pubescentia; sapore peradstringente. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope nigerrimo colore imbuitur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens. — Hodie ut medicamentum obsoleta.

FOLIA TAMARISCI GALLICAE. Französische Tamariskenblätter. *Feuilles de Tamaris de France.* — *Tamaricis Gallicae* L. (v. Cortex p. 52.) Summitates annotinae, foliolis minutis, cupressiformibus saturate viridibus, subglaucescentibus, imbricatis tectae; inodorae, sapore adstringente. — Hodie obsoleta. — Uti et

FOLIA TAMARISCI GERMANICAE. Deutsche Tamariskenblätter *Feuilles de Tamaris d'Allemagne.* — *Tamaricis Germanicae* L. (v. Cortex p. 52.) Summitates, foliolis paullo majoribus, lineari-lanceolatis, canescentibus obsessae, — quae pariter adstringentes sunt.

FOLIA seu SUMMITATES TAXI. Taxusblätter. *Feuilles d'If.* — (v. Baccae p. 18.) Folia acerosa, sempervirentia, pectinata, linearia, obtusiuscula, mucronata, glabra, nitentia, superne obscure viridia; subtus viridi-flavescentia, coriacea; colligenda cum ramulis junioribus; inodora, sapore nauseoso, peramaro, substyptico. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum amarum et adstringens. — *Vis:* narcotica (?), emmenagoga. — *Usus:* In decocto. — *Praep.:* Extractum.

FOLIA UVAE URSI, Gayubae. Bärentraubenblätter, Steinbeerenblätter oder Sandbeerenblätter. *Feuilles d'Arboussier, de Bousserole.* — *Arbuti Uvae Ursi* L. (Fl. Bad. II. 206.), e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Ericinearum, fruticuli indigeni, in montibus, locis asperis, saxosis crescentis, Folia ½ 1-pollicaria, obovato-cuneiformia, apice subrecurva, integerrima, glabra, superne saturate viridia, subtus pallidiora, reticulato-venosa, crassiuscula, rigida, coriacea, sempervirentia; inodora, sapore adstringente, amariusculo. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore intense coeruleo-nigro imbuitur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens. — *Vis:* tonica, diuretica. — *Usus:* In pulvere, infuso, decocto. — Cave confundas cum Foliis Vitis idaeae, statim describendis, et Foliis Buxi (v. p. 75.).

FOLIA VIBURNI. Wollige Schlingbaum- oder Mehlbaumblätter *Feuilles de Viorne.* — *Viburni Lantanae* L. (Fl. Bad. I. 735. — Cl. cet. v. Baccae Viburni p. 18), fruticis indigeni, Folia ovalia, obtusiuscula, argute dentata, superne viridia, subtus albida, utrinque pilis stellatis obsessa; sapore peradstringente. — Hodie obsoleta.

FOLIA VITICIS TRIFOLIAE L. Dreiblätterige Müllenblätter. *Feuilles de Vitex triphyllé* (Cl. cet. v. Flores Agni casti p. 61.). Fruticis Indiae orientalis Folia ternata et quinata, foliolis ovatis, acutis, integerrimis; folia floralia simplicia; omnia integerrima, subtus tomentosa; grate aromatica. — In Java ut medicamentum adhibentur.

FOLIA VITIS IDAEAE. Preißelbeerblätter. *Feuilles de Canneberge, d'Aireller ponctuée.* — *Vaccinii Vitis idaeae* L. (v. Baccae p. 18.) Folia pollicaria et longiora, obovata, subemarginata, subserrulata, margine revoluto, glabra, superne saturate viridia, nitentia, subtus pallidiora, fusco-punctata, coriacea, sed foliis uvae ursi tenuiora, sempervirentia, inter siccandum facile fuscescentia; inodora, sapore adstringente,

subamaro. Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati obscure viridem colorem assumit. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens et amarum. — *Usus:* In infuso ut thea.

FOLIA et PAMPINI VITIS VINIFERAE. Weinrebenblätter und Zweiglein. *Feuilles de Vigne.* — *Vitis viniferae* L. (Fl. Bad. I. 545. — Cl. cet. v. Agresta p. 2.) Folia magna, longe petiolata, sinuato-sub-5-loba, dentato-serrata, forma multiplici variabili, subglabra, laete viridia; una cum Summitatibus ramulorum viridium et Cirrhis colligenda; inodora, sapore acido-austero. — *Part. const. praev.:* Acidum Tartari et malicum. — *Vis:* tonica, styptica, sanguinem sistens. — *Usus:* In pulvere. — *Praep.:* Extractum.

FOLLICULI SENNAE. Sennesbälglein. *Follicules ou Ecosses de Séné.* — *Cassiae lanceolatae* Forsk, raro *Cassiae Sennae* L. (v. Folia). Legumina late ovalia, subcurvata, vel lunulata, compressa, 1½—2 pollices longa, colore sordide flavo-viridescente, glabra, nitentia, tunica papyracea diaphana, 6—10-sperma, seminibus albidis, lentis magnitudine, spathulatis. Odor atque sapor idem est, qui foliorum sennae, sed magis mucilagine praediti sunt. — *Vis* et *Usus:* ut foliorum.

FORMICAE. Ameisen. *Fourmis.*

Formica rufa L., Insectum hymenopterum, e fam. Formicarum, in silvis, praecipue pinetis, frequens, cumulos magnos conicos, e quisquiliis plantarum variis, foliis acerosis, terra, cet. pro domicilio formans. — Colligenda insecta neutra, quae aptera, obscure brunnea, nitentia, 4 circiter lineas longa, capite magno, 3-gono, oculis minutissimis, antennis simplicibus infractis, thorace subcompresso, cum pedicello, squamam simplicem formante, et capite partim rufo, abdomine inflato-ovato, ano glandulifero pedibusque longis praedita. Odorem spirant fragrantem, acido-aethereum. — *Part. const. praev.:* Acidum formicicum et Oleum Formicarum. — *Vis:* irritans, antirrheumatica, antiarthritica, diuretica.

Usus: Externe insecta viva, in nodulas clausa, cuti imponuntur, et ad balnea adhibentur. — *Praep:* Acidum, Spiritus, Tinctura, Oleum, Aqua magnanimitatis.

FRAGA, Baccae seu Fructus Fragariae. Erdbeeren. *Fraises.* — *Fragariae vescae* L. (Fl. Bad. II. 439.), e cl. Icosandria, ord. Polygynia, fam. Rosacearum, plantae perennis indigenae, in silvis, nemoribus, ad sepes frequentis, Fructus. — Baccae spuriae quae dicuntur, conicae, amoene rubrae, e receptaculo carnoso, succulento, eduli, in superficie carpellis minutis consperso, constantes; odore suavi et sapore gratissimo acidulo-dulci. — *Part. const. praev.:* Acidum citricum et malicum, Saccharum et Aroma celeriter avolans. — *Vis:* refrigerans, lithontriptica, anthelmintica, nutriens. — *Usus:* diaeteticus. — *Praep.:* Succus, Syrupus, Roob, Aqua, Vinum, Spiritus, Acetum, Tinctura.

FRUCTUS ANDIRAE HORSFIELDI Lechen. Horsfields Andire-Früchte. *Fruits d'Andire de Horsfield.* — (Cl. cet. v. Fabae de Tonco p. 59.), fruticis Javensis, Legumina non dehiscentia, monosperma, semine membranula obvoluto; sapore amaro. — Ut stomachicum cet. in patria adhibentur.

FRUCTUS seu SEMINA ANGELINAE seu ANGELIM, Angelim-Früchte oder Samen. *Fruits (Semences) d'Angelim* (v. Cortex p. 43). Legumina ovi gallinacei magnitudine, ovalia, primo viridia et punctis albidis adspersa, post nigra, monosperma, semen magnum, externe nigro-fuscum, intus subflavo-albidum, farinosum includentia. Prostant praecipue in taleolas disecta; inodora, sapore debili, subnauseoso. — In patria ut anthelminticum, praecipue contra taeniam, maxime laudantur.

FRUCTUS ANANAS. Ananas. *Ananas.* — *Bromeliae Ananas* L., e cl. Hexandria, ord. Monogynia fam. Bromeliacearum, plantae perennis succulentae Indiae occidentalis, apud nos in hibernaculis cultae, Fructus. — Baccae luteae, densissime aggregatae, ita ut baccam quasi compositam grandem, ovalem, cum coma foliacea, exhibent; odore gratissimo fragis simili, sapore gratissimo, acidulo dulci. — *Usus:* diaeteticus; ut refrigerans passim administrantur.

FRUCTUS ARTOCARPI INCISAE L. Gemeine Brodfrucht. *Fruits de Jacquier decoupé,* — e cl. Monoecia, ord. Monandria, fam. Artocarpearum, arboris utilissimae Indiae orientalis et Australiae, Fructus. — Baccae grandis, composita, pulposo-farinosa. — *Usus:* diaeteticus; nutriendi ergo, multivarie praeparati, comeduntur.

FRUCTUS AZEDARACH. Glatte Zedrachfrüchte. *Fruits d'Azedarach commun.* — *Meliae Azedarach* L. (v. Cortex p. 44.) Drupa ovalis, carnosa, cortice crassissimo, nucleo sulcato, 5-loculari, loculis monospermis, seminibus amaris, oleosis. — In America pro anthelmintico comeditur.

FRUCTUS DIOSPYRI VIRGINIANAE. Persimonfrüchte, Dattelpflaumen. *Fruits de Plaqueminier de Virginie.* — *Diospyri Virginianae* L. (v. Cortex p. 46.) Fructus. — Baccae speciosae, ovales, mespilorum magnitudine, 8-loculares, succulentae; sapore grato. — Ut purgans et vermifugum usurpantur.

FRUCTUS EVONYMI. Spindelbaumfrüchte, Pfaffenkäpplein. *Fruits de Fusain, Bonnet de Prêtre.* — *Evonymi Europaei* L. (Fl. Bad. I. 531.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Celastriacearum, fruticis indigeni vulgaris, Fructus. — Capsulae mediocres, quadrangulares, rubrae, quadriloculares, loculis monospermis, maturae hiantes et semina magna, lutea, arillo spongioso praedita, exhibentes; sapore nauseoso-amaro. — *Vis*: emetica, purgans. — Hodie obsoleti.

FRUCTUS LAURI PERSEAE L. Advokat-Früchte. *Fruits d'Avocatier.* — (Cl. cet. v. Cinnamomum p. 37.), arboris Americae australis; Fructus. — Baccae, magnae, pyriformes (multivarie variabiles); sapore dulciusculo-oleoso. — Ut aphrodisiacum adhibentur.

FRUCTUS (Semina) LILAC, seu Syringae. Lilak- und Spanische Flieder-Früchte. *Fruits de Lilas.* — *Syringae vulgaris* L. (v. Cortex p. 48.) Fructus immaturi. — Capsulae oblongae, acutae, compressae, pollicis vix longitudine, pallide virides, glabrae, 2-valvae, 2-loculares, loculamentis 2-spermis, seminibus oblongis, margine membranaceo cinctis; inodorae, sapore peramaro. — *Part. const. praev.*: Principium extractivum amarum et adstringens. — Ut febrifugum nuper laudabantur, et medicorum attentione digni sunt.

FRUCTUS PALIURI. Stechdorn-Früchte. *Fruits de Paliure.* — (v. Folia p. 77.). Drupae bacciformes, coriaceae, margine lato, peltato, cinctae. — Hodie obsoleti.

FRUCTUS RAVENSARAE, seu Agathophylli. Gewürzhafte Gutblatt Früchte. *Fruits de Ravensara.* — (v. Folia p. 78.) Drupae subglobosae, fusco-nigrae, parum crassae, aridae, nucleo ligneo semen oleosum includente, praeditae; maxime aromaticae. — Ut folia adhibentur.

FRUCTUS SOLUMEAE AMARAE Lam. Pharmacum magnum. Bittere Sulameen-Früchte, großes Arzneimittel *Fruits de Soulamée amère.* — (v. Folia p. 80.) Capsulae compressae, alatae, non dehiscentes, biloculares, colore flavescente; sapore amarissimo. — In patria ut medicamentum summe laudantur et in multis malis, cholera, pleuritide, tussi convulsiva, cet. adhibentur.

FULIGO. Ruß. *Suie.* — Substantia carbonacea nigra, solida, ex vegetabilibus incensis sublimata. Distinguuntur: Fuligo splendens, Glanzruß, massa compacta, nigra, splendens, friabilis; odore bituminoso et sapore ingrato salso, empyreumatico; et Fuligo Tedae, Flatterruß, Kienruß, *Noire de Fumée*, pulvis tennerrimus, levissimus, nigerrimus; odore et sapore simili, sed leviori. — Fuligo praecipue e substantia carbonacea (Humo) constat, cum Resinis, Oleis, Naphthalino et Acidis empyreumaticis, ut etiam Salibus ammoniacalibus cet. mixta. — *Vis*: resolvens, sudorifera, anthelmintica (?). — *Usus*: Fuligo splendens in substantia, in pulvere, pilulis. — *Praep.*: Tinctura, Spiritus. Aliis quoque additur compositionibus.

FUNGUS MELITENSIS. Maltheserschwamm, Scharlachruthe Hundsruthe. *Champignon de Malte.* — *Cynomorium coccineum* L., e cl. Monoecia, ord. Monandria, fam. Balanophorearum, planta parasitica Sardiniae, Siciliae, Mauritaniae, fungum mentiens. Stipes est crassus cum amento carnoso, cuneiformi, recens, coccineo, superne flosculis nudis et squamis albis, obsesso. Siccatus prostat maxime corrugatus, externe nigrescens, farina quasi alba conspersus, intus e luteo rufescens, vel fusco-ruber; durus, sed fragilis, inodorus, sapore salso, styptico. Infusum aquosum addito ferro mariatico oxydato colore nigro imbuitur. — Hodie exolevit.

FUNGUS ROSAE, Fungus Cynosbati seu Gynosbati, Fungus Bedeguar, Fungus comosus, Spongia Rosae. Rosenschwamm, Schlafapfel, Schlafkunzen, Hagenbuttenschwamm. *Bedeguar, Galle chevelue.* — Est Excrescentia Rosae caninae L. (v. Flores p. 71.) per Cynipem Rosae L. orta. Figura spongiosa, subrotunda, variae magnitudinis, nucis juglandis ad pugni et ultra, colore viridi et rubro; externe e fibris tenuibus, foliaceo muscosis, varie flexis et textis, intus e meditullio albido, excavato, ovulis vel larvis insecti inhabitato, constans; sapore peradstringente. — Olim in pulvere ut adstringens, antinephriticum, ut antidotum contra rabiem cet. adhibebatur. — Hodie exolevit.

FUNGUS seu BOLETUS SALICIS. Weidenschwamm. *Eponge de Saule.* — *Boletus suaveolens* L. (Cl. cet. v. Agaricus chirurgorum p. 2.). — Fungus sessilis, truncis Salicum vetustis superincrescens, pileo suberoso-carnoso, crasso, figura subhemisphaerica, superne pulvinatus, lacteus, subflavescens, azonatus, brevitomentosus, poris primum albis, demum fuscescentibus; odore, si recens, praecipue ante pluviam, grate subviolaceo-anisino; sapore mucilaginoso-amariusculo. — In phthisi olim celebratus; hodie autem rarissime adhibetur.

FUNGUS SAMBUCI, Auricula Judae. Hollunderschwamm, Judasohr. *Oreille de Judas* ou *de Juif.* — *Peziza Auricula* L. (*Tremella Auricula* Pers. *Exidia Auricula Judae* Fr.), Fungus ex ord. (et fam.) Hymenomycetum. Verno tempore erumpit; truncis Sambuci nigrae vetustis septentrionem versus aggregatim superincrescit; varia figura et magnitudine, 1—3 pollices diametro, expansus, cavus, undulatus, flexuosus, aurem hominis quodammodo simulans; cum basi, in medio producta, cortici adhaerens; tenuis, olivaceo nigrescens, diaphanus, subtus griseus, brevissime villosus plicisque nerveis prominentibus praeditus; recens mollis, elastice cartilagineo-gelatinosus, fragilis; siccatus vero corrugatus, coriaceus, diaphanus, superne nigrescens, subtus griseo-fuscescens; inodorus, sapore fatuo, quodammodo cartilagini simili; in aqua celeriter mollescens, intumescens et fungi recentis figuram recuperans. — *Part. const. praev.*: praecipue Funginum. — *Usus*: Olim interne contra hydropem adhibebatur. Hodie passim, in aqua emollitus, ut ophthalmicum oculis imponitur. — Cave confundas cum Boleto versicolore et fungis similibus, qui facile distingui possunt, superficie infera porosa, constitentia duriori, et eo, quod in aqua parum tantum emollescunt.

FURFUR CEREALIUM. Getraide-Kleien. *Son.* — Granorum Cerealium, *Secalis Cerealis, Tritici* cet., Cuticulae diffractae, farina separatae, pulverem grossum, badium, asperiusculum exhibentes; odore debili proprio, sapore subadstringente, farinoso. —

Vis: leniens, anodyna. — *Usus:* In decocto, tam interne quam externe, ad clysmata, balnea.

GAGATES. Pechkohle, Gagat. *Jajet*, *Lignit-jajet*, *Ambre noire*. — *Lithanthrax* seu *Lignites* cum aliis Lithanthracibus passim obvius, in massis amorphis, atro-piceis, densis, fere homogeneis, modo strata fibrosa prae se ferentibus, fragilibus, fractura conchoidea, pingui splendente (Gagatae splendor poliendo magnopere augetur), p. sp. 1,35; inodorus est et insipidus, ignitus cum flamma splendente deflagrat. — *Usus:* Ad parandum Oleum Gagatae empyreumaticum, quod Balsamum ingreditur hystericum. — Hodie exolevit.

GALBANUM. Mutterharz. *Galbanum.*

Synon.: Gummi (Resina) Galbanum.

Galbani officinalis Don., e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Umbelliferarum, plantae Orientalis, Succus lacteus, partim sponte, partim incisione facta, effluens, aëre induratus. — Distinguenda: 1) Galbanum in granis. Galbanum in Körnern. Grana irregularia, plerumque oblonga, partim discreta, partim conglutinata, lentis ad pisi magnitudinem, lutescentia, viridescente-lutescentia vel rubro-flavescentia, plus minus diaphana, opaca vel resinoso-nitentia. 2) Galbanum in massis. Galbanum in Kuchen. Glebae coadunatae, laete vel obscure fusco-lutescentes, granis amygdaloideis, albidis, plus minus intermixtae, parum nitentes. – Galbanum cerae est consistentia, temperatura ordinaria molle, tenax, glutinosum, nonnisi in frigore fragile et non facile in pulverem redigitur; odore nauseoso balsamico, et sapore ingrato, acri-resinoso, amaro; aqua tritum, emulsionem praebens, in alcohole partim tantum solubile. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Resina et Gummi. — *Vis:* irritans, antihysterica, resolvens.

Sit colore lutescente, vel laete fusco, odore penetrante gravi. Galbanum purum in massis, illi, quod in granis occurrit, minime postponendum; sed Galbanum nigro-fuscum, arena, stipitibus aliisque quisquiliis magnopere inquinatum, odore et sapore alieno, rejiciendum est. Cave confundas cum Ammoniaco (p. 5.), vel Sagapeno, infra describendo.

Usus: Interne in pulvere, pilulis, emulsione cum aqua, plerumque addito gummi arabico, vel vitello ovi, facta; externe ad emplastra, cataplasmata. — *Praep.:* Oleum aethereum et empyreumaticum, Tinctura, Emplastrum de Galbano crocatum. Multa quoque alia ingreditur Emplastra.

GALDA*, Gummi Galdae. Galda. *Gomme Galda.* — Resina incertae originis, ex India veniebat in frustis majoribus, amorphis, impellucidis, colore flavicante, striis griseis intermixtis, externe pulvere albido adspersis, friabilibus, fractura opaca, facile inflammabilibus et cum odore olibanino deflagrantibus, in alcohole vini maxima ex parte solubilibus. — Secundum alios resina esse fertur vel grisea, inodora, sapore amaro-acri, vel externe nigrescens, intus alba, odore levi, Elemi (p. 57.) simili. — Olim ut roborans, emplastris et unguentis admiscebatur. — Hodie exolevit.

GALIPOT vel BARRAS. — Hoc nomine Resina pini pura, colore albido, odore haud ingrato terebinthinaceo prostat (v. Resina Pini). — Ut succedaneum elemi passim adhibetur.

GALLAE. Galläpfel. *Noix de Galle.*

Synon.: Gallae Turcicae, Orientales, Haleppenses.

Excrescentiae globosae *Quercus infectoriae* Oliv. (Cl. cet. v. Cort. Quercus p. 50.), arboris Asiae minoris et Teneriffae, per Cynipem (Diplolepam) Gallae tinctoriae productae, ramis ju-

nioribus insidentes; varia magnitudine, $\frac{1}{4}$ — $\frac{3}{4}$ pollicis diametro, durae; inodorae, sapore peradstringente. — Distinguuntur: 1) **Gallae Turcicae nigrae.** Schwarze Türkische Galläpfel, duriores et ponderosiores, in superficie plus minus protuberantias verrucoso-squamosas exhibentes, colore obscure viridicaesio, nigrescente et fusco, cormulo, pedunculum brevem simulante, instructae, intus densae, griseo-fuscae, flavicantes, in medio passim plus minus excavatae nymphamque includentes. 2) **Gallae Turcicae albae**, weiße Türkische Galläpfel, leviores, superficie magis glabrae, colore pallidiore fuscescente, vel cinereo-flavescente, subviridescente; saepissime perforatae, intus minus densae, plerumque magis excavatae, colore pallidiore. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens et Acidum gallicum. — *Vis:* styptica, tonica.

Sint Gallae ponderosae, externe protuberantiis praeditae, intus densae. Gallae leviores, spongiosae, vel colore alieno imbutae, rejiciantur.

Usus: In pulvere, decocto, raro tamen ut medicamentum. — *Praep.:* Tinctura (ut Reagens), Principium scytodephicum, Acidum gallicum.

GALLAE ITALICAE, Gallicae, Germanicae, Bohemicae et Hungaricae. Italienische, Französische, Deutsche, Böhmische und Ungarische Galläpfel. Excrescentiae similes *Quercui Robori*, *sessiliflorae* et aliis *Quercus* speciebus insidentes, quae leviores, spongiosae; similibus gaudent virtutibus, minoris autem sunt pretii.

GALLAE JUNIPERI VIRGINIANAE L. Galläpfel des Virginischen Wachholders oder der rothen Ceder. — *Galles de Genevrier de Virginie.* — (Cl. cet. v. Baccae Junip. p. 15.), Excrescentiae spongiosae, sapore adstringente et amaro. — Quoad proprietates cum Gallis quercinis congruunt. — Praeterea autem ut anthelminthicum et tonicum laudantur.

GALLINA. Huhn. *Poule.* — (v. Axungia p. 13), avis notissima; ad parandum Brodium, seu Jus nutriens usurpatur.

GERMEN POTHI OFFICINALIS Roxb. Fruchtknoten des officinellen Pothos. *Ovaire de Pothos officinal.* — E cl. Monoecia, ord. Polyandria, fam. Aroidearum, plantae paraciticae Bengalensis, Germen. — In India orientali ut anthelminthicum maxime laudatur.

GLACIES. Eis. *Glace.* — Aqua gelu concreta (v. Aqua p. 7.), quae tempore aestivo arte parari potest ope miscellae psychrophorae, e. g. pulveris salis Glauberi crystallisati cum pari quantitate acidi sulphurici diluti, (e partibus aequalibus olei vitrioli et aquae factae) cui vas metallicum, aquam continens, immergitur, doeec in glaciem aqua abierit. — *Usus:* Externe, ad fomentationes frigidas et intrne adhibetur.

GLACIES MARIAE, Lapis specularis, Alumen scissile, Natrum glaciale, Froueneis, Marieneis. *Pierre Speculaire*, *Miroir d'Ane.* — Est Gypsum crystallisatum, lamellas decolores, limpidas, rhombicas, facile in tenuiores secabiles, formans. — *Part. const. Vis* et *Usus:* ut Alabastri (p. 2.).

GLANDES QUERCUS. Eicheln. *Glands.*

Synon.: Nuces Quercus.

Quercus Roboris L. et *Q. sessiliflorae* Sm. (v. Cort. p. 50.) Fructus oblongi, notissimi, calyce hemisphaerico (p. 23) sustentati, sub testa pallide flavo-fusca, glabra, tenace, lignosa, nucleum solidum, facile bipartibilem, externe fuscum, intus subviridescente-flavescente-albidum includentes; sapore subdulci, peradstringente. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens et Amylum. — *Vis:* tonica, adstringens, nutriens.

Sint glandes maturae; ab insectis neutiquam erosae.

Usus: diaeteticus. — Glandes tostae solummodo pro medicamento usurpantur.

GLANDES QUERCUS SUBERIS L., Quercus Ilicis L. aliarumque *Quercus* specierum eodem modo passim in regionibus calidioribus adhibentur.

GOMMA DE BATATA (da Batata). — Hoc nomine e Brasilia adducebatur massa grumosa, friabilis, albido-cinerea, amylacea, primo fere insipida, post sapore gutturali; cum iodo colorem coeruleum assumens.— Constat praecipue ex Amylo cum parva Resinae propriae quantitate. — Contra morbos cutaneos laudatur.

GRANA AVENIONENSIA, seu LYCII, Gallica. Färber-Kreuzdornbeeren. *Graines d'Avignon.* — *Rhamni infectoriae* L. (Cl. cet. v. Bacc. Spinae cervinae p. 18.), fruticis parvi, spinosi, Baccae siccatae, obsolete 3—4-gonae, piperis nigri magnitudine, colore obscure sordide viridi flavicante; sapore nauseoso-amaro. *Part. const. praev.:* Principium extractivum flavo-colorans. — *Vis:* purgans. — *Usus:* In substantia interne. — *Praep.:* Succus Lycii. — Hodie obsoleta. — Hoc nomine etiam Baccae immaturae Rhamni tinctoriae, saxatilis et Rhamni catharticae occurrunt, — similibus gaudentes virtutibus.

GRANA CHERMES seu Kermes, Grana Tinctorum. Kermes- oder Scharlachbeeren, Karmesinbeeren. *Kermes, Graines d'Ecarlate.* — *Coccus Ilicis* L. Insectum Hemipterum, ex ord. Coccorum, *Quercum cocciferam* L. in Gallia meridionali inhabitans. — Femellae sunt foecundatae, baccam subglobosam, levem, mentientes, piperis ad pisi magnitudinem, colore fusco-rubro-flavicante, subtus macula albida praeditae et pulvere granuloso, intense rubro, repletae; inodorae, sapore amaro, irritante. Ceterum similibus gaudent proprietatibus et *Partibus praeval.* ac Coccinellae (p. 38.). — *Usus:* In pulvere, electuario. — *Praep.:* Succus, Syrupus, Confectio et Trochisci Alkermes, Bezetta rubra. — Chermes vetustae, decolores, inanes et ab insectis erosae, rejiciantur.

GRANA PARADISI, Manigettae, Cardamomum maximum. Paradies-Körner. *Graines de Paradis.* — *Amomi Grani Paradisi* L. (Cl. cet. v. Cardamomi p. 26.) plantae perennis Indiae orientalis, Semina in capsulam magnam, oblongam, apophysi cylindrica instructam, coriaceam, trilocularem, inclusa; cardamomis similia, sed paullo majora, angulosa, nitentia, colore fusco-rubro, intus albo; triturata, odore grate aromatico, sapore acerrimo-aromatico, urente. — *Part. const. praev.:* Resina acris et Oleum aethereum. — *Vis:* excitans, calefaciens. — Vix hodie pro medicamento usurpantur.

† GRANA TIGLIA, Tiglii, seu Tilli, vel Moluccana. Purgier-Körner, Moluttische Körner, Granatill. *Graines de Tilly, Pignons d'Inde.*— *Crotonis Tiglii* L., e cl. Monoecia, ord. Polyandria, fam. Euphorbiacearum, fruticis Indiae orientalis, insularum Malayensium, Moluccarum, Semina fabae minoris magnitudine, oblongo-ovalia, utrinque obtusa, hinc subapplanata, cum sutura parum prominula, colore sordide griseo-fusco, maculis nigricantibus conspersa, opaca; sub testa tenui fragilique nucleum oleosum albidum, vel flavicantem includentia; inodora, calefacta autem vapores acerrimos, irritantes, emittentia, sapore primo miti-oleoso, post acerrimo, nauseoso, gutturali. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue, Resina et Principium proprium acre. — *Vis:* vehementer purgans, drastica, facile nociva. — *Usus:* In substantia cautissime minima dosi. — *Praep.:* Oleum, Tinctura, Sapo, Elaeosaccharum, Pilulae hydragogae, purgantes. — Cave confundas cum Seminibus Ricini et Jatrophae Curcatis, infra describendis.

GRANATA, Poma Granatorum, Mala Punica. Granatäpfel *Grénades.* — *Punicae Granati* L. (v. Cort. p. 47.), Fructus pomiformis, rotundus, magnitudine mali, (omnino varia) decemlocularis, polyspermus, sub cortice duro, supra (p. 47.) descripto, pulpam includens flavicantem, dulcem et plus minus acidulam, cum seminibus violaceo-purpureis.— *Part.* pulpae *const.:* Saccharum et Acida vegetabilia.— *Vis:* refrigerans, nutriens. — *Usus:* diaeteticus. — *Praep.:* Succus, Syrupus, Vinum.

GRAPHITES. Plumbago. Reißblei, Graphit. *Graphite, Crayon noir.* — Minerale in montibus primitivis passim obvium. Perraro crystallos hexaëdricas tabulatas, plerumque massas squamoso-foliaceas, granulosas, vel densas, friabiles, inquinantes, tactu pingues exhibens, colore chalybeo, plus minus nigrescente, nitore submetallico, p. sp. 2,4; insipidum et inodorum, in omnibus menstruis insolubile, in vasis clausis igni plane resistens, igne fortissimo aperto, penitus fere comburitur. — Est Carboneum plerumque cum parva Ferri quantitate mixtum. — *Vis:* exsiccans, mundificans, subadstringens (?). — *Usus:* In pulvere. — *Praep.:* Aethiops, Unguentum.— Aliis quoque admiscetur compositionibus. — Sit liber a metallis terrisque heterogeneis; in liquoribus alcalinis et acidis insolubilis, ut quibus non nisi ferri vestigia, neutiquam metalla nociva, auferri licet. — Cave confundas cum Molybdaena et Antimonio crudo, quae ponderosiora sunt, et minus inquinantia, et ignita, vapores sulphurosos emittunt.

GRYLLUS DOMESTICUS L. (Acheta domestica Fabr.) Hausgrille, Heimchen *Grillon.* — Insectum notissimum ex ord. Orthopterorum, fam. Gryllidum.— Olim ut aperiens cet. adhibitum, nuper contra maculas corneae commendabatur.

GUARANA. Hoc nomine Fructus contusus *Paulliniae sorbilis* Mart., e cl. Octandria, ord. Trigynia,

fam. Sapindacearum, fruticis Brasiliensis, occurrit. Placentas exhibet variae figurae, colore obscure fusco, solidas, ponderosas; sapore adstringente. — *Part. const. praec.:* Guaranium et Principium adstringens. — In patria praecipue contra diarrhoeam chronicam, dysenteriam, ut stomachicum, febrifugum cet., adhibetur.

GUMMI ARABICUM et GUMMI SENEGAL. Arabisches und Senegalisches Gummi. *Gomme Arabique et du Senegal.*

Synon: Gummi Mimosae, Acaciae, Serapionis, Thuraei.

Acaciae tortilis Forsk., *Ac. Sejal* Delille, *Ac. niloticae* Nees, *Ac. Arabicae* W., *Ac. Senegal* W., *Ac. verae* Dec. et ut verisimile est, aliarum *Acaciae* specierum, e cl. Monadelphia, ord. Decandria, fam. Leguminosarum, arborum Aegypti, Arabiae et Guineae, Succus sponte exsudans et aëre obdurescens. — Occurrit in frustulis subrotundis, vel irregularibus, pisi ad nucis juglandis magnitudinem et ultra, decoloribus, pellucidis vel plus minus flavescentibus, et fusco-rubellis, diaphanis, siccis, fragilibus, fractura conchoidea, splendente; p. sp. 1,4. — Distinguuntur: 1) Gummi Arabicum album electum. Auserlesenes weißes Arabisches Gummi. Frustula subrotunda, alba, paene decolora, in superficie rimulis pluribus persecta, magis friabilia, et 2) Gummi Senegal electum, auserlesenes Senegal-Gummi, frustula saepius majora et irregularia, plus minus flavescentia, magis pellucida, duriora; porro: 3) Gummi Arabicum et Senegal commune, gemeines Arabisches und Senegal-Gummi; frustula magis colorata, minus pellucida, partibus corticosis et lignosis inquinata, Gummi Cerasorum (v. infra) similia. Gummi hoc est inodorum et insipidum, inter masticandum agglutinans, facile in aqua frigida et calida, non in alcohole vini solubile, calore non funditur et inter intumescentiam difficulter comburitur. — Est Substantia organica sui generis, Azoti expers. — *Vis:* demulcens, leniens, pectoralis, nutriens.

Sit album, vel paene decolor, insipidum et inodorum, pellucidum, a quisquiliis heterogeneis liberum, in aqua frigida penitus solubile; alioquin rejiciatur — Cave confundas cum Gummi Cerasorum aliisque similibus Bassorinum continentibus (v. infra).

Usus: In substantia, forma pulveris, in aqua solutum mixturis admisceatur et ad parandas emulsiones adhibetur. — *Praep.:* Mucilago, Emulsio arabica, Pulvis gummosus, Syrupus, Pasta de Althaea, Liquiritiae, Trochisci Becchici, et pluribus aliis additur compositionibus.

GUMMI ATRACTYLIDIS GUMMIFERAE L. Spindelbaum-Gummi. *Gomme du Carthame gommifère.* - (Cl. cet. v. Rad. Carlinae), plantae perennis Graeciae, Carlinae acaulis simili, Succus ex aculeis involucri exsudans et aëre indurescens. Lacrymas exhibens parvas, siccas, diaphanas, rubicundo-flavas, nitentes, friabiles; fere inodoras, calefacta autem facile liquescentes et nidorem, olibani similem, spirantes, sapore amariusculo-aromatico; in aqua vix, in spiritu vini maxima ex parte solubiles. — In Oriente uti mastiche adhibetur. — Ceterum plantae hujus alia adhuc Resina exsudat ex radice et basi involucri, consistentia molli, tenaci et elastica uti Cautchuc (p. 29.); inodora et insipida, insolubilis fere in alcohole, facile autem solubilis in aethere.

GUMMI CERASORUM, Prunorum. Persicae Mali, Gummi nostras. Kirschen- und Pflaumen-Gummi, Pfirsichbaumharz oder- Gummi. *Gomme de Pays.* — Suc-

cus, qui e truncis, ramis et fructibus *Pruni Cerasi*, *Avium*, *domesticae*, *Amygdali communis* L., *Persicae vulgaris* MILL. aliarumque *Pruni* et *Amygdali* specierum exsudat et aëre induratur. Frusta gummi senegal simillima, plerumque autem magis colorata, fusco rubra et flavicantia, verumtamen et alba, pellucida; duriora, fractura minus nitente, inter masticandum magis granuloso-lubrica, in aqua frigida intumescentia, mollescentia, sed partim tantum et in alcohole vini plane non solubilia. — Est miscella Gummi communis cum Bassorino. — Pro medicamento apud nos non adhibetur, quamquam dignum quod praescribatur.

GUMMI FOENICULI. Fenchel-Gummi. *Gomme de Fenouil.* — Gummiresina ex *Anetho Foeniculo* L. (v. Herba p. 119.), in Europa australi exsudans. — In Hispania ut medicamentum receptum est.

GUMMI GEDDA, seu JEDDA. Gedda-Gummi. Species est Gummi Senegalensis, in medio impressione praedita stellato-orbiculari.

GUMMI seu RESINA HEDERAE. Epheu-Gummi oder Harz. *Resine de Lierre.* — *Hederae Helicis* L. (v. Baccae p. 15). Resina, in Europa meridionali et Oriente e truncis sponte exsudans. — Occurrit in lacrymis et frustis seu glebis irregularibus variae magnitudinis, externe plerumque inaequalibus, asperis, parum nitentibus, colore obscure fusco-aurantiaco vel nigricante, plus minus colore phoeniceo diaphanis, fragilibus, pulverem aurantiacum praebentibus. Fere inodorum est, calefactum autem odorem spargit grate balsamicum, saporem habet debilem amariusculum, irritantem; in aqua vix, in spiritu vini partim tantum dissolvitur. — *Part. const. praev.*: Resina et Gummi. — *Vis*: resolvens, diuretica, diaphoretica. — *Usus*: In pulvere, pilulis; externe ad suffitum et ad emplastra adhibetur.

GUMMI KUTERA, Kutira. Kutira- oder Simaruba-Gummi. *Gomme Kutère.* — Ex India orientali advehitur, e planta adhuc ignota proveniens. — Frusta irregularia variae magnitudinis, passim stalactoidea, quasi confluxa, albida, sordide flavicantia et fusca, pellucida vel plus minus diaphana, parum nitentia, partim gummi cerasorum, partim gummi tragacanthae similia simulque, quoad proprietates chemicas, medium inter illa locum tenentia. In aqua frigida non facile solvitur, sed in ea emollescit et intumescit. Purum fere est Bassorinum. — Ut medicamentum nondum adhibetur, sed passim tragacanthae loco adhiberi potest.

GUMMI LOOK. *Gomme Look.* — Resina, quae ex Japonia vel Africa advehitur, incertae originis, succino citrino et copali simillima, frustula hemisphaerica exhibens. — Olim quemadmodum masticha contra dolores dentium cet. adhibebatur. — Hodie exolevit.

GUMMI OLAMPI. Olampi-Gummi. *Gomme Olampi.* — Resina ignotae originis, quae ex America introducitur, dura, pellucida, coloris pallidi, calore non liquescens. — Verisimile est esse copalis speciem.

GUMMI seu RESINA OLIVAE, Oleae. Oelbaum-Harz. *Gomme d'Olivier.* — Resina e truncis vetustis *Oleae Europaeae* L. (v. Oleum Olivarum) sponte exsudans. — Frusta flavescentia, odore vanigliarum et sapore irritante. — Constat e Resina propria, Acido benzoico et Olivilo. — In Italia cet. ut adstringens et mundificans adhibetur, externe ad suffitus.

GUMMI TRAGACANTHAE. Tragant. *Gomme d'Adragant.*

Succus, qui e ramis *Astragali veri* OLIV. et forsitan aliarum *Astragali* specierum, e cl. Diadelphia, ord. Decandria, fam. Leguminosarum, fruticum Asiae minoris, Armeniae et Persiae, exsudat, et aëre induratur. — Sunt frustula, vel parva fasciata filiformia, tenuia, varie torta, vermicularia, passim latiora, applanata et conglutinata, alba, plus minus veluti cornu diaphana, Gummi Tragacanthae electum, auserlesener Tragant, vel crassiora, saepius in glebis irregularibus concreta, colore sordide albido-flavescente vel fusco, minus diaphana, Gummi Tragacanthae in sortis, communis, Gemeiner Tragant. Tragacantha est inodora et insipida, dura, nec facile in pulverem redigi potest, in aqua frigida minima ex parte solubilis, emollitur tamen in ea maximeque intumescit et pultem mucilaginoso-gelatinosam, diaphanam praebet; in spiritu vini non solvitur. — *Part. const.*: Bassorinum et Gummi commune cum parva Amyli quantitate. — *Vis*: demulcens, mitigans, pectoralis.

Sit alba, diaphana, inodora et insipida, in aqua ita intumescens, ut una pars cum 50 aquae partibus in mucilaginem spissam convertatur. Frusta crassiora, colorata, non nisi externe pro luto cet. adhibenda. — Cave confundas cum Gummi Kutira supra descripto et cum Tragacantha artificiali ex Amylo cocto parata, quae in aqua non intumescit, et cum iodo statim colorem atro-coeruleum assumit.

Usus: In pulvere, mixturis admiscetur. — *Praep.:* Mucilago, Syrupus, Species, Tabellae; multis aliis quoque compositionibus et massis pluribus pro Pilulis, Trochiscis, Candelis cet. ut constituens additur.

GUMMI URALENSE, Orenburgense, Laricis. Lerchen-Gummi, Uralisches oder Orenburgisches Gummi. *Gomme d'Orenburg.* — E medio trunci *Pini Laricis* L., dum comburitur, exsudans. Massa rubicunda, pellucida, dura, sapore resinoso, solubilis autem in aqua et mucilaginem formans uti gummi arabicum. — In Russia passim ejus loco adhibetur; masticatur quoque ad consolidandam gingivam.

† **GUTTI**, Gummi Gutta, Gutta Gamba, Cambodia, Gummi da Goa, de Peru, Gamandrae, Gutta et Gitta Gemu. Gummi Gutt. *Gomme Goutte.* — Succus qui *Stalagmitidis Cambogioidis* Murr. (*Guttiferae verae* Koenig), e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Guttiferarum, arboris Siamensis et Zeylonensis, ex foliis et ramulis diffractis (guttatim) stillat et aëre induratur. — Occurrit in cylindris vel bacillis cerei instar contortis, placentis et frustulis irregularibus, solidis, fragilibus, fusco-luteis, impellucidis, parum nitentibus. P. sp. 1,2, fractura plana, conchoidea; si teruntur pulverem flavum praebentia. Inodorum est et primo insipidum, post sapore gutturali, subdulci, salivam colore laete flavo tingit; leni calore imperfecte liquescit, incensum cum flamma splendente comburitur, cum aqua lac laete luteum praebet, in alcoholis vini ¾ partibus solvitur. — *Part. const.:* Resina propria colorans, et Gummi. — *Vis:* drastica, purgans. — *Usus:* In pulvere, pilulis, emulsione, solutione alcalina, caute in parva dosi. — *Praep.:* Tinctura, Sapo. —Aliis quoque additur compositionibus. Sit massa compacta aequalis, coloris laete fusco-lutei, quisquiliis expers. Gutti sordide fusco-luteum, a *Vismiae* vel *Euphorbiae* specie, et Gutti artificiale e Curcuma cet. factum, rejiciatur.

HARENGUS seu **HALEC**. Häring, Hering. *Hareng.* — Piscis marinus notissimus, ex ord. Gasteropterygiorum, fam. Leptocephalorum. — Nuper Lac quod dicitur, i. e. Sperma salita, ut antiphthisicum, praecipue contra phthisin laringeam laudatur.

HELMINTHOCHORTOS, Muscus Helminthochortos, Elminthochorton, Leminthochorton, Corallina Corsicana vel rubra. Wurmmoos, Wurmtang. *Mousse de Corse* ou *de Mer.* — *Sphaerococcus Helminthochortos* Ag. (*Conferva Helmintoch.* L., *Fucus Helm.* Latr., *Gigartina Helm.* Lam., *Ceramium Helm.* Roth.), Alga exigua e fam. Floridearum, in mari mediterraneo, praesertim in Corsicae et Lusitaniae oris obvia; stipite repente crassiusculo, ramulos plures erectos, filiformes, diffuso-dichotomos, apicibus setaceis, sub lente articulatis, cespitem formantes, emittente, colore sordide flavo-fuscescente et purpurascente, consistentia cartilaginea. Haec alga plerumque multis algis heterogeneis, e. g. *Chondria obtusa* Ag., *Cistoseiris variis*, *Cladostephis*, *Ceramiis*, *Zonariis*, *Confervis*, *Rhodomelis*, *Spaerococcis* cet. aliisque quisquiliis, frustulis corallinis, conchis minutis, arena cet. commixta prostat. Miscella haec odore est nauseoso marino et seminis cinae simili, sapore ingrato, salso. — *Part. const. praev.:* Gelatina (?), Salia muriatica, hydriodica. — *Vis:* anthelminthica, anticarcinomatosa. — *Usus.* In substantia raro, praecipue in infuso. — *Praep.:* Gelatina, Syrupus; alias quoque ingreditur compositiones. — Algis et lichenibus alienis aliisque quisquiliis, quantum fieri potest, sit expers.

HEPAR ANGUILLAE, Aal-Leber, *Foie d'Anguille* (v. Axungia p. 12.).

HEPAR ANSERIS, Gansleber, *Foie d'Oie* (v. Axungia p. 13.).

HEPAR CANIS RAPIDI, Würhender Hundsleber, *Foie du chien enragé* (v. Axungia p. 13.).

HEPAR LUPI, Wolfsleber, *Foie du Loup* (v. Axungia p. 13.)

HEPAR VULPIS, Fuchsleber, *Foie du Renard* (v. Axungia p. 14.), — et aliorum animalium Hepar, Intestinum notissimum, adipe plerumque turgens, quod olim passim pro medicamento usurpabatur, hodie merito exolevit.

HERBA cum SUMMITATIBUS ABROTANI, Abrotani maris vel hortensis. Stabwurz, Eberraute, Citronenkraut. *Herbe d'Aurone.* — *Artemisiae Abrotani* L. (Fl. Bad. III. 399. — Cl. cet. v. Hb. Absinthii p. 89.) suffruticis Europae meridionalis et Orientis, nobis hortensis, ramis virgatis, glabris, summis herbaceis, brevissime pilosulis. Folia bipinnata, pinnulis linearibus, subfiliformibus, in juventute subsericea, postremo obscure viridia, subincana, tenera, cum Summitatibus florentibus racemos secundos florum (calathiorum) parvorum, subglobosorum, pallide lutescentium, nutantium

exhibentibus, colligenda celeriterque siccanda et in vasis optime clausis asservanda; odore fragrante aromatico, citrino, sapore acri-aromatico, grate amaro. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore atro-viridi turbatur. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum, Principium amarum et adstringens. — *Vis:* tonica, nervina, stomachica, anthelminthica. — *Usus:* In pulvere raro, infuso. — *Praep.*: Aqua, Oleum aethereum, Tinctura.

HERBA cum SUMMITATIBUS ABSINTHII. Wermuth. *Herbe d'Absinthe.*

Synon.: Herba Absinthii vulgaris. Bitterer Beifuß.

Artemisiae Absinthii L. (Fl. Bad. III. 402.), e cl. Syngenesia, ord. Polygamia superflua, fam. Compositarum, trib. Eupatorinarum, plantae perennis Europae australis passimque Germaniae, in ruderatis, ad vias cet. et hortensis, caule erecto, ramoso, striato-angulato, albido-villoso, Folia decomposito-bipinnatifida, summa pinnatifida vel indivisa, pinnulis laciniisque oblongo-lanceolatis, obtusis, utrinque incano-sericea, cum Summitatibus florentibus, racemos foliatos secundos, florum (calathiorum) nutantium, subglobosorum, flavorum, calyce communi (periclinio) hemisphaerico, incano-tomentoso praeditorum, in paniculam terminalem digestorum, exhibentibus, colligenda; odore gravi aromatico, sapore acri-aromatico, amarissimo. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum et Principium extractivum amarum. — *Vis:* tonica, stomachica, resolvens, anthelminthica, diaphoretica.

Usus: In pulvere, infuso, decocto. — *Praep.*: Succus expressus, Extractum, Aqua, Oleum aethereum et coctum, Tincturae variae, Syrupus, Conserva, Sal. Additur aliis etiam compositionibus.

HERBA ABSINTHII MADERASPATANI. Wermuth von Madras *Herbe d'Absinthe de Madras.* — *Artemisiae maderaspatanae* L. (*Cotulae maderaspat.* W.), plantae annuae procumbentis, Indiae orientalis et Aegypti, ramis flexuosis, pedunculis unifloris oppositifoliis, floribus (calathiis) magnis, globosis, luteis, Folia oblonga, pinnato- seu dentato-sinnuata, incana. — In India orientali pro medicamento adhibetur.

HERBA ABSINTHII MARITIMI. Meerwermuth oder [illegible]. *Herbe d'Absinthe marine.* · *Artemisiae maritimae* L., plantae perennis ad littora marina frequentis, caule erecto, vel procumbente, paniculato, Folia pinnata, bipinnata et indivisa, foliolis linearibus, obtusis, albido tomentosa, cum Summitatibus florentibus, in paniculam virgatam digestis, colligenda; odore aromatico, camphorino, et sapore aromatico, peramaro. — In Gallia et Anglia uti Absinthium vulgare adhibetur.

HERBA ABSINTHII PONTICI vel ROMANI. Römischer oder Pontischer Wermuth. *Herbe d'Absinthe Romain, de petit Absinthe.* — *Artemisiae ponticae* L. (Fl. Bad. III. 401), plantae perennis Europae australis et Asiae mediae passimque Germaniae, caule erecto ramoso, rotundo, glabro, basi sublignoso. apice subtomentoso, Folia decomposito-bipinnatifida, superiora pinnata et integra. laciniis anguste linearibus. acutis, utrinque incano-tomentosa, cum Summitatibus florentibus, Absinthii vulgaris similibus, colligenda; odore forti, grate aromatico. sapore acri-aromatico, amaro haud ingrato. — *Part. const. Vires* et *Usus:* ut herbae abrotani. — *Praep.*: Tinctura, Vinum, Syrupus. Alias quoque ingreditur compositiones.

HERBA ABSINTHII SANTONICI. Santonischer Wermuth. *Herbe d'Absinthe Santonique.* — *Artemisiae camphoratae* VILL., plantae suffruticosae montosae Europae australis passimque Germaniae, Folia caulina pinnata, foliolis lineari-filiformibus, sub-3-fidis, summa linearia; omnia glabriuscula, viridia, in juventute canescentia, cum Summitatibus florentibus, paniculam racemoso-virgatam florum (calathiorum) majusculorum, flavorum, globosorum, pedicellatorum, nutantium, calyce (periclinio) incano-tomentoso, exhibentibus, colligenda; odore ac sapore forti, grate aromatico, camphorino. — Olim ut anthelminthicum cet. maxime celebratum. — Hodie immerito exolevit.

HERBA ABUTILI. Sidas oder gelbes Sammtpappel-Kraut. *Herbe de Guimauve fausse.* — *Sidae Abutilon* L. (Cl. cet. v. Herba Althaeae p. 93.) plantae annuae Europae australis, floribus malvaceis, flavis, Folia speciosa, cordato-rotundata, acuminata, dentata, tomentosa; mucilaginosa. — Uti herba althaeae adhibetur.

HERBA ACETOSAE. Sauerampfer. *Herbe d'Oseille, d'Aceteuse.* — *Rumicis Acetosae* L. (Fl. Bad. II. 111.), e cl. Hexandria, ord. Trigynia, fam. Polygonearum, plantae perennis in pratis cet. vulgaris, caule erecto ramoso, sulcato striato, floribus verticillato-paniculatis, dioicis, Folia speciosa, hastata et ovato-lanceolata, integra, glabra; sapore acerbo-acido. — *Part. const. praev.:* Sal Acetosellae. — *Vis:* refrigerans, antiscorbutica. — *Usus:* diaeteticus. Herba recens solummodo adhibetur. — Sal Acetosellae etiam ex succo expresso obtinetur.

HERBA ACETOSAE ROTUNDIFOLIAE vel ROMANAE. Rundblättriger Sauerampfer, Römischer oder Schild-Sauerampfer. *Herbe d'Oseille ronde.* — *Rumicis scutati* L. (Fl. Bad. II. 106.), plantae perennis Europae meridionalis passimque Germaniae, locis montosis, asperis, muris antiquis cet., caule debili decumbente et erectiusculo, ramoso, floribus verticillato racemosis, hermaphroditis, granulis destitutis, Folia longe petiolata, hastata, subpanduraeformia, orbicularia, viridi-glaucescentia, succulenta; sapore acerbo-acido. — Iisdem gaudet virtutibus ac praecedens, eodemque modo adhibetur.

HERBA ACETOSELLAE, Lujulae, Trifolii acetosi. Sauerklee, Buchampfer, Kukuksklee. *Herbe d'Alleluja, de Surelle, Pain de Coucou.* *Oxalidis Acetosellae* L. (Fl. Bad. II. 283.), e cl. Decandria, ord. Pentagynia, fam. Oxalidearum, plantae perennis in silvis montosis, muscosis, passim frequentis, scapo unifloro, floribus speciosis albis, violaceo reticulatis, Folia longe petiolata, ternata, foliolis obcordatis, pubescentibus, laete flavo-viridibus; sapore grate acido. — *Part. const. praev.:* Sal Acetosellae. — *Vis:* refrigerans, toxica (?). — *Usus:* Herba recens solummodo adhibenda, inter siccandum enim saporem plane perdit, in infuso. — *Praep.:* Succus expressus, Syrupus, Conserva, Extractum, Aqua, praecipue Sal Acetosellae.

Loco Oxalidis Acetosellae etiam *Oxalis corniculata* L., planta annua, caule repente ramoso, radicante, Foliis longe petiolatis, ternatis, petiolis basi stipulatis, floribus parvis, luteis, axillaribus, umbellatis, — et *Oxalis stricta* L. planta priori simillima, sed perennis, caule erecto, petiolis exstipulatis, adhiberi potest.

HERBA ACMELLAE, Achmellae, Admellae. Acmelle, wahre Fleckblume, Indianisches Harnkraut, Abc-Kraut. *Herbe d'Acmelle, Cresson d'Indes.* — *Spilanthi Acmellae* L., e cl. Syngenesia, ord. Polygamia aequali, fam. Compositarum, trib. Eupatorinarum, plantae annuae Indiae orientalis et Americae australis, caule erecto ramoso, floribus (calathiis) terminalibus solitariis, ex dichotomia caulis, mediocribus, luteis, radiantibus, radio brevissimo 5-floro, disco convexo, Folia opposita, petiolata, ovata, profunde serrata (foliorum Melissae [v. Herba] similia), sapore primo amaro, balsamico, post acri-urente, salivam elicientia. Prostant diffracta, multis stipitibus mixta, plerumque fere in ipida. — *Part. const. praev.:* Principium acre proprium. — *Vis:* antinephritica, lithontriptica, diaphoretica. — Hodie exolevit.

† HERBA ACONITI. Eisenhütlein. *Herbe d'Aconit.*

Synon: Herba Aconiti Napelli. Blauer Sturmhut, Mönchskappe, Narrenkappe.

Aconiti Napelli L., *Aconiti vulgaris* Dec. (Fl. Bad. II. 497.), e cl. Polyandria, ord. Trigynia, fam. Ranunculacearum, plantae perennis, in silvis et pratis montosis Germaniae, Helvetiae cet. obviae, nobis hortensis, caule stricto, simplici vel subramoso (in hortis plerumque magis ramoso), inferne glabro, superne (aeque ac pedunculi) brevissime pubescente, floribus speciosis, violaceo-coeruleis, in racemum strictum, densum, simplicem, spiciformem vel subramosum digestis, galea depressa, hemisphaerica, rostro brevissimo, recto, obtuso, nectariis (petalis) magnis, elongatis, sigmoideis, calcari supino capitato, labello emarginato, fructibus junioribus divergentibus, Folia speciosa, inferiora longius petiolata, digitato-palmata, subdivaricata, fere orbicularia, superiora passim tripartita, laciniis omnium distantibus, basi angustis, lineari-cuneiformibus, sub-3-fidis, lobis inciso-dentatis, segmentis distantibus angustis, linearibus, acutis, superne linea exaratis; glaberrima, superne laete viridia, nitentia, subtus pallidiora, splendentia, firmiuscula; ante florum evolutionem colligenda;

per se quidem inodora, trita vero odorem spirantia nauseosum, sapore primo vix sensibili, paullatim in acerrimum, urentem, causticum, linguae diu adhaerentem, transiente. — *Part. const. praev.:* Principium proprium acre volatile, facile destructibile ac narcoticum. — *Vis:* irritans, diuretica, antiarthritica, narcotica, caustica, immo deleteria.

Sit herba tam recens, quam siccata, acerrima, non insipida. — Cave confundas cum Aconito neomontano W., Ac. Cammaro Jacq., infra describendis, et cum foliis Delphinii specierum, minus profunde partitis et plus minus, praecipue subtus, pilosis.

Usus: In pulvere caute. — *Praep.:* Extractum, Tincturae variae.

† **HERBA ACONITI NEOMONTANI W.** (*Ac. Stoerckiani* Reichenb., *Ac. medii* Schraderi, *Ac. Cammari* Lin. (?), Neuberger u. s. w. Eisenhut. *Herbe d'Aconit de Neuberg.* — (Fl. Bad. IV. 408.), plantae iisdem passim locis ac praecedens crescentis eique simillimae, sed plerumque caule altiore, ramosiore, ramis erecto-patentibus, ubique glabro prout pedunculo), floribus speciosioribus, saturatius coeruleis, in racemos laxiores plerumque digestis, galea altiore, rostro brevi, acuto, fructibus junioribus erectis, apice conniventibus, Folia palmata, 5-partita, nec orbicularia, laciniis cuneiformibus, praecedentium latioribus, magis approximatis lobisque latiorib, usobtusiusculis; superne saturatius viridia; omni acrimonia fere carentia.

† **HERBA ACONITI CAMMARI** Jacq., *Herba Cammari*, Langhelmiges Eisenhütlein. *Herbe d'Aconit paniculé*, — (Fl. Bad. IV. 409.), plantae pariter priorum similis, iisdem locis passim obviae. caule ramoso, passim brevi-piloso, ramis patentibus, floribus paniculato racemosis, pallidioribus, galea elongata, obtuso-conica, rostro longo, porrecto. fructibus junioribus erectis, Folia praecedentium simillima, inferiora breviter petiolata. superiora sessilia, margine passim tenerrime ciliata, superne saturate viridia, subtus pallidiora, opaca vel subnitentia, non admodum acria. — Ambae passim uti et aliae Aconiti species, floribus coeruleis, Aconiti Napelli loco (immerito) usurpantur.

† **HERBA ACONITI LUTEI**, Lycoctoni. Wolfs-Eisenhut *Herbe d'Aconit tue-loup.* — *Aconiti Lycoctoni* L. (Fl. Bad. II. 496.), plantae perennis montanae indigenae et Europae borealis, habitu praecedentium, sed floribus pallide flavis, in racemum congestis, galea cylindrica, elongata, compressa, obtusa, rostro longo, porrecto, Folia longe petiolata, palmato-multifida, villosa; sapore acri. — *Vis:* acri-narcotica, toxica. — Hodie obsoleta.

† **HERBA ACONITI VARIEGATI L.** Buntfarbiger Eisenhut. *Herbe d'Aconit varié*, — plantae perennis Alpinae. floribus pallide-viridi-coeruleo- et albo-variegatis, in racemum compositum glaberrimum congestis, galea fornicata, prona hiante, rostro revoluto, Folia palmata, minus profunde quam Ac. neomont., partita, pallidiora, acria. — Aconiti Napelli loco passim usurpatur. — Similes ei Vires adscribuntur.

HERBA ADIANTI ALBI, vel Adianti aurei Filicis folio. Weißes Goldhaar *Herbe de Capillaire blanc.* *Aspidium Rhaeticum* W. (*Polypodium Rhaeticum* L.), Filix Helvetiae incola, fronde spithamea, bipinnata, pinnulis lanceolato-acuminatis, pinnatifidis, acute dentatis, soris solitariis, indusiis lateralibus. — Hodie exolevit.

HERBA ADIANTI AUREI, Polytrichi, Muscus capillaceus major. Gemeiner goldner Widerthon oder Goldhaar auch Venushaar Jungfernhaar. *Perce-Mousses.* — *Polytrichum commune* L.; Muscus frondosus in silvis umbrosis vulgaris, caule erecto, subsimplici, Foliis sparsis, patulis, lineari-lanceolatis, acuminatis, strictis, margine carinaque serratis, glabris, laete viridibus, seta longa filiformi, stricta, glaberrima, fusco-aurea, splendente, capsula primo erecta, tetraëdra, fusca, basi apophysi subrotunda, in ore dentibus 64 praedita. operculo mucronato et calyptra pilosa, fusco-aurea tecta, post cernua, aperta. Tota planta colligitur et siccatur; et saporis et odoris est expers. — Hodie exolevit.

HERBA ADIANTI NIGRI. Schwarzes Frauenhaar, schwarzer Widerthon *Herbe de Capillaire noire.* — *Asplenium Adiantum nigrum* L. Filix silvas montosas rupestres inhabitans, fronde longe petiolata, dodrantali, oblongo-sub-3-angulari-acuminata, bipinnata, glabra, saturate viridi, foliolis oblongis, partim pinnatifidis, incisis, laciniis apice dentatis, soris linearibus, primo indusio tectis, subconfluentibus, stipite primo subpaleaceo, post glabro, obscure fusco, nitente; inodora, sapore fatuo-dulciusculo et amariusculo, irritante. — Hodie exolevit.

HERBA ADIANTI RUBRI, Trichomanes. Rother Widerthon oder Strichfarrn, Abthon. *Herbe d'Adiante* ou de *Capillaire rouge.* — *Asplenium Trichomanes* L. — Filix, ad rupes, muros, cet. vulgaris, fronde semipedali et ultra, lineari, pinnata, pinnis parvis, oblongo-rotundatis, crenatis, basi truncato-cuneatis, glabris, subtus in medio soris linearibus obsessis, stipite rhachideque glabro, obscure rubro-fusco-nitente; fere inodora, sapore subdulci, subaustero, amariusculo. — Hodie exolevit. — Praeter has etiam

HERBA ADIANTI FRAGILIS, Jamaicum inhabitans, fronde supra decomposita, foliolis ovato-cuneatis, indivisis, crenatis, soris oblongis, stipite rhachideque laevissimis.

HERBA ADIANTI MELANOCAULI, Asplenium melanocaulum W., Filix Americae borealis, Asplenio Trichomani simillima,

HERBA ADIANTI TRAPEZIFORMIS L., Filix Indiae occidentalis, fronde supradecomposita, foliolis ovato-rhombeis, acuminatis, striatis, grosse serratis, serraturis subcrenatis, soris oblongis, stipite rhachideque glabris, — et

HERBA ADIANTI VILLOSI L. Filix Indiam occidentalem et Brasiliam inhabitans, fronde bipinnata, foliolis oblongis, dimidiatis, obtusis, apice serratis, basi truncatis, margine superiore sorophoris, soris subcontinuis, rachide stipiteque villosis, — passim pro medicamento usurpantur.

HERBA seu SUMMITATES AGERATI, Eupatorii Mesue. Balsam-Garbenstrauch, Leberbalsam, Garbenbalsam, wohlriechender Ertrant. *Herbe d'Achillée visqueuse.* — *Achilleae Agerati* L. (Cl. cet. v. Flores Millefolii p. 68.), plantae perennis Galliae meridionalis et Italiae, Folia fasciculata, spathulato-lanceolata, obtusa, serrata, glabra, viscosa, pallide viridia, cum Corymbis compositis coarctatis, ex floribus (calathiis) parvis, luteis constantibus, colligenda; odore fragrante aromatico, sapore aromatico, amariusculo. — Apud nos exolevit.

HERBA AGRIMONIAE, Lappulae hepaticae, Eupatoriae Veterum, Hepatorii. Odermenig, Leberkletten- oder Steinwurzel-Kraut. *Herbe d'Aigremoine.* — *Agrimoniae Eupatoriae* L. (Fl. Bad. II. 315.), e cl. Dodecandria, ord. Digynia, fam. Rosacearum, plantae perennis indigenae, ad vias cet. vulgaris, caule erecto simplici, vel subramoso, scabriusculo-villoso, floribus parvis flavis, in spicam terminalem raram digestis, Folia stipulata, interrupte pinnata, pinnis majoribus oblongo-ovatis, extimis maximis, pinnulis minoribus rotundatis, omnibus inciso-serratis; villoso hirsuta, superne saturate viridia, subtus pallidiora, pilo passim fuscescente-luteo praedita. A planta majori (Agrimonia odorata — Fl. Bad. IV. 326.), locis apricis silvaticis colligenda, quae, recens uti et, si quidem digitis teratur, siccata, odore grate aromatico saporeque subaromatico, adstringente, amariusculo, gaudet. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore viridi imbuitur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium adstringens. — *Vis:* tonica, stomachica, febrifuga. — *Usus:* In pulvere, infuso. — *Praep.:* Extractum, Tinctura, Conserva, Syrupus.

HERBA ALCEAE. Alceen- oder schlitzblätterige Malven, Feltrik, Sigmars Kraut, Simonskraut, Stutenblumen-Kraut. *Herbe de Mauve alcée.* — *Malvae Alceae* L. (Fl. Bad. III. 138. — Cl. cet. v. flor. Malvae p. 67.), plantae perennis indigenae, caule erecto ramoso, basi glabro, superne hispido, floribus magnis, pallide roseis, venis purpureis pictis, Folia magna petiolata, inferiora partim indivisa, subpeltata, rotundato-cordata, 5-angularia, vel lobata, crenata, superiora 3—5 partita, lobis cuneiformi-lanceolatis, 5-fidis, inciso-dentatis; omnia scabriuscula, mucilaginosa. — Hodie obsoleta.

HERBA ALCHEMILLAE, seu Alchimillae, Pedis Leonis, Leontopodii. Sinau, Löwenfuß, Frauenmantel, großer Sanikel. *Herbe de Pied de Lion.* — *Alchemillae vulgaris* L. (Fl. Bad. I. 372.), e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Rosacearum, plantae perennis, in pratis humidis, ad rivulorum ripas, in silvis graminosis passim frequentis, caule erecto, superne ramoso, dichotomo, floribus parvis, viridescenti-flavis, apetalis, corymbos terminales exhibentibus, Folia speciosa, petiolata, caulina stipulata, primo plicata, sericea, ciliata, post expansa, rotundato-reniformia, 7—9-semiloba, subglabra, firmiuscula, superne saturate viridia, subtus pallidiora; inodora, sapore adstringente, amariusculo. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore viridi tingitur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens et amarum. — *Vis:* tonica, vulneraria. — Olim ab Alchemicis celebrata. — Hodie vix adhibetur.

HERBA ALLIARIAE. Knoblauchkraut, Knoblauch-Hederich, Läuchel-Kraut. *Herbe d'Alliaire commune.* — *Erysimi Alliariae* L. (Fl. Bad. III. 75.), e cl. Tetradynamia, ord. Siliquosa, fam. Cruciferarum, plantae biennis indigenae, vulgaris, caule erecto simplici, vel superne ramoso, glabriusculo, floribus corymboso-racemosis, parvis, albis, siliquis erecto-patentibus, 4-gonis, articulatis, glabris, Folia speciosa, petiolata, cordata, inaequaliter sinuato-dentata, glabra, tenera; contrita allium redolentia, sapore acri-pungente, amariusculo, lepidino. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum acre. — *Vis:* antiscorbutica, diuretica, antiseptica, vulneraria. — *Usus:* In infuso; succus expressus et folia conquassata externe applicantur, nec minus in unguento. - Planta recens hodie (immerito) vix adhibetur.

HERBA ALLII URSINI L. Bärenknoblauch, Waldknoblauch. *Herbe d'Ail d'Ours* — (Fl. Bad. II. 26.) e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Asphodelearum, plantae perennis in nemoribus, ad sepes, passim frequentis, scapo semi-cylindrico, albido, floribus umbellatis, subfastigiatis, niveis, Folia speciosa, petiolata, ovali-lanceolata, integerrima, glabra, laete viridia; allium redolentia. — Hodie obsoleta.

HERBA ALSINES, Morsus Gallinae. Weißer Hühnerdarm, Vogelkraut, weiße Miere, kleiner Meyer oder Meyrich. *Herbe de Morgeline, de Mouron blanc.* — *Stellaria media* Sм. (*Alsine media* L. — Fl. Bad. I. 750.), e cl. Decandria, ord. Trigynia, fam. Caryophyllearum, planta annua parva, tenera, vulgatissima, caule rotundo, filiformi, decumbente, ramoso, alternatim unifariam piloso, foliis parvis oppositis, breviter ciliato-petiolatis, cordato-ovatis, glabris, laete viridibus, pedunculis lateralibus unifloris, folio longioribus, floribus parvis albis, plerumque pentandris, petalis bipartitis, calyce subbrevioribus. — Tota planta colligenda; inodora, sapore subdulci, mucilaginoso. — *Vis:* demulcens, emolliens, refrigerans. — Cave confundas cum Cerastii speciebus, quae omnes foliis praeditae sunt plus minus pilosis, et cum *Arenaria trinervia* L. foliis 3-nerviis petalisque integris. — Hodie exolevit.

HERBA ALSINES TRIPHYLLAE COERULEAE. Händlein-Ehrenpreis. *Herbe de Veronique digitée.* — *Veronica triphyllos* L. (Fl. Bad. I. 41. — Cl. cet. v. Herba Beccabungae p. 98.), plantula annua exigua

vulgaris, tota viride-pubescens, caule erecto simplici vel subramoso, foliis digitato- 3—5-partitis, crassiusculis, floribus axillaribus solitariis, saturate coeruleis. — Hodie obsoleta.

HERBA ALTHAEAE, Bismalvae, Ibisci. Eibisch- oder Ibischkraut, Heilkraut. *Herbe de Guimauve.* — *Althaeae officinalis* L. (v. Flores p. 61.), Folia speciosa, petiolata, subcordato ovata, angulosa, inaequaliter dentata, inferiora sub-3-loba, acuta, omnia utrinque mollissime tomentosa, 5-nervia, subrigida, laete viridia, vel canescentia, inodora et fere insipida; mucilaginosa. — *Vis:* emolliens, demulcens. — *Usus:* In infuso, decocto; additur speciebus emollientibus.

HERBA AMARANTI 3-COLORIS L. (seu Gomphrenae symphoniae.) 3-farbiger Amarant *Herbe d'Amarante 3-colore,* — e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Amarantacearum, plantae annuae speciosae Indiae orientalis, apud nos hortensis, caule erecto crasso, glomerulis florum sessilibus rubris, floribus monoecis et hermaphroditis, 2—3-andris, Folia speciosa, petiolata, ovato-oblonga, integra, superiora rubro-flavo- et viridi-variegata. — Hodie exolevit.

HERBA AMBROSIAE. Ambrosia oder Traubenkraut *Herbe d'Ambrosia.* — *Ambrosiae maritimae* L., e cl. Monoecia, ord. Pentandria, fam. Compositarum, trib. Ambrosiacearum, plantae annuae littoralis Europae australis Orientisque, caule villosissimo, floribus dense racemosis luteis, Folia bipinnatifida, incano-sericea, Foliorum Absinthii (p. 89.) similia; odore suavi aromatico, sapore aromatico, amariusculo. — Apud nos exolevit.

HERBA AMBROSIAE ARTEMISIFOLIAE L. Beifussblätteriges Traubenkraut. *Herbe d'Ambrosie à feuilles d'Armoise,* — plantae Americae borealis, Folia bipinnatifida, laciniis sinuato-dentatis, obtusiusculis, subtus incano-tomentosa; odore aromatico et sapore amaro. — Ut febrifugum in América adhibetur.

HERBA ANACAMPSEROTIS. Rundblätterige fette Henne- oder Wundkraut — *Sedi Anacampserotis* L. (Fl. Bad. II. 274. — Cl. cet. v. Hb. Crassulae p. 112.), plantae perennis Helvetiae passimque Germaniae in montosis, caule procumbente, floribus corymbosis, Folia obovato-cuneiformia, integerrima, crassa, glauca, ad apices caulium sterilium in rosulam congesta. — Recens, ut refrigerans, antiscorbuticum cet., commendatur.

HERBA ANAGALLIDIS, Anagallidis maris. Rother Acker-Gauchheil, oder Hühnerdarm, rothe Miere, Collmarkraut, Grundheil, Vernunftkraut. *Herbe de Morgeline, de Mouron male.* — *Anagallis arvensis* L. (*Anagallis phoenicea* Lam. — Fl. Bad. I. 456.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Primulacearum, planta annua parva, in cultis vulgaris, caule diffuso, 4-angulo, glabro, foliis oppositis, sessilibus, ovatis, integerrimis, 3-nerviis, subtus fusco seu nigro-punctatis, glabris, pedunculis axillaribus solitariis, unifloris; floribus miniatis, corolla rotata. Tota planta absque radice colligenda; inodora, subacri-amariuscula. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum proprium. — *Vis:* resolvens, diaphoretica, diuretica, vulneraria, in majori dosi toxica. — *Usus:* In pulvere, infuso. — *Praep.:* Succus expressus, Oleum coctum. — Cave confundas cum Herba Alsines supra descripta et Cerastii et Arenariae speciebus, vel cum Herba Anagallidis aquaticae statim describendae.

HERBA ANAGALLIDIS AQUATICAE. Wasser-Gauchheil. *Herbe de petit Beccabunga.* — *Veronicae Anagallidis* L. (Fl. Bad. I. 26. — Cl. cet. v. Hb. Beccabung. p. 98.), plantae perennis aquaticae vulgaris, habitu Veron. Beccabungae, sed caule erecto, Folia speciosa, lanceolata, serrata, glabra, cum floribus coeruleis in racemos laterales congestis, colligenda; inodora, sapore subsalso, substyptico. — *Vis:* resolvens, antiscorbutica. — Herba recens uti Beccabunga, sed rarissime, adhibetur.

HERBA ANAGALLIDIS FOEMINAE seu COERULEAE. Weiblicher oder blauer Gauchheil, Hühnerdarm u. s. w. *Herbe de Mouron femelle.* — *Anagallis coerulea* Schreb. (Fl. Bad. I. 458.), plantula Anagallidis phoeniceae simillima, iisdem passim locis crescens; distinguitur solummodo praecipue floribus coeruleis in basi sanguineis. — Iisdem sine dubio viribus gaudet.

HERBA ANAGALLIDIS LUTEAE. Gelber Gauchheil, Hainweiderich *Herbe de Mouron à fleurs jaunes.* — *Lysimachia nemorum* L. (Fl. Bad. I. 453. — Cl. cet. praeced.), planta perennis locis silvaticis humidis, aquosis passim occurrens, tota glabra, tenera, caule decumbente vel erectiusculo, Foliis oppositis, subsessilibus, ovatis, acutis, flavicante-viridibus, floribus luteis, axillaribus, pedunculatis, solitariis, florum Anagallidis paullo majoribus. — Hodie obsoleta.

HERBA ANDROMEDAE MARIANAE L. Marianische Andromeden-Blätter. *Herbe d'Andromede mariane,* — e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Ericearum, fruticuli Americae borealis, Folia oblonga, utrinque attenuata, integerrima, decidua. — In America pro medicamento externe adhibetur.

HERBA ANDROSACES. Breitblatt- Mannsschild. *Herbe d'Androsace majeur.* — *Androsaces maximae* L. (Cl. cet. ut Hb. Anagallidis v. supra), plantae annuae Germaniae australis et Sibiriae, scapo rubro, floribus umbellatis albis, calyce fructifero ampliato, fusco-rubro, Folia in orbem congesta, sessilia, ovata; subsinuato-denticulata, glabra, crassiuscula, carnosa. — Apud nos non adhibetur.

HERBA ANDROSAEMI seu Hb. Sicilianae, Totae Sanae. Konrads-Kraut. *Herbe de Toute Saine.* — *Androsaemi officinalis* All. (*Hyperici Androsaemi* L. — Fl. Bad. IV. 573. — Cl. cet. v. Flores Hyperici p. 66.), plantae suffruticosae Europae australis, Angliae et Orientis, nobis hortensis, floribus terminalibus corymbosis, speciosis, luteis, pedunculis 4-gonis, Folia opposita, ovata, patentia, acuta, integerrima, glaberrima; sapore resinoso. — Ut diureticum, anthelminthicum passim adhibetur.

HERBA ANETHI, Anethi hortensis. Dillkraut, Gartendill. *Herbe d'Anet odorant, de Fenouil puant.* — *Anethi graveolentis* L. (v. Flores p. 61.), habitu foeniculi, sed plerumque minoris, caule magis stricto, umbellis luteis speciosioribus, Folia decomposita, glabra, glaucescentia, laciniis lineari-filiformibus; odore et sapore aromatico, haud grato. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* excitans, carminativa. — *Usus:* In infuso, raro.

HERBA ANGELICAE cum STIPITIBUS. Angelika- oder Engelwurzkraut mit den Stängeln. *Herbe d'Angelique avec les tiges.* — *Angelicae Archangelicae* L. (v. Radix) **Folia magna, ternata, inferiora decomposita, crasse petiolata, superiora sessilia, vagina**

ampla, ventricosa, insidentia, foliolis magnis, ovatis, vel lanceolatis, glabris. cum Stipitibus junioribus colligenda; odore et sapore grate aromatico. — *Praep.:* olim Conserva, Rami Angelicae conditi. Addebatur aliis quoque compositionibus. — Hodie apud nos obsoleta.

HERBA ANTHOS. Rosmarinkraut. *Herbe de Romarin.*

Synon.: Herba Rorismarini, Libanotidis.

Rorismarini officinalis L. (Fl. Bad. IV. 14.), e. cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Labiatarum, fruticis speciosi Europae meridionalis, nobis hortensis, Folia parva, angusta, lineari-lanceolata, integerrima, margine subrevoluta, superne saturate viridia, subtus albida, firma, sempervirentia; odore ac sapore fragrante aromatico, camphorino. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* incitans, nervina, resolvens.

Sit herba recens, maxime aromatica stipitibusque libera. — Cave confundas cum Foliis Ledi palustris subtus fusco-tomentosis (v. infra).

Usus: In infuso perraro interne, externe pro balneis cet., additur speciebus aromaticis. — *Praep.:* Oleum aethereum, Spiritus, Aqua Hungarica; olim Conserva, Essentia, Extractum, Aqua.

HERBA ANTHOS SILVESTRIS, Rorismarini silvestris, Ledi palustris. Wilder Rosmarin, Sumpfporst, Mottenkraut. *Herbe de Romarin sauvage*, ou *de Bohême*. — *Ledi palustris* L. (Fl. Bad. II. 202.), e cl. Decandria, ord. Monogynia. fam. Ericearum, fruticuli indigeni, in montosis ericetosis, turfosis passim, ramis junioribus subternis, tomentosis, floribus parvis albis, odoratis, in corymbos terminales erectos digestis, Folia sparsa, subsessilia, linearia, vel lineari-lanceolata, integerrima, margine revoluta, antecedentium similia, superne viridia, nitentia, sublus autem tomento ferrugineo tecta, firma, subcoriacea, cum Summitatibus teneris florentibus colligenda; odore forti aromatico, haud ingrato, sapore aromatico, camphorino, amariusculo. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore viridi imbuitur. — *Vis:* narcotica (?), incitans, anodyna, antipsorica. — *Usus:* In infuso ut thea. — Planta sane efficax, pro medicamento commendanda. — Cave confundas cum *Andromeda polifolia* L., foliis praedita subtus albido glaucis, inodoris.

HERBA ANTHYLLIDIS, Vulnerariae rusticae. Wundklee, Wundkraut. *Herbe de Vulneraire de paysans.* — *Anthyllidis Vulnerariae* L. (Fl. Bad. III. 165.), e cl. Diadelphia, ord. Decandria, fam. Leguminosarum, plantae perennis in pascuis siccis cet. vulgaris, floribus luteis, capitatis, bracteatis, Folia primaria simplicia, longe petiolata, secundaria inaequali-pinnata, foliolo extremo majori, omnia integerrima, subpubescentia, glaucescentia; inodora, sapore fatuo, subsalso. — Hodie obsoleta.

HERBA ANTIDYSENTERICAE. — Hoc nomine in Java plantae adhuc incognitae Folia terna, obovata, pilosa, inodora et fere insipida — contra dysenteriam adhibentur.

HERBA ANTIRRHINI MAJORIS L. Grosses Löwenmaul, grosser Orant, Sterbkraut. *Herbe de Mufle de Veau* — (Fl. Bad. II. 695.), e cl. Didynamia, ord. Angiospermia, fam. Scrophularinarum, plantae biennis, passim in muris antiquis obviae, et hortensis, caule erecto, floribus magnis rubris vel albidis, in racemum densum, bracteatum congestis, corolla personata ecalcarata, palato luteo, Folia opposita, oblongo-lanceolata, integerrima, glabra; sapore subacri. — Hodie obsoleta.

HERBA APALACHINES, Thea de Paraguay. Paraguay-Thee, Südsee-Thee. *Thé de Paraguay, de la mer du Sud.* — *Ilicis paraguayensis* Lamb. (*Il. Matae St. Hil.*, *Il. Gongonhae* Mart. — Cl. cet. v. Folia Aquifolii p. 75.), fruticis Paraguayensis, Folia spathulato-oblonga, obtusiuscula, remote serrata, glabra. — Advehitur in frustulis diffracta, pulverem grossum formans, colore sordide flavescenti-viridi, multis cum stipitibus ligneis, passim pennae scriptoriae et ultra crassitudine, intermixtis; prope inodora, sapore nauseoso-acriusculo-amaro. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore obscure-viridi imbuitur. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum proprium amarum et adstringens. — *Vis:* tonica, stomachica, vermifuga, in majori dosi emetica, purgans. — *Usus:* In infuso pro thea. — Apud nos rarissime adhibetur.

HERBA APARINES. Klebkraut. *Herbe de Grateron.* — *Galium Aparine* L., e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Rubiacearum, planta annua ad sepes, inter segetes cet. vulgaris, caule flaccido scandente, ramoso, geniculato, tetragono, retrorsum setoso, scaberrimo, ad genicula tumido albide-piloso, foliis suboctonis, angustis, lanceo-

latis, retrorsum setuloso-aculeatis, floribus minutis albis fructibusque uncinato-setosis, tota colligenda; inodora, sapore amariusculo-herbaceo. — *Vis:* detergens, resolvens, antiscorbutica, antiscrophulosa, mundificans. — *Usus:* In infuso. — *Praep.:* Succus expressus.

HERBA APII. Selleriekraut. *Herbe d'Ache de marais.* — *Apii graveolentis* L. (Fl. Bad. I. 731.— Cl. cet. v. H. Cicutae p. 108.), plantae biennis notissimae indigenae et cultae, Folia inferiora pinnata, foliolis subrotundis, 3-lobis, inciso-dentatis, superiora ternata, foliolis cuneiformi-3-fidis et indivisis, lanceolatis, omnia saturate viridia, glaberrima; odore proprio aromatico et sapore dulciusculo, subaromatico. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Mucilago et Saccharum Mannae.— Olim ut antidotum celebrata. — Hodie exolevit.

† HERBA APOCYNI FOLIO SUBROTUNDO. Aufrechtes Pergularien-Kraut. *Herbe de Pergulaire etroite.* — *Pergulariae erectae* SPR. (*Cynanchi erecti* L. — Cl. cet. v. rad Hirundinariae), plantae perennis Syriae, Folia opposita petiolata, cordato-ovata, acuta, integerrima, crassiuscula, lactescentia; odore nauseoso. — *Vis:* narcotica, venenata. — Apud nos non adhibetur.

HERBA AQUILEGIAE. Ackeley- oder Akeley-Kraut *Herbe d'Ancole.* — *Aquilegiae vulgaris* L. (v. Flor. p. 61.), Folia petiolata, triternata et ternata, foliolis petiolatis, laciniis cuneiformi-rotundatis, 3-lobis, glabra, superne saturate viridia, subtus glauca; inodora, sed digitis trita odorem edentia nauseosum, sapore amariusculo, post acri, tabaci simili. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum proprium narcoticum (?). — Hodie exolevit.

HERBA ARGENTINAE, Potentillae. Silberweißes Fingerkraut. *Herbe de Potentille argentée.* — *Potentillae argenteae* L. (Fl. Bad. II. 500. — Cl. cet. v. Fraga p. 81.), plantae suffrutescentis indigenae, locis apricis vulgaris, caule erecto ramoso, floribus parvis luteis, subfasciculatis, caulem ramosque terminantibus, Folia quinata, septenata, foliolis oblongo-lanceolatis, inciso-serratis, superne saturate viridia, subtus ut plurimum, uti et petioli, albo-tomentosa; sapore adstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA ARISTOLOCHIAE seu Pistolochiae. Osterluzeykraut. *Herbe d'Aristoloche menue, Clematite.* — *Aristolochiae Clematitis* L. (Fl. Bad. III. p. 576.), e cl. Gynandria, ord. Hexandria, fam. Aristolochiearum, plantae perennis herbaceae, indigenae et hortensis, caule erecto simpliciusculo, glabro, floribus axillaribus aggregatis, flavis, Folia speciosa, obtuse trigono-cordata, rotundata, integerrima, glabra, superne saturate viridia, subtus glaucescentia, reticulato-venosa, rigida, margine aspera; odore proprio, haud grate aromatico, sapore nauseoso, subaromatico-amaro, subsalso. — *Part. const. praev.:* Principium amarum proprium et Oleum aethereum. — *Vis:* tonica, vulneraria. — Hodie perraro adhibetur.

HERBA ARNICAE. Fallkraut, Wohlverleih. *Herbe d'Arnica.* — *Arnicae montanae* L. (v. Flores p. 61.), Folia radicalia oblongo-ovata, obtusiuscula, integerrima, margine subundulata, trinervia, subvillosa, laete viridia, subtus pallidiora, rigidula; siccata subtus praecipue albida, firma, subcoriacea; odore proprio haud grato aromatico, sapore amariusculo, aromatico, peracri. — *Part. const praev. Vis* et *Usus:* ut florum. — Hodie (immerito) perraro adhibetur.

HERBA cum SUMMITATIBUS ARTEMISIAE, Artemisiae rubrae (vel albae) vulgaris. Gemeiner rother (auch weißer) Beifuß. *Herbe d'Armoise commune.* — *Artemisiae vulgaris* L. (Flor. Bad. III. 403. — Cl. cet. v. Hb. Absinth. p. 89.), plantae perennis, ad vias, sepes vulgaris, caule erecto ramoso, striato-angulato, saepius rubello passimque viridi-albicante (Art. alba), Folia duplicato- et simpliciter pinnatifida, laciniis lineari lanceolatis, subinciso-dentatis, acutis; superiora subintegerrima, lineari-lanceolata, omnia superne saturate viridia, glabra, lineata, subtus albo-tomentosa, cum Summitatibus florentibus, ex racemis spiciformibus in paniculam foliatam digestis, constantibus, florum (calathiorum) erectorum, parvorum, ovato-oblongorum, calyce (periclinio) albido tomentoso, disco rubello vel flavescente constantibus, colligenda celeriterque siccanda, et in vasis optime clausis loco sicco asservanda; odore grate aromatico eodemque sapore, simul amariusculo, subacri. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium extractivum proprium et adstringens. — *Vis:* tonica, nervina, incitans, emmenagoga, antiepileptica(?), vulneraria. — *Usus:* In pulvere, infuso. — *Praep.:* Aqua, Oleum aethereum, Essentia, Extractum, Syrupus, Moxa (olim Sal). — Haec planta hodie raro adhibetur, quam maxime tamen commendanda.

HERBA ARTEMISIAE CHINENSIS L. Chinesischer Beifuß. *Herbe d'Armoise de la Chine.* — Fruticis Chinensis, Folia radicalia 3-loba, obtusa, caulina indivisa, linearia, omnia incano-tomentosa. — Praecipue cum stipitibus ad parandam *Moxam* usurpatur.

HERBA ASARI cum RADICE. Haßelwurzkraut mit Wurzel. *Herbe de Cabaret avec la Racine.*

Synon.: Herba (c. Rad.), Azari, Nardi rusticae seu silvestris. Wilder Nard.

Asarum Europaeum L. (Flor. Bad. II. 309.), e cl. Dodecandria, ord. Monogynia, fam. Aristolochiearum, Planta perennis indigena, in silvis montosis, dumetis obvia; radice repente, filiformi,

quadrigona, articulata, griseo-fusca; foliis radicalibus binis, longe petiolatis, speciosis, orbiculari-reniformibus, integerrimis, glabris, nitentibus, superne saturate viridibus, subtus pallidioribus, tenerrime reticulato-venosis, tota mense Augusto colligenda celeriterque siccanda; odore, praesertim radicis, fragrante piperino, camphorato, sternutationem excitante, sapore acri-aromatico, urente. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Camphora propria acerrima et Principium extractivum amarum. — *Vis:* emetica, purgans, diuretica, emmenagoga.

Sit planta recens siccata, aromatica; decolor autem, vel fusco nigrescens, aromate cassa, rejiciatur. Cave confundas cum Herba Violariae (v infra.).

Usus: In pulvere, praecipue in arte veterinaria, in infuso raro.— *Praep.:* Pulvis sternutatorius (porro vid. Radix).

HERBA ASPERUGINIS. Niederliegendes Scharfkraut, blauer Kleber *Herbe de Rapette couchée.* — *Asperuginis procumbentis* L. (Fl. Bad. IV. 147. — Cl. cet. v. Herba Borraginis p. 100.), plantae annuae passim in ruderatis crescentis, caule debili, procumbente, ramoso, retrorsum setoso, floribus axillaribus, subverticillatis, parvis, rubello-coeruleis, calyce fructifero maximo, complanato, palmato-dentato, Folia oblonga, petiolata, hispida. — Hodie obsoleta.

HERBA ASTERIS ATTICI. Blaues Aster-Ackmelle, Sternblumen-Kraut. *Herbe d'Aster Amellus, d'Oeil de Christ.* — *Asteris Amelli* L. (Flor. Bad. III. 446. — Cl. cet. v. Herba Arnicae p. 95.), plantae perennis Europae mediae passimque Germaniae, caule erecto, superne ramoso, subhirsuto, floribus (calathiis) terminalibus, corymbosis, speciosis, radio violaceo, disco luteo, Folia inferiora petiolata et superiora sessilia oblongo lanceolata, integerrima, subtrinervia, asperiuscula; inodora, sapore herbaceo, salso-amaro, substyptico. — Hodie obsoleta.

HERBA ATHANASIAE MARITIMAE L. (*Otanthi maritimi* Link.) Meerstrands-Athanasia. *Herbe de Diotis cotonneuse.* (Cl. cet. v. Hb. Balsamitae p. 97.), plantae herbaceae littoralis Europae australis, tota candida, lana densa obducta, Foliis sessilibus oblongis, obtusis, crenatis, corymbo terminali, luteo.— Apud nos non adhibetur.

HERBA ATRACTYLIDIS. Spindel-Kraut, wilde Kardobenedikten, wolliger Saflor *Herbe d'Atractylis.* — *Carthami lanati* L. (*Centaureae lanatae* Dec.— Cl. cet. v. Hb. Cardui benedicti p. 104.), plantae annuae Europae australis, Helvetiae, caule simpliciusculo, lanato, floribus luteis, calyce (periclinio) inermi, involucrato, involucris pinnatifidis, spinosis, Folia amplexicaulia, lanceolata, pinnatifido-dentata, spinosa, rigida, glabriuscula. — Hodie obsoleta.

HERBA ATRIPLICIS FOETIDAE seu olidae, Vulvariae. Stinkende Melde, Hundsmelde. *Herbe d'Arroche puante.* — *Chenopodii olidi* Sm. (*Ch. Vulvariae* L. — Fl. Bad. I. 571.), e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Chenopodiearum, plantae annuae in ruderatis, plateis, hortis cet. vulgaris, caule decumbente ramoso, Folia parva petiolata, rhomboideo-ovata, integerrima, opaca, subtus praecipue albido farinosa, cum Floribus exiguis, racemoso-glomeratis, albo-farinosis, colligenda; odore nauseoso piscium putridorum salsorum simili, sapore nauseoso. salso. Planta Ammoniacum exhalat. — *Vis:* antihysterica, emmenagoga. — *Usus:* Herba recens solummodo adhibenda; in infuso. *Praep.:* Succus expressus, Extractum, Aqua. – Planta sane efficax et digna, quae magis abhibeatur.

HERBA ATRIPLICIS HORTENSIS L. Gartenmelde. *Herbe d'Arroche cultivée de Jardins, Bonne Dame.* — (Fl. Bad. III. 787.) — Cl. cet. praeced.), plantae annuae speciosae Orientalis, quae apud nos colitur, Folia magna, petiolata, inferiora cordato- 3-angularia, acuta, dentata, superiora oblongo- 3-angularia, subhastata, omnia glabra, flavescente-viridia, subfarinosa (variat foliis rubris cet.); inodora, sapore herbaceo, salso. — Hodie exolevit.

HERBA ATRIPLICIS SILVESTRIS. Wilde Melde, Mist-Melde, rother Gänsefuß *Herbe d'Arroche sauvage.* — *Chenopodii rubri* L. (Fl. Bad. I. 564. — Cl. cet. ut Atriplicis foetidae), plantae annuae in ruderatis cet. vulgaris, caule erecto, ramoso, sulcato, saepius rubro-striato, racemis axillaribus compositis, spicatis, foliatis, erectis, Folia rhomboideo- 3-angularia, sinuato-dentata, basi producta, integerrima, glabra, nitentia, vel subfarinosa, laete viridia, crassiuscula; odore debili ingrato, sapore herbaceo, fatuo, salso. — Hodie obsoleta.

HERBA AURICULAE LEPORIS, Bupleuri, Costae Bovis. Hasenohr, sichelförmiger Durchwachs. *Herbe de Bupleure faucillier, d'Oreille de Lièvre.* — *Bupleuri falcati* L. (Fl. Bad. I. 610. — Cl. cet. v. Hb. Cicutae p. 108.), plantae perennis, ad vias, sepes, in dumetis asperis cet. vulgaris, caule erecto, ramoso, umbellis terminalibus raris, involucellis lanceolatis, acutis, concavis, floribus minutis, flavis, Folia radicalia in petiolum decurrentia, obovata, vel ovato-lanceolata, caulina sessilia, lanceolata, vel lineari-lanceolata, subfalcata, omnia glabra, nervosa, laete viridia. — Hodie exoleta.

HERBA AURICULAE MURIS, Pilosellae, Hispidulae. Mausöhrlein, langhaariges Habichtskraut, Vogelkraut. *Herbe d'Oreille de Souris, de Piloselle.* — *Hieracii Pilosellae* L. (Fl. Bad. III. 307., e cl. Syngenesia, ord. Polygamia aequali,

fam. Compositarum, trib. Cichorearum, plantae perennis in pascuis, ad vias cet. vulgaris, stolonibus repentibus, scapo plerumque unifloro, floribus (calathiis) majusculis luteis, Folia petiolata, oblonga, obovata, integerrima, ciliata, pilis sparsis longis praedita, subtus albido-tomentosa; inodora, sapore amaro, subadstringente, cum Floribus colligenda. — *Part. const. praev.:* Principium amarum et adstringens. — *Vis:* tonica, febrifuga. — *Usus:* In pulvere, infuso. — Hodie solummodo in arte veterinaria adhibetur.

HERBA AURICULAE MURIS CAMERARII. Spanischer Schneckenklee. *Herbe de Lucerne d'Espagne.— Medicaginis circinatae* L. (Cl. cet. v. Hb.Meliloti), plantae annuae Europae australis, totius pilosae, leguminibus reniformibus, margine denticulatis, Folia pinnata, bijuga, foliolo extremo maximo, stipulis foliaceis; sapore primo subdulci, post acri-urente. — Hodie obsoleta.

HERBA AURICULAE URSI. Aurikelkraut. *Herbe d'Oreille d'Ours.* — *Primulae Auriculae* L. (Fl. Bad. I. 444. — Cl. cet. v. Flores Primulae veris p. 69.), plantae perennis Alpinae, nobis hortensis, floribus umbellatis, in hortis pulcherrime variabilibus, Folia radicalia in petiolum decurrentia, obovata, subcrenato-dentata, glabra, glaucescentia, crassiuscula. — Hodie obsoleta.

HERBA AURICULAE URSI, Myconi. Miconsterze. *Herbe d'Oreille d'Ours.* — *Ramondiae Pyrenaicae* RICHARD, (*Verbasci Myconi* L. — Cl. cet. v. Flores Verbasci p. 73.), plantae Pyrenaicae, scapo paucifloro, floribus purpureis, Folia radicalia ovata, crenata, rufo-lanata. — Apud nos non adhibetur.

HERBA BALLOTAE LANATAE L., (Leonuri lanati PERS.). Wollige Ballote oder Wolfstrapp. *Herbe de Ballote duvetée.*— (Cl. cet. v. Hb. Cardiacae p.103.), plantae perennis Sibiriae, caule adscendente ramoso, albo lanato, floribus verticillatis, speciosis, ochroleuco-albis, longe villosis, Folia longe petiolata, inferiora 5-loba, cordata vel basi truncata, superiora cuneiformi-3-loba, omnia superne viridia, pubescentia, subtus albo-tomentosa, cum Floribus colligenda. Prostat herba siccata diffracta, multis cum stipitibus floribusque flavo-fuscis, calycibus pungentibus praeditis, mixta; paene inodora, sapore peramaro. — *Part. const. praev.:* Resina amara (?) et Principium adstringens.— *Vis:* diuretica, antarthritica contra hydropem.— *Usus:* In decocto.

HERBA BALSAMINAE LUTEAE, Impatientis. Gelbes Springkraut, wilde gelbe Balsamine. *Herbe de Balsamine jaune.* — *Impatientis Nolitangere* L. (Fl. Bad. III. 525.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Balsaminearum, plantae annuae indigenae, locis humidis umbrosis crescentis, caule erecto crassiusculo, superne ramoso, glaberrimo, albido-diaphano, geniculis tumidis, floribus solitariis, pendulis, speciosis, luteis, calcaratis, fructibus tactu facillime dissilientibus, Folia longe petiolata, ovata, inaequaliter dentata, mucronata, glaberrima, laete viridia, tenera; sapore nauseoso-acri. — *Vis:* emetica, purgans. — Hodie (immerito) exolevit.

HERBA BALSAMITAE, Costi hortorum, Tanaceti hortensis, Menthae Sarracenicae, Romanae. Balsamkraut, gemeine Frauenmünze, breitblätteriger Rainfarrn, Marienblatt. *Herbe de Balsamite, Coq des Jardins.* — *Balsamitae vulgaris* W. (*Tanaceti Balsamitae* L. — Fl. Bad. IV. 603.), e cl. Syngenesia, ord. Polygamia aequalis, fam. Compositarum, trib. Eupatorinarum, plantae perennis Europae meridionalis, Helvetiae, nobis hortensis, caule erecto ramoso, subpubescente, floribus (calathiis) terminalibus corymbosis, luteis, Florum Tanaceti (p. 72.) similibus, Folia radicalia magna, longe petiolata, elliptica, caulina superiora sessilia, oblongo-ovata, passim auriculata, omnia serrato-dentata, laete viridia, glabra, vel subtus pubescentia, subinde utrinque subsericea; odore fragrante aromatico, menthaceo, sapore aromatico, amaro. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium extractivum amarum et adstringens. — *Vis:* stomachica, emmenagoga. — *Usus:* In infuso. — Hodie fere (sed immerito) exolevit.

HERBA BARBAE CAPRI. Waldbocksbart-Kraut *Herbe de Barbe de Bouc.* — *Spiraeae Arunci* L. (v. Flores p. 62.), Folia permagna petiolata, supradecomposita, 2—3-pinnata, foliolis spinosis, ovato-oblongis, acuminatis, duplicato-serratis, glabris; sapore adstringente. — Hodie exoleta.

HERBA BARBAE CAPRINAE, Ulmariae, Reginae prati. Wiesen-Geisbart-Kraut, Wiesenkönigin, Johanniswedel *Herbe de Reine de prés.* — *Spiraeae Ulmariae* L. (v. Flores p. 62.), Folia magna, interrupte pinnata, pinnis majoribus speciosis, ovato-oblongis, inciso-serratis, extima majori 5-loba, omnia glabra, utrinque viridia, vel subtus incana; inodora, sed digitis trita odorem spirantia balsamicum, aromaticum, sapore adstringente. — *Vis:* tonica, vulneraria. — Hodie obsoleta.

HERBA BARBAREAE. Gemeines Barben- oder Barbaren-Kraut, Winterkresse, Garten-Brunnenkresse. *Herbe de sainte Barbe.* — *Barbareae vulgaris* R. Br. (*Erysimi Barbareae* L. — Fl. Bad. III. 73.), e cl. Tetradynamia, ord. Siliquosa, fam. Cruciferarum, plantae perennis locis humidis vulgaris, caule erecto, rigido, ramoso, floribus racemosis, densis, parvis, luteis, siliquis strictis, quadrigono-ancipitibus, pistillo coronatis, Folia speciosa lyrata, crenata, basi auriculata, lobo terminali subrotundo, lobis lateralibus obovatis, glabra, nitentia, rigida; odore et sapore (simul amaro), acri-pungente, nasturtiino. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum acre et Principium ex-

tractivum amarum. — *Vis*: antiscorbutica. — *Usus*: Herba recens comeditur, Succus quoque expressus adhibetur. — Cochleariam et Nasturtium passim substituere licet.

HERBA BARDANAE. Kletten-Kraut. *Herbe de Bardane, aux Teigneux.* — *Arctii Lappae* L. (v. Radix) Folia praemagna, radicalia et caulina inferiora longe petiolata, cordata, obtusa, mucronata, integra, margine sinuato-subundulata, superne brevipilosa, hispidula, saturate viridia, subtus incano-tomentosa, venosa, rigida, crassiuscula; trita odorem spargentia nauseosum acrem, sapore gaudentia ingrato salso, amaro, acerbo. — *Part. const. praev.*: Principium extractivum amarum et adstringens. — *Vis*: incitans, diaphoretica, diuretica, antirrheumatica, vulneraria. — *Usus*: In pulvere, decocto rarissime; folia recentia ulceribus imponuntur. — *Praep.*: Succus expressus, Oleum coctum. — Hodie fere exolevit, quamvis radici passim praeferri mereatur.

HERBA BASILICI cum FLORIBUS, Basilici majoris, citrati, Ocimi citrati, vulgatioris, majoris, seu medii. Gemeines Basilikum, oder Basilien-Kraut. *Herbe de Basilic commun.* — *Ocimi Basilici* L. (Fl. Bad. II. 657.), e cl. Didynamia, ord. Gymnospermia, fam. Labiatarum, plantae annuae Indiae orientalis, nobis hortensis, caule erecto ramoso, ramis cruciatim oppositis, Folia passim speciosa, petiolata, oblongo-ovata, subserrata, glabra (variant magnitudine, figura et colore), una cum Floribus racemoso-verticillatis, albidis, rubellis cet., calyce brevissimo, plerumque rubro fusco, bilabiato, ciliato, labio superiore orbiculato plano, corollae labio superiori 4-fido, inferiori indiviso praeditis, colligenda; odore fragrantissimo, suaveolente, sapore aromatico, refrigerante, subsalso. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum et Principium adstringens. — *Vis*: excitans, analeptica, nervina, resolvens. — *Usus*: In infuso. — *Praep.*: Oleum aethereum; additur quoque pulveri sternutatorio cet.

HERBA BASILICI MINIMI. Kleines Basilikum. *Herbe de Basilic à petites feuilles.* — *Ocimi minimi* L., plantae annuae Indiae orientalis, nobis hortensis, praecedenti similis, sed ramosissimae et omnibus partibus minoris, Folia parva, ovato-acuta, integerrima, glabra, cum Floribus, plerumque albis, colligenda; odore etiam suaviore, et Viribus praecedentis praedita.

HERBA BECCABUNGAE. Bachbungen, Bachbohnen, Wasserbungen. *Herbe de grande Beccabunga, de Veronique cressonée.* — *Veronica Beccabunga* L. (Fl. Bad. I. 25.), e cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Scrophularinarum, trib. Veroniceearum, Planta perennis locis aquosis, ad fontes, rivulos frequens, caule radicante, adscendente, rotundo, glabro, foliis oppositis, subsessilibus, oblongo-ovatis, serrulatis, glabris, nitentibus, succulentis, floribus racemosis, oppositis, coeruleis; tota absque radice colligenda; inodora, sapore subsalso, amariusculo — Recens herba adhibetur et Succus expressus ad curationem vere instruendam, ut antiscorbuticum, vulnerarium cet. — Non confundenda cum Herba Anagallidis aquaticae (p. 93).

HERBA BEHEN RUBRI seu Limonii. Rothe Behenblätter, Limonienkraut, Widerstoß, Meernelkenkraut — *Statices Limonii* L., e cl. Pentandria, ord. Pentagynia, fam. Plumbaginearum, plantae perennis ad littora marina passimque ad fontes salinas obviae, scapo paniculato, floribus minutis violaceis, albidis, in spicas secundas digestis, Folia speciosa, oblonga, obtusa, mucrone recurva, margine tumido cartilagineo, glabra, evenia, glaucescentia, crassiuscula; graveolentia, sapore adstringente. — *Vis*: tonica, antidysenterica (?). — Hodie exolevit.

† HERBA BELLADONNAE. Tollkirschenkraut. *Herbe de Belladonne.*

Synon.: Herba Solani furiosi, lethalis. Tollbeeren-, Wolfskirschen-Kraut, Tollkraut, Wald-Nachtschatten.

Atropae Belladonnae L. (Fl. Bad. I. 510.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Solanacearum, plantae perennis speciosae, herbaceae, in silvis montosis, caeduis, ad silvarum margines, rudera arcium vetustarum, passim frequentis, caule erecto, crasso, minute pubescente, superne subtrichotomo, floribus speciosis axillaribus, subsolitariis, deorsum spectantibus, calyce 5-partito, corolla tubuloso-campanulata, externe sordide viridescente-flavicante-fuscescente, intus fusco-violacea, in fundo flavescente-viridi, fusco-reticulata, baccis nigris splendentibus, cerasi adspectu, calyci ampliato, stellato, insidentibus, succo

violaceo, fatuo, dulci turgentibus, Folia magna, ovata, in petiolum attenuata, integerrima, saturate viridia, superne glabra, subtus pilis brevissimis, glanduliferis, praecipue ad nervos praedita, hinc subglutinosa, tenera; a planta florente colligenda celeriterque siccanda et in vase optime clauso asservanda. Siccata folia superne fuscescente-viridia, subtus canescentia, tenuia, subdiaphana; inodora, sapore fatuo-amariusculo, subacri.— *Part. const. praev.*: Principium narcoticum proprium (Atropium). — *Vis:* narcotica, resolvens, in majori dosi facile toxica, deleteria.

Herba obscure fusca, corrupta, rejicienda est. — Cave confundas cum Herba Solani nigri (v. infra.).

Usus: In pulvere cautissime, in exigua dosi, in infuso, externe ad fomentationes cet. — *Praep.* Extractum, Tinctura, Oxymel, Pilulae, Emplastrum, Unguentum, Syrupus, Faecula.

HERBA BELLIDIS MINORIS, Symphythi minimi. Maßliebenkraut, kleine Gänseblumen, Marienblumen-Kraut. *Herbe de Baquerette vivace, de petite Marguerite.* — *Bellidis perennis* L. (v. Flor. p. 62.), Folia radicalia in orbem digesta, obovata seu spathulata, obtusa, crenata, 3-nervia, hispidula, rigidula; inodora, sapore subirritante nauseoso, amariusculo, acerbo. — *Part. const. praev.*: Principium extractivum proprium acre et adstringens. — *Vis:* pectoralis (?). — Hodie obsoleta.

HERBA BERULAE seu Sii. Schmalblätteriger Wassermerk. *Herbe de Berle à feuilles etroites.* — *Sii angustifolii* L. (*Berulae angustifoliae* Mert. et Koch. — Fl. Bad. I. 669. — Cl. cet. v. Herba Cicutae p. 108.), plantae perennis locis aquosis passim frequentis, caule erecto, leviter striato, cavo, ramosissimo, umbellis mediocribus terminalibus et oppositifoliis, pedunculatis, Floribus albis petalis aequalibus obcordatis cum lacinula inflexa, fructibus oviformibus solidis, a latere contractis, subdidymis, costatis, costis filiformibus aequalibus, duobus antemarginalibus, multivittatis, vittis internis. Folia magna, super aquam simpliciter pinnata, foliolis ovato-oblongis, obtusiusculis, duplicato et inaequaliter serratis, passim plus minus lobatis, summis angustioribus, lanceolatis, glabra; odore bituminoso, et sapore amaro, subacri. — *Vis:* resolvens, diuretica, antiscorbutica. — *Usus:* In decocto. — *Praep.*: Succus expressus. — Planta suspecta apud nos non adhibetur.

HERBA BETAE, Ciclae. Mangoldblätter. *Herbe de Bette blanche.* — *Betae vulgaris* L., var. *Ciclae* (Fl. Bad. I. 574.), e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Chenopodiearum, plantae Europae meridionalis et Orientis, apud nos cultae, radice tenui, cylindrico-fusiformi, subcarnosa, Folia praemagna petiolata, late ovato-oblonga, undulata, glaberrima, nitentia; odore debili saporeque subdulci, herbaceo. — Applicatur cuti refrigerandi, et, epidermide ope vesicatorii ablata, resarciendi causa; Succus expressus interne adhibetur.

HERBA BETONICAE, Veronicae purpureae. Betonienkraut, Wiesenbetonie, Zehrkraut. *Herbe de Betoine.* — *Betonicae officinalis* L. et *Bet. strictae* Ait. (v. Flores p. 62.) Folia speciosa, longe petiolata, oblongo-cordata, obtusa, crenata, hirsuta, saturate viridia, inter siccandum facile nigrescentia; odore debili nauseoso, sapore ingrato, amaro, gutturali. Pulvis sternutationem excitat. — *Part. const. praev.*: Principium proprium extractivum (?). — *Vis:* incitans, pectoralis, nervina, errhina. — *Usus:* In pulvere, infuso raro.— *Praep.*: olim Aqua, Syrupus, Conserva, Emplastrum. — Hodie (immerito) fere exolevit.

HERBA BIDENTIS, Verbesinae, Cannabinae aquaticae. Zweizahnkraut, gelber Wasserhanf oder Dost, Wasserdürrwurz-Kraut, Deutsche Acmelle. *Herbe de Bident* (v. Flor. p. 62.) Folia petiolata, subconnata, indivisa, lanceolata (Bidentis cernuae) et 3-partita, lanceolata (Bidentis 3-partitae), glabriuscula; digitis trita, odorem spargentia ingratum aromaticum, sapore primo herbaceo, deinde acri ardente, adstringente. — Loco Herbae Acmellae olim commendabatur. — Hodie exolevit.

HERBA BLATTARIAE. Motten-, Wei-kraut, Schabenkraut *Herbe de Bouillon mitier.* — *Verbasci Blattariae* L. (Fl. Bad. I. 502. — Cl. cet. v. Fl. Verbasci p. 63.), plantae biennis indigenae, caule erecto simplici, vel parum ramoso, glabro, floribus speciosis luteis in racemum rarum, laxum digestis, staminibus violaceo-barbatis, Folia speciosa, sessilia, subamplexicaulia, obovata, inaequaliter crenata, subsinuata, glabra, saturate viridia; odore nauseoso et sapore amaro. — *Vis:* anthelminthica (?). — Hodie exolevit.

HERBA BLITI. Kleines Amaranth-Kraut. *Herbe d'Amaranthe blette.* — *Amaranthi Bliti* L. (Fl. Bad. III. 688.), e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Amaranthacearum, plantae annuae indigenae in hortis, agris, ad vias, crescentis, caule diffuso, floribus verticillatis, spicato-glomeratis, exiguis, viridibus; Folia petiolata rhomboideo-ovata, retusa, glabra, colore viridi cum rubro mixto. — Hodie exolevit.

HERBA BOCCONIAE. Bocconienkraut. *Herbe de Bocconie.— Bocconiae frutescentis* L., e cl. Dodecandria, ord. Monogynia, fam. Papaveracearum, fruticis Americae meridionalis, Indiae occidentalis, Folia magna, oblonga, pinnatifida, subtus tomentosa, Herbae Brancae ursinae italicae (v. infra) similia; acerrima, caustica. Contra hydropem, et Succus eorum croceus ad delendas verrucas et maculas corneae, adhibetur.

HERBA BOEHMERIAE. Boehmerienkraut. *Herbe de Boehmerie.—Boehmeriae caudatae* Sw. (Cl. cet. v. Flores Urticae dioicae p. 73.), fruticis Jamaicensis, Folia longe petiolata, ovato-oblonga, acuminata, serrata, hirsuta. — In Brasilia contra haemorrhoides adhibetur.

HERBA BONI HENRICI, Chenopodii seu Lapathi unctuosi. Guter, stolzer Heinrich, gemeiner Gänsefuß, Hundsmelde, Schmeraei, wilder Spinat. *Herbe de Bon Henri, Epinard sauvage. — Chenopodii Boni Henrici* L. (Fl. Bad. I. 562.— Cl. cet. ut Hb. Betae p. 99.), plantae perennis indigenae vulgatissimae, caule erecto simplici, vel ramoso, floribus exiguis viridescentibus, in spicas compositas, glomeratas, aphyllas, axillares terminalesque congestis, Folia magna petiolata, triangulari hastata, integerrima, glabra, subtus subfarinosa; inodora, sapore salso, mucilaginoso. — Contra scabiem adhibebatur; externe vulneribus, ulceribus et membris podagra affectis imponi solebant. — Hodie exolevit.

HERBA BORRAGINIS, Buglossi latifolii seu veri, urbani. Boretsch- oder Boretsch-Kraut. *Herbe de Bourrache*, (v. Flores p. 62.), Folia magna, inferiora longe petiolata, obovata, superiora sessilia, oblonga, subcordata, omnia hispida, margine sub-undulato-crispa, ciliata, integerrima, superne saturate viridia, subtus pallidiora; odore debili cucumerino, sapore subsalso, aquoso; aestate colligenda. — *Part. const. praev.:* Mucilago et Salia varia, praecipue nitrica. — *Vis:* refrigerans, resolvens. — *Usus:* In infuso. — *Praep.:* Succus expressus, Extractum, Aqua, Syrupus.

HERBA BOTRYOS MEXICANAE, Chenopodii ambrosioidis, Atriplicis Mexicanae, Thea Silesiaca, Romana seu Hispanica. Mexikanisches Traubenkraut, Jesuiter-Thee. *Thé d'Espagne, du Mexique. — Chenopodii ambrosioidis* L. (Fl. Bad. I. 569 — Cl. cet. v. Herba Atriplicis foetidae p. 96.), plantae annuae Americae australis, Mexicanae, nunc et in Europa meridionali passimque Germania sponte crescentis et hortensis, caule erecto, ramoso, striato, sulcato, glabro, Folia mediocria, breviter petiolata, lanceolata, remote dentata, subsinuata, superiora integerrima, omnia laete viridia, superne glabra, subtus glanduloso-punctata, una cum Summitatibus florentibus in racemos spiciformes, interrupte glomeratos, foliatos, florum exiguorum viridium, digestis, colligenda celeriterque siccanda. Herba siccata colore gaudet laete viridi-subflavicante, odore forti grate aromatico et sapore aromatico, camphorino-refrigerante. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* excitans, resolvens, pectoralis, nervina, anthelminthica. — *Usus:* In pulvere raro, praecipue in infuso. — *Praep.:* Tinctura, Syrupus, Conserva, Oleum aethereum.

HERBA BOTRYOS VULGARIS. Gemeines Traubenkraut, eichenblättriger Gänsefuß *Herbe de Botrys commun. — Chenopodii Botryos* L. (Cl. cet. praecedentis), plantae annuae Europae australis passimque Germaniae et Americae septentrionalis, praecedenti similis, sed ex toto piloso-viscidae, Folia priorum plerumque minora, petiolata, oblonga, sinuata, superiora spathulato-lanceolata, integerrima, cum Summitatibus florentibus, cymas axillares, breves, diffusas, aphyllas, pallide flavicante-virides exhibentibus, colligenda; odore forti balsamico-aromatico, sapore aromatico-amariusculo. — *Part. const. praev. Vires* et *Usus:* praecedentis, sed vires debiliores.

HERBA BRANCAE URSINAE GERMANICAE. Deutsche, gemeine, Bärenklaue, Heilkraut. *Herbe de Berce Branc ursine, fausse Acanthe. — Heraclei Sphondylii* L. (Fl. Bad. I. 659. — Cl. cet. v. Hb. Cicutae p. 108.), plantae perennis in pratis cet. vulgaris, caule erecto, crasso, ramoso, sulcato, hirto, fistuloso, umbellis magnis, planiusculis, floribus albidis, subdifformibus, Folia ampla, vaginantia, pinnata, bijuga, foliolis lateralibus magnis, petiolatis, sinuato-lobatis, extremo 3-lobo, palmato-acutiusculo, omnibus serratis, et (cum petiolo) scabro-hirsutis, subtus albidis; odore debili herbaceo, haud grato, sapore herbaceo, subsalso, acriusculo, subamaro. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum, Saccharum et Mucilago. — *Vis:* incitans, resolvens. — *Usus:* In infuso, Succus expressus, externe ad fomentationes, pro balneis. — Hodie fere exolevit.

*HERBA BRANCAE URSINAE ITALICAE, seu verae, Ursini, Acanthi. Aechte Bärenklaue, Schleimbärenklaue. *Herbe d'Acanthe, Branc ursine.— Acanthi mollis* L., e cl. Didynamia, ord. Angiospermia, fam. Acanthacearum, plantae perennis Italiae, Graeciae, littoralis, caule erecto simplici, floribus speciosis, corolla unilabiata, alba, margine rubello, in spicam secundam bracteatam, bracteis latis, foliaceis, dentato-spinosis digestis, Folia radicalia praemagna, oblonga, lata, sinuato-pinnatifida, acutangulata, inermia, nitida; inodora. Multa mucilagine gaudentia. — *Vis:* emolliens. — Apud nos non adhibetur.

HERBA BRASSICAE OLERACEAE L. Kohlkraut. *Herbe de Choux du Potager.*— (Fl. Bad. III. 95.), e cl. Tetradynamia, ord. Siliquosa, fam. Cruciferarum, plantae annuae notissimae, (cujus multae per culturam existunt varietates), Folia praemagna, repanda sive lobata, glauca, glaberrima, firma, carnosa; odore debili, haud grato, sapore aquoso, dulcescente, subacri. — *Usus:* diaeteticus. Folia ut refrigerans cuti imponuntur, ut Folia Betae (p. 99.) Varietati Brassicae rubrae (Rothkohl) pectorales vires adscribuntur.

HERBA BUGLOSSI, Anchusae seu Linguae Bovis. Ochsenzungenkraut *Herbe de Buglosse* — (v. Flores p. 63.), Folia speciosa, oblongo-lanceolata, radicalia longe petiolata, caulina minora sessilia, omnia

integerrima, hirsuta, scabra, saturate viridia, siccata canescentia; inodora et insipida, mucilaginosa. — Hodie obsoleta. — Ne confundatur cum Foliis sequentis plantae, vel cum Foliis Cynoglossi (p. 114.).

HERBA BUGLOSSI AGRESTIS seu Echii, Viperinae. Natterkopf Kraut, Acker-Ochsenzunge. *Herbe de Viperine.* — *Echii vulgaris* L. (Fl. Bad. I. 433. — Cl. cet. praecedentis), plantae biennis, ad vias cet. vulgaris, caule erecto subsimplici, firmo, tuberculis nigricantibus et setis hirsutis scabro, floribus speciosis, primo purpureis, postremo coeruleis, corolla subringente, staminibus exsertis, in racemos secundos, terminales, spiciformes, elongatos congestis, Folia lineari-lanceolata, obtusa, hirsutissima; inodora et fere insipida, mucilaginosa. — Hodie exolevit.

HERBA BUGULAE, Consolidae mediae majoris. Gülden-Günsel, Guckuks-Günsel, Berg-Günsel Kraut. *Herbe de Bugle pyramidale.* — *Ajugae pyramidalis* L. (Fl. Bad. II. 511. — Cl. v. Herba Basilici p. 98.), plantae perennis indigenae locis siccis montosis, graminosis vulgaris, caule simplici erecto, tetragono, villoso, Folia speciosa, villosa, radicalia maxima, obovato-oblonga, crenata, in orbem congesta, caulina decrescendo minora, sessilia, cum spicis verticillatis foliaceis, florum coeruleorum corollaque bilabiata, labio superiori minimo, emarginato, colligenda; inodora fere et subadstringentia, amariusculo-salsa. — Hodie obsoleta — uti

HERBA BUGULAE seu Consolidae mediae minoris, Symphyti medii. Kriechender oder Wiesen-Günsel, Zapfenkraut. *Herbe de Bugle rampante.* — *Ajugae reptantis* L. (Fl. Bad. II. 573.), plantae perennis, locis humidis, in pratis cet. vulgatissimae, praecedentis simillimae, sed magis glabrae, stolonibus repentibus insignis, Folia, — quae similibus virtutibus gaudent eodemque ac praecedens modo adhibentur.

HERBA BUPHTHALMI. Ackerkamille, falsche geruchlose Kamille. *Herbe d'Anthemide des Champs.* — *Anthemidis arvensis* L. (Fl. Bad. III. 481. — Cl. cet. v. Flor. Chamomillae p. 64.), plantae annuae, in agris vulgaris, habitu Matricariae Chamomillae, sed magis villosae, Folia subglauca bipinnata, multifida, laciniis chamomillae foliis paullo latioribus, cum floribus (calathiis), Anthemidis Cotulae (p. 64.) simillimis, sed paleis receptaculi (anthoclinii) latioribus lanceolatis, colligenda; fere inodora, sapore acri-pungente. — Hodie obsoleta.

HERBA BUPHTHALMI VULGARIS. Färberkamillen-Kraut, Gilblumen-Kraut *Herbe de Chamomille des teinturiers.* — *Anthemidis tinctoriae* L. (v. Flores p. 63.), Folia bipinnatifida, laciniis lineari-bus, inciso-serratis, pubescentia, incana; odore ingrato aromatico, sapore herbaceo, sub-acri. — Hodie obsoleta.

HERBA BURSAE PASTORIS, Cancri, Sanguinariae. Täschelkraut, Hirtentäschel. *Herbe de Bourse à Pasteur.* — *Thlaspeos Bursae pastoris* L. (Fl. Bad. III. 30. — Cl. cet. v. Herba Cochleariae p. 110.), plantae annuae vulgatissimae, caule erecto, vel adscendente, plerumque ramoso, floribus exiguis albis, cum siliculis 3-angularibus, obcordatis, compressis, racemos longos, erectos formantibus, Folia radicalia in orbem digesta, petiolata, runcinata, inciso-pinnatifida passimque subintegra, plus minus pilosa quandoque incana; odore debili ingrato, nasturtiino, sapore herbaceo, post acri-nauseoso, amariusculo. (Planta aestate locis siccis apricis colligenda et celerrime caute siccanda est.) — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium amarum. — *Vis:* sanguinem sistens et febrifuga (?). — *Usus:* In pulvere, infuso. Herba recens comedi praescribitur, externe cuti imponitur.

HERBA (Herva) DE CABRA. Hoc nomine *Eupatorii crenati* Gom. (Cl. cet. v. Hb. Eupatorii p. 117.), plantae Brasiliensis, Folia cordata, crenata, prostant. — Eorum succus in patria contra morsum serpentum venenatorum adhibetur.

HERBA CACALIAE TOMENTOSAE. Wolliger Huflattig *Herbe de Tussilage duveté.* — *Tussilaginis frigidae* L. (Cl. cet. v. Herba Farfarae p. 118.), plantae perennis Europae et Americae borealis, floribus albis radiatis, in thyrsum congestis, Folia ampla, rotundato-cordata, sinuata, inaequaliter dentata, subtus tomentosa, carnosa. — In America uti herba farfarae, sed apud nos non adhibetur.

HERBA CACHEN-LAGUEN, Canchu-lagua. Chilesisches Chironskraut. *Herbe de Chancelagua.* — *Chironiae Chilensis* W. (*Erythraeae Cachen-Laguen* Feuill. — Cl. cet. v. Herba Centaurii minoris p. 105.), plantae annuae Chilensis, Erythraeae Centaurii simillimae, Folia avenia, lanceolata, cum Summitatibus florentibus, florum roseorum calycibus adpressis praeditorum, colligenda. — *Vires:* ut herbae centaurii minoris.

HERBA CAKILES, Erucae maritimae, Raphani marini. Meersenfkraut *Herbe de Caquillier.* — *Cakiles maritimae* Scop. (*Buniatis Cakiles* L.), e cl. Tetradynamia, ord. Siliculosa (Synclystarum Spr.) fam. Cruciferarum, plantae annuae littoralis, floribus speciosis, rubris, racemosis, Folia ovato-lanceolata, profunde obtuse dentata vel pinnatifida, basi canaliculata, carnosa; sapore acri-salso. — *Praep.:* Aqua. — Apud nos non adhibetur.

HERBA CALAMINTHAE, Calaminthae montanae, Calmontanae Bergmelisse oder Münze, Berg-Kalaminthe. *Herbe de Calament de montagne.* — *Thymi Calaminthae* Scop. (*Melissae Calaminthae* L. — Fl. Bad. II. 652. — Cl. cet. v. Herba Basilici p. 98.), plantae perennis indigenae, montosae, habitu Melissae, pedunculis cymosis, subtrichotomis, inferioribus folio brevioribus, floribus speciosis violaceo-rubris, in paniculam racemosam, secundam digestis, Folia mediocria, petiolata, ovata, vel subcordato-ovata, obtusa, obsolete, subinde grosse, serrata, saturate viridia, utrinque villosa; odore et sapore aromatico fragrante. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* incitans, nervina, resolvens. — Hodie fere exolevit.

HERBA CALAMINTHAE INCANAE. Cretische Melisse oder Thymian. *Herbe de Calament à l'odeur de pouliot.* — *Thymi cretici* Dec. (*Melissae creticae* L. — Cl. cet. praeced.), plantae Europae australis et Orientis, Folia ovata, obtusiuscula, subdentata, albido-villosa; odore ac sapore aromatico pungente. — Apud nos non adhibetur.

HERBA CALAMINTHAE MONTANAE MAGNO FLORE, praestantiori. Großblumige Me-

HERBA BOCCONIAE. Bocconienkraut. *Herbe de Bocconie.— Bocconiae frutescentis* L., e cl. Dodecandria, ord. Monogynia, fam. Papaveracearum, fruticis Americae meridionalis, Indiae occidentalis, Folia magna, oblonga, pinnatifida, subtus tomentosa, Herbae Brancae ursinae italicae (v. infra) similia; acerrima, caustica. Contra hydropem, et Succus eorum croceus ad delendas verrucas et maculas corneae, adhibetur.

HERBA BOEHMERIAE. Boehmerienkraut *Herbe de Boehmerie.—Boehmeriae caudatae* Sw. (Cl. cet. v. Flores Urticae dioicae p. 73.), fruticis Jamaicensis, Folia longe petiolata, ovato-oblonga, acuminata, serrata, hirsuta. — In Brasilia contra haemorrhoides adhibetur.

HERBA BONI HENRICI, Chenopodii seu Lapathi unctuosi. Guter, stolzer Heinrich, gemeiner Gänsefuß, Hundsmelde, Schmergel, wilder Spinat. *Herbe de Bon Henri, Epinard sauvage. — Chenopodii Boni Henrici* L. (Fl. Bad. I. 562.— Cl. cet. ut Hb. Betae p. 99.), plantae perennis indigenae vulgatissimae, caule erecto simplici, vel ramoso, floribus exiguis viridescentibus, in spicas compositas, glomeratas, aphyllas, axillares terminalesque congestis, Folia magna petiolata, triangulari hastata, integerrima, glabra, subtus subfarinosa; inodora, sapore salso, mucilaginoso. — Contra scabiem adhibebatur; externe vulneribus, ulceribus et membris podagra affectis imponi solebant. — Hodie exolevit.

HERBA BORRAGINIS, Buglossi latifolii seu veri, urbani. Boragsch- oder Boretsch-Kraut. *Herbe de Bourrache*, (v. Flores p. 62.), Folia magna, inferiora longe petiolata, obovata, superiora sessilia, oblonga, subcordata, omnia hispida, margine sub-undulato-crispa, ciliata, integerrima, superne saturate viridia, subtus pallidiora; odore debili cucumerino, sapore subsalso, aquoso; aestate colligenda. — *Part. const. praev.*: Mucilago et Salia varia, praecipue nitrica. — *Vis*: refrigerans, resolvens. — *Usus*: In infuso. — *Praep.*: Succus expressus, Extractum, Aqua, Syrupus.

HERBA BOTRYOS MEXICANAE, Chenopodii ambrosioidis, Atriplicis Mexicanae, Thea Silesiaca, Romana seu Hispanica. Mexikanisches Traubenkraut, Jesuiter-Thee. *Thé d'Espagne, du Mexique. — Chenopodii ambrosioidis* L. (Fl. Bad. I. 569. — Cl. cet. v. Herba Atriplicis foetidae p. 96.), plantae annuae Americae australis, Mexicanae, nunc et in Europa meridionali passimque Germania sponte crescentis et hortensis, caule erecto, ramoso, striato, sulcato, glabro, Folia mediocria, breviter petiolata, lanceolata, remote dentata, subsinuata, superiora integerrima, omnia laete viridia, superne glabra, subtus glanduloso-punctata, una cum Summitatibus florentibus in racemos spiciformes, interrupte glomeratos, foliatos, florum exiguorum viridium, digestis, colligenda celeriterque siccanda. Herba siccata colore gaudet laete viridi-subflavicante, odore forti grate aromatico et sapore aromatico, camphorino-refrigerante. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum. — *Vis*: excitans, resolvens, pectoralis, nervina, anthelminthica. — *Usus*: In pulvere raro, praecipue in infuso. — *Praep.*: Tinctura, Syrupus, Conserva, Oleum aethereum.

HERBA BOTRYOS VULGARIS. Gemeines Traubenkraut, eichenblätteriger Gänsefuß *Herbe de Botrys commun. — Chenopodii Botryos* L. (Cl. cet. praecedentis), plantae annuae Europae australis passimque Germaniae et Americae septentrionalis, praecedenti similis, sed ex toto piloso-viscidae, Folia priorum plerumque minora, petiolata, oblonga, sinuata, superiora spathulato-lanceolata, integerrima, cum Summitatibus florentibus, cymas axillares, breves, diffusas, aphyllas, pallide flavicante-virides exhibentibus, colligenda; odore forti balsamico-aromatico, sapore aromatico-amariusculo. — *Part. const. praev. Vires* et *Usus*: praecedentis, sed vires debiliores.

HERBA BRANCAE URSINAE GERMANICAE. Deutsche, gemeine, Bärenklaue, Heilkraut. *Herbe de Berce Branc ursine, fausse Acanthe. — Heraclei Sphondylii* L. (Fl. Bad. I. 659. — Cl. cet. v. Hb. Cicutae p. 108.), plantae perennis in pratis cet. vulgaris, caule erecto, crasso, ramoso, sulcato, hirto, fistuloso, umbellis magnis, planiusculis, floribus albidis, subdifformibus, Folia ampla, vaginantia, pinnata, bijuga, foliolis lateralibus magnis, petiolatis, sinuato-lobatis, extremo 3-lobo, palmato-acutiusculo, omnibus serratis, et (cum petiolo) scabro-hirsutis, subtus albidis; odore debili herbaceo, haud grato, sapore herbaceo, subsalso, acriusculo, subamaro. — *Part. const. praev.*: Principium extractivum, Saccharum et Mucilago. — *Vis*: incitans, resolvens. — *Usus*: In infuso, Succus expressus, externe ad fomentationes, pro balneis. — Hodie fere exolevit.

HERBA BRANCAE URSINAE ITALICAE, seu verae, Ursini, Acanthi. Aechte Bärenklaue, Schleimbärenklaue. *Herbe d'Acanthe, Branc ursine.* — *Acanthi mollis* L., e cl. Didynamia, ord. Angiospermia, fam. Acanthacearum, plantae perennis Italiae, Graeciae, littoralis, caule erecto simplici, floribus speciosis, corolla unilabiata, alba, margine rubello, in spicam secundam bracteatam, bracteis latis, foliaceis, dentato-spinosis digestis, Folia radicalia praemagna, oblonga, lata, sinuato-pinnatifida, acutangulata, inermia, nitida; inodora. Multa mucilagine gaudentia. — *Vis*: emolliens. — Apud nos non adhibetur.

HERBA BRASSICAE OLERACEAE L. Kohlkraut. *Herbe de Choux du Potager.*— (Fl. Bad. III. 95.), e cl. Tetradynamia, ord. Siliquosa, fam. Cruciferarum, plantae annuae notissimae, (cujus multae per culturam existunt varietates), Folia praemagna, repanda sive lobata, glauca, glaberrima, firma, carnosa; odore debili, haud grato, sapore aquoso, dulcescente, subacri. — *Usus*: diaeteticus. Folia ut refrigerans cuti imponuntur, ut Folia Betae (p. 99.) Varietati Brassicae rubrae (Rothkohl) pectorales vires adscribuntur.

HERBA BUGLOSSI, Anchusae seu Linguae Bovis. Ochsenzungenkraut *Herbe de Buglosse* — (v. Flores p. 63.), Folia speciosa, oblongo-lanceolata, radicalia longe petiolata, caulina minora sessilia, omnia

integerrima, hirsuta, scabra, saturate viridia, siccata canescentia; inodora et insipida, mucilaginosa. — Hodie obsoleta. — Ne confundatur cum Foliis sequentis plantae, vel cum Foliis Cynoglossi (p. 114.).

HERBA BUGLOSSI AGRESTIS seu Echii, Viperinae. Natterkopf-Kraut, Acker-Ochsenzunge. *Herbe de Viperine.* — *Echii vulgaris* L. (Fl. Bad. I. 433. — Cl. cet. praecedentis), plantae biennis, ad vias cet. vulgaris, caule erecto subsimplici, firmo, tuberculis nigricantibus et setis hirsutis scabro, floribus speciosis, primo purpureis, postremo coeruleis, corolla subringente, staminibus exsertis, in racemos secundos, terminales, spiciformes, elongatos congestis, Folia lineari-lanceolata, obtusa, hirsutissima; inodora et fere insipida, mucilaginosa. — Hodie exolevit.

HERBA BUGULAE, Consolidae mediae majoris. Gülden-Günsel, Guckuks-Günsel, Berg-Günsel Kraut. *Herbe de Bugle pyramidale.* — *Ajugae pyramidalis* L. (Fl. Bad. II. 511. — Cl: v. Herba Basilici p. 98.), plantae perennis indigenae locis siccis montosis, graminosis vulgaris, caule simplici erecto, tetragono, villoso, Folia speciosa, villosa, radicalia maxima, obovato-oblonga, crenata, in orbem congesta, caulina decrescendo minora, sessilia, cum spicis verticillatis foliaceis, florum coeruleorum corollaque bilabiata, labio superiori minimo, emarginato, colligenda; inodora fere et subadstringentia, amariusculo-salsa. — Hodie obsoleta — uti

HERBA BUGULAE seu Consolidae mediae minoris, Symphyti medii. Kriechender oder kleiner Günsel, Zapfenkraut. *Herbe de Bugle rampante.* — *Ajugae reptantis* L. (Fl. Bad. II. 573.), plantae perennis, locis humidis, in pratis cet. vulgatissimae, praecedentis simillimae, sed magis glabrae, stolonibus repentibus insignis, Folia, — quae similibus virtutibus gaudent eodemque ac praecedens modo adhibentur.

HERBA BUPHTHALMI. Ackerkamille, falsche geruchlose Kamille. *Herbe d'Anthemide des Champs.* — *Anthemidis arvensis* L. (Fl. Bad. III. 481. — Cl. cet. v. Flor. Chamomillae p. 64.), plantae annuae, in agris vulgaris, habitu Matricariae Chamomillae, sed magis villosae, Folia subglauca bipinnata, multifida, laciniis chamomillae foliis paullo latioribus, cum floribus (calathiis), Anthemidis Cotulae (p. 64.) simillimis, sed paleis receptaculi (anthoclinii) latioribus lanceolatis, colligenda; fere inodora, sapore acri-pungente. — Hodie obsoleta.

HERBA BUPHTHALMI VULGARIS. Färberkamillen-Kraut, Gilblumen-Kraut *Herbe de Chamomille des teinturiers.* — *Anthemidis tinctoriae* L. (v. Flores p. 63.), Folia bipinnatifida, laciniis lineari-bus, inciso-serratis, pubescentia, incana; odore ingrato aromatico, sapore herbaceo, sub-acri. — Hodie obsoleta.

HERBA BURSAE PASTORIS, Cancri, Sanguinariae. Täschelkraut, Hirtentäschel. *Herbe de Bourse à Pasteur.* — *Thlaspeos Bursae pastoris* L. (Fl. Bad. III. 30. — Cl. cet. v. Herba Cochleariae p. 110.), plantae annuae vulgatissimae, caule erecto, vel adscendente, plerumque ramoso, floribus exiguis albis, cum siliculis 3-angularibus, obcordatis, compressis, racemos longos, erectos formantibus, Folia radicalia in orbem digesta, petiolata, runcinata, inciso-pinnatifida passimque subintegra, plus minus pilosa quandoque incana; odore debili ingrato, nasturtiino, sapore herbaceo, post acri-nauseoso, amariusculo. (Planta aestate locis siccis apricis colligenda et celerrime caute siccanda est.) — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium amarum. — *Vis:* sanguinem sistens et febrifuga (?). — *Usus:* In pulvere, infuso. Herba recens comedi praescribitur, externe cuti imponitur.

HERBA (Herva) DE CABRA. Hoc nomine *Eupatorii crenati* Gom. (Cl. cet. v. Hb. Eupatorii p. 117.), plantae Brasiliensis, Folia cordata, crenata, prostant. — Eorum succus in patria contra morsum serpentum venenatorum adhibetur.

HERBA CACALIAE TOMENTOSAE. Wolliger Huflattig *Herbe de Tussilage duveté.* — *Tussilaginis frigidae* L. (Cl. cet. v. Herba Farfarae p. 118.), plantae perennis Europae et Americae borealis, floribus albis radiatis, in thyrsum congestis, Folia ampla, rotundato-cordata, sinuata, inaequaliter dentata, subtus tomentosa, carnosa. — In America uti herba farfarae, sed apud nos non adhibetur.

HERBA CACHEN-LAGUEN, Canchu-lagua. Chilesisches Chironskraut. *Herbe de Chancelagua.* — *Chironiae Chilensis* W. (*Erythraeae Cachen-Laguen* Feuill. — Cl. cet. v. Herba Centaurii minoris p. 105.), plantae annuae Chilensis, Erythraeae Centaurii simillimae, Folia avenia, lanceolata, cum Summitatibus florentibus, florum roseorum calycibus adpressis praeditorum, colligenda. — *Vires:* ut herbae centaurii minoris.

HERBA CAKILES, Erucae maritimae, Raphani marini. Meersenfkraut *Herbe de Caquillier.* — *Cakiles maritimae* Scop. (*Buniadis Cakiles* L.), e cl. Tetradynamia, ord. Siliculosa (Synclystarum Spr.) fam. Cruciferarum, plantae annuae littoralis, floribus speciosis, rubris, racemosis, Folia ovato-lanceolata, profunde obtuse dentata vel pinnatifida, basi canaliculata, carnosa; sapore acri-salso. — *Praep.:* Aqua. — Apud nos non adhibetur.

HERBA CALAMINTHAE, Calaminthae montanae, Calmontanae Bergmelisse oder Münze, Berg-Kalaminthe. *Herbe de Calament de montagne.* — *Thymi Calaminthae* Scop. (*Melissae Calaminthae* L. — Fl. Bad. II. 652. — Cl. cet. v. Herba Basilici p. 98.), plantae perennis indigenae, montosae, habitu Melissae, pedunculis cymosis, subtrichotomis, inferioribus folio brevioribus, floribus speciosis violaceo-rubris, in paniculam racemosam, secundam digestis, Folia mediocria, petiolata, ovata, vel subcordato-ovata, obtusa, obsolete, subinde grosse, serrata, saturate viridia, utrinque villosa; odore et sapore aromatico fragrante. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* incitans, nervina, resolvens. — Hodie fere exolevit.

HERBA CALAMINTHAE INCANAE. Cretische Melisse oder Thymian. *Herbe de Calament à l'odeur de pouliot.* — *Thymi cretici* Dec. (*Melissae creticae* L. — Cl. cet. praeced.), plantae Europae australis et Orientis, Folia ovata, obtusiuscula, subdentata, albido-villosa; odore ac sapore aromatico pungente. — Apud nos non adhibetur.

HERBA CALAMINTHAE MONTANAE MAGNO FLORE, praestantiori. Großblumige Me-

lisse oder Kalaminthe *Herbe de Calament à fleurs grandes,* — *Melissae grandiflorae* L. (Cl. cet. praecedentis), plantae Europae meridionalis, Austriae, praecedentis habitu, pedunculis axillaribus solitariis, sub-3-floris, floribus magnis violaceis vel albidis, corolla elongata, infundibiliformi, calyce 3-plo longiore, Folia, petiolata, ovata vel ovato-lanceolata, acuta, argute serrata, utrinque villosa, subhirsuta; odore pariter grate aromatico. — *Vires* et *Usus*: praecedentis. — Apud nos non adhibetur.

HERBA CALAMINTHAE VULGARIS, agrestis, Calaminthae Pulegii odore, Nepetae Catariae, vel officinalis Anglorum, Melissae Nepetae, Katzenmünzartige Calaminthe, Poleymelisse *Herbe de Calament des Champs, de petit Calament.* — *Thymi Nepetae* Scop. (*Melissae Nepetae* L. — Fl. Bad. II. 683. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis indigenae, hinc inde in arvis, locis apricis, ad silvarum margines, occurrentis, Calaminthae simillimae, sed caule debiliore, subdecumbente, pedunculis dichotomo-corymbosis, folio saepissime longioribus, floribus minoribus, Folia minora, ovato-lanceolata, acuta, argute serrata, villosa, subtus incana; odore forti, ingrate aromatico, Pulegii simili. — Hodie obsoleta.

HERBA CALCATRIPPAE, Consolidae regalis. Rittersporenkraut. *Herbe de Pied d'Alouette*— (v. Flor. p. 63.), Folia subternato-composita, laciniis angustis, linearibus, villosula; inodora, primo insipida, sed post saporem gutturalem in ore excitantia. — Herba suspecta narcotico-acris (?). — Hodie obsoleta.

HERBA CALCITRAPAE, Cardui stellati. Sterndistelkraut. *Herbe de Chausse trappe.* — *Centaureae Calcitrapae* L. (*Calcitrapae stellatae* Lamk. *Calcitr. Hippophaesti* Gaertn. — Fl. Bad. III. 505.— Cl. cet. v. Herba Cardui benedicti p. 104.), plantae annuae vel biennis, indigenae, locis arenosis, in ruderatis, ad fluviorum ripas caule erecto, dichotomo, divaricato-ramosissimo, floribus (calathiis) axillaribus terminalibusque, solitariis, sessilibus, mediocribus, flosculis pallide-violaceo-rubellis, calyce communi (anthoclinio) stellato-squarroso, longe spinosissimo, spinis compositis flavis, Folia inferiora profunde pinnatifida, laciniis linearibus, angustis, spinuloso-denticulatis, superiora lanceolata, denticulata, sessilia; omnia glabriuscula, vel pilosula, costa dorsali alba, cum Floribus colligenda; inodora, sapore amarissimo. — *Part. const. praev.*: Principium extractivum amarum. — *Vis*: tonica, febrifuga, diuretica (?) — *Usus*: In pulvere, infuso. — *Praep.*: Succus expressus, Extractum, Collyrium. — Planta efficax, hodie vix usitata, quam maxime commendanda.

HERBA CALENDULAE, Calthae sativae, Verrucariae. Ringelblumen-Kraut, Warzenkraut. *Herbe de Souci ordinaire.* — *Calendulae officinalis* L. (v. Flores p. 63.), Folia, e planta florente colligenda, oblonga, spathulato-ovata, obtusa, integerrima, subrepanda, vel remote denticulata, inferiora in petiolum alatum attenuata, superiora sessilia, amplexicaulia; omnia scabriuscula, subglutinosa, laete viridia, crassiuscula, succulenta; odore debili, ingrato, subnarcotico, sapore amariusculo, salso, subadstringente. — *Part. const. praev.*: Principium extractivum proprium et Calendulinum. — *Vis*: diuretica, resolvens, mundificans, anticarcinomatosa. — *Usus*: In pulvere raro, in decocto. — *Praep.*: Succus expressus. — Extractum, olim Aqua, Syrupus, Conserva.

HERBA CALTHAE PALUSTRIS, seu Populaginis. Sumpfdotterblumen-Kraut, Butter- oder Schmalzblumen-Kraut *Herbe de Calthe*— (v. Flores p. 63.), Folia radicalia speciosa, longe petiolata, reniformia et cordato-rotundata, crenata, glaberrima, nitentia, caulina similia, minora, summa subsessilia; acria. — Hodie obsoleta.

HERBA CAMELINAE, Myagri. Leindotter, Dotterkraut *Herbe de Cameline.* — *Camelinae sativae* Crantz (*Myagri sativi* L. — Fl. Bad. III. 9. — Cl. cet. v. Herba Cochleariae p. 110.), plantae annuae indigenae agrestis et cultae, caule erecto, ramoso, aspero, floribus parvis, pallide luteis, cum siliculis obovatis, inflatis, pyriformibus in racemos laxos digestis, Folia sagittata, lanceolata, integerrima et subdenticulata, aspera, villosa. — Hodie obsoleta.

HERBA (cum FLORIBUS) CAMPANULAE GRAMINIFOLIAE L. Grasblätterige Glockenblumen-Kraut. *Herbe de Campanule à feuilles graminées,* — e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Campanulacearum, plantae perennis Austriae, Hungariae, Italiae, floribus laete violaceis, in capitulum terminalem bracteatum congestis, Folia lineari-subulata, basi ciliata, cum floribus colligenda. — In Russia contra epilepsiam laudabatur.

HERBA CAMPHORATAE. Kamfherkraut. *Herbe de Camphrée de Montpellier.* — *Camphorosmae Monspeliacae* L., e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Chenopodiearum, plantae perennis Europae australis et Orientis, caule procumbente, ramoso, ramis floriferis erectis, pubescentibus, Folia minuta, subulata, hirsuta, cum Summitatibus florentibus, spicas glomeratas, axillares, approximatas, villosissimas, exhibentibus, colligenda; odore fragrantissimo, camphorino, sapore acri-aromatico. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum. — *Vis*: incitans, nervina. — *Usus*: In infuso. - Apud nos hodie vix adhibetur.

HERBA CANNABIS SATIVAE L. Hanfkraut. *Herbe de Chanvre.* — (Fl. Bad. III. 755.), e cl. Dioecia, ord. Pentandria, fam. Urticearum, plantae notissimae, quae crebro colitur, Folia speciosa, petiolata, digitata, 7—9-nata, foliolis lanceolatis, acuminatis, serratis, obscure viridia, asper, nervosa; odore forti nauseoso, et sapore nauseoso. — *Vis*: narcotica. — *Usus*: In infuso. — *Praep.*: Extractum. — Planta efficacissima, digna quae crebrius adhibeatur.

HERBA CANNABIS SILVESTRIS. Nesselhanf, breitblätteriger rauher Hohlzahn *Herbe de Galeope pourpré.* — *Galeopsidis Tetrahit* L. (Fl. Bad. II. 621. — Cl. cet. v. Herba Basilici p. 98.), plantae annuae indigenae vulgatissimae, caule erecto, ramoso, hirsuto, incrassato-geniculato, floribus verticillatis purpureis, calyce dentibus praelongis setaceo-spinosis, corolla calyce duplo circiter longiore, Folia speciosa petiolata, late ovata, acuminata, grosse serrata, hirsuta, saturate viridia; inodora, sapore amariusculo, subadstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA CAPILLORUM VENERIS. Frauenhaar.
Herbe de Capillaire.

Synon.: **Herba Adianti nigri. Venushaar. Capillaire de Montpellier.**

Adiantum Capillus Veneris L., e cl. Cryptogamia, ord. et fam. Filicum, planta perennis Europae meridionalis, rupes inhabitans; Fronde bipinnata glabra, laete viridi, longe petiolata, stipite et rhachi filiformi, atro-fusca, glabra, splendente, firma, foliolis breviter petiolatis, cuneiformi-rotundatis, obtuse-lobatis, soris linearibus marginalibus. Herba inodora, trita autem vel aqua infusa, odorem debilem, haud ingratum, edens, sapore subadstringente, dulciusculo, amariusculo, subacri. Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati colore nigro imbuitur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens et amarum. — *Vis:* pectoralis.

Herba albescens, vel fusca, terra cet. inquinata, rejicienda. Cave confundas cum Herba Adianti rubri et Adianti nigri (p. 91).

Usus: In infuso. — *Praep.:* Syrupus (Conserva); additur quoque Speciebus pectoralibus.

HERBA CAPILLORUM VENERIS CANADENSIS, Adianti Canadensis. Kanadisches oder fußförmiges Frauenhaar *Herbe de Capillaire de Canada.* — *Adiantum pedatum* L., planta Americae borealis et australis, apud nos hortensis, priori similis, sed major; Fronde longe petiolata, pedata, foliolis pinnatis, pinnulis dimidiatis lunulatis, obtusis, lobatis. — In America et Gallia ut praecedens adhibetur; apud nos hucusque nondum in usum venit.

HERBA CAPNOIDIS. Graugrüner, immergrüner Taubenkropf oder Erdrauch. *Herbe Capnoide.* — *Corydalidis glaucae* PURSH (*Fumariae sempervirentis* L. — Cl. cet. v. Herba Fumariae p. 119.), plantae annuae Canadensis, floribus extrinsecus rubris, intus flavis, in corymbum digestis, Folia bipinnata, glauca, foliolis cuneatis, 3-partitis; sapore acri-amaro. — Hodie obsoleta.

HERBA CARDAMINES, Nasturtii pratensis, Cuculi. Wiesen-Schaum-Kraut, Wiesenkresse, Wiesenkardamine. *Herbe de Cresson de prés.* — *Cardamines pratensis* L. (v. Flor. p. 63.), Folia radicalia longe petiolata, pinnata, foliolis subrotundis, partim anguloso-dentatis, caulinis inferioribus ellipticis, superioribus angustis, linearibus vel lineari lanceolatis, integerrimis; omnia glabra, odore ac sapore, siquidem teruntur, acri-nasturtiino. — *Usus:* uti Herbae Nasturtii aquatici (v. infra)

HERBA CARDAMINES AMARAE, Nasturtii aquatici majoris amari. Bitteres Schaumkraut, Bitterkresse. *Herbe de Cresson debile.* — *Cardamines amarae* L. (Fl. Bad. III. 57. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis indigenae, in pratis aquosis, ad fossas, in rivulis, locis silvaticis, umbrosis, radice repente stolonifera, caule erecto subsimplici, solido, succulento, Folia radicalia et caulina conformia, pinnata et ternata, foliolis praecedenti majoribus rotundato-ovalibus, repando-angulosis, glabra, laete viridia, succulenta; odore ac sapore acri-nasturtiino, sed Nasturtii aquatici paullo mitiore, gratiore, amariusculo. — *Part. const. praev. Vis* et *Usus:* ut Herbae Nasturtii aquatici (v. infra.).

HERBA CARDIACAE, Brancae seu Patae lupinae, Agripalmae. Herzgespann-Kraut, Wolfstrapp. *Herbe d'Agripaume, de Cardiaque.* — *Leonuri Cardiacae* L. (Fl. Bad. II. 638. — Cl. cet. v. Hb. Ballotae lanatae p. 97.), plantae perennis indigenae, ad vias, sepes, in ruderatis, occurrentis, caule erecto ramoso, aspero, firmo, floribus, in verticillos densos multifloros congestis, parvis, pallide purpurascentibus, calyce 5-dentato, corollae labio superiore integro, concavo, obtuso, extrinsecus villoso, labio inferiore 3-partito, reflexo, Folia speciosa petiolata, cuneiformi-3-5-partita, vel palmato-lobata, lobis inciso-dentatis, 3—5-nervia, saturate viridia, subtus ad nervos pilosula; odore debili haud grato, sapore peramaro. Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati nigro colore imbuitur. — *Part. const. praev.:* Principium amarum et adstringens. — *Vis:* tonica, febrifuga, cardiaca (?), diuretica (?), vulneraria. — Hodie (immerito) exolevit. Forsitan iisdem gaudet virtutibus atque Herba Ballotae lanatae (p. 97.).

HERBA CARDUI BENEDICTI. Kardobenediktenkraut.
Herbe de Chardon benit.

Synon.: Herba Cardui sancti, Centaureae benedictae. Spinnendistelkraut.

Centaureae benedictae L. (*Cnici benedicti* GAERTN., — Flor. Bad. III. 504.) e cl. Syngenesia, ord. Polygamia frustranea, fam. Compositarum, trib. Cynarearum; plantae annuae Europae meridionalis, Hispaniae, Graeciae, quae apud nos colitur, caule erecto, vel procumbente, diffuso-ramoso, floribus (calathiis) mediocribus, solitariis, sessilibus, involucratis, flosculis luteis, calycibus (pericliniis) viscoso-arachnoideis, squamis in spinas longas, pinnatifidas, rubellas, rigidas, desinentibus, Folia mediocria, sessilia, oblonga, integra et sinuata, spinuloso-dentata, utrinque breviter subviscoso-lanata, subaspera, laete viridia, remote reticulato-venosa, primo efflorescentiae tempore colligenda celeriterque siccanda. Recens herba odorem spirat ingratum, siccata inodora, sapore peramaro, subsalso, irritante. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum amarum. *Vis:* tonica, incidens, stomachica, in majori dosi emetica (?).

Sit herba siccata viridis, absque stipitibus floribusque. — Cave confundas cum Herba Cnici oleracei, quae omni caret amaritudine, et Cardui Mariae, infra describenda.

Usus.: In pulvere raro, in infuso, decocto. — *Pracp:* Succus expressus, Extractum, Tinctura (olim Conserva, Aqua, Sal).

HERBA CARDUI ERIOCEPHALI. Wolldistelkraut. *Herbe de Circe laineux.* — *Cirsii eriophori* SCOP. (*Cardui eriophori* L., *Cnici eriophori* W. — Fl. Bad. III. 371.), e cl. Syngenesia, ord. Polygamia aequali, fam. Compositarum, trib. Cynarearum, plantae biennis indigenae speciosae, locis asperis occurrentis, caule erecto ramoso, albo-tomentoso, floribus (calathiis) solitariis erectis, magnis, flosculis purpurascentibus vel albidis, calyce (periclinio), rotundo, squamis apice patente-spinosis praedito, et tomento arachnoideo-albo cincto, Folia magna, sessilia, non decurrentia, oblonga, lata, pinnatifida, laciniis profunde bifidis, longis, divaricatis, sursum deorsumque spectantibus, basi et apice longe spinosa, superne saturate viridia, scabra, subtus albido-tomentosa; sapore amariusculo-salso. — Hodie obsoleta.

HERBA CARDUI FLAVI. Gelbe Distel, merikanische Argemone. *Herbe d'Argemone de Mexique.* — *Argemones Mexicanae* L., e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Papaveracearum, plantae annuae Indiae occidentalis, Mexicanae, caule erecto aculeato, floribus luteis, solitariis, axillaribus terminalibusque, calyce 3-petalo deciduo, corolla 6-petala, Folia sinuata pinnatifida, aculeata, incana, albo-venosa, succo luteo turgentia. — In America pro diaphoretico et Succus expressus in hydrope usurpatur.

HERBA CARDUI MARIAE, lactei, Spinae albae. Mariendistel, Frauendistel, Milchdistel, Stechkerndistel, Froschdistel *Herbe de Chardon Marie.*— *Silybi mariani* GAERTN. (*Cardui mariani* L. — Fl. Bad. III. 365. — Cl. cet. uti Card. eriocephali), plantae annuae speciosae Europae mediae passimque Germaniae, caule erecto ramoso, firmo, sulcato, floribus (calathiis) magnis terminalibus, solitariis, flosculis purpureis, calyce communi (periclinio) squamoso, spinoso, spinis magnis erecto-patentibus, firmis, ad basin spinis ciliatis praeditis, Folia magna, sinuato-pinnatifida, caulina sessilia amplexicaulia, cordata et hastata, margine inaequaliter spinosa, superne glabra, saturate viridia, venis albis picta, firma, subcoriacea; sapore ingrato salso, subacri. — Hodie obsoleta. — Cave accipias pro Herba Card. benedicti (v. supra.).

HERBA CARDUI TOMENTOSI, Acanthii, Onopordi, Spinae albae. Gemeine Krebsdistel, breite Wegdistel, Eselsdistel, Frauendistel, Krampfdistel. *Herbe de Chardon aux Anes.* — *Onopordi Acanthii* L. (Fl. Bad. III. 383. — Cl. cet. praecedentis), plantae grandis biennis, ad vias cet. vulgaris, caule erecto firmo, ramoso, alato, spinosissimo, floribus (calathiis) terminalibus magnis, flosculis rubro-violaceis, calyce (periclinio) depresso-ventricoso, squamis squarrosis spinosis, spinis subulatis, Folia radicalia maxima, oblonga, caulina minora sessilia, decurrentia, omnia sinuato-dentata, spinosa, utrinque plus minus lanuginosa, incana, crassiuscula, carnosa; sapore amaro, nauseoso, herbaceo, subsalso, acerbo. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum amarum et adstringens. — *Vis:* mundificans, vulneraria (?); contra cancrum (?). — Succus expressus externe et interne adhibetur. — Planta sane efficax immerito fere obsoleta.

HERBA CARDUI VENERIS, Dipsaci. Weberkardenkraut, Wolfsstreel Kardenkraut, Rubendistel. *Herbe de Cardière cultivée, Chardon à foulon.* — *Dipsaci silvestris* MILL. (*D. fullonum* L. — Fl. Bad. I. 316.), e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Dipsacearum, plantae biennis speciosae, ad vias, fossarum margines cet. vulgaris, caule erecto firmo, profunde sulcato, aculeato, floribus rubellis in capitulum magnum, ovatum congestis, receptaculo (anthoclinio) paleaceo, paleis rectis setaceis, corolla longioribus, Folia magna connato-perfoliata, oblonga, crenato-serrata, glabra, laete viridia, carnosa, subtus nervosa, costa media alba aculeata; inodora, sapore amaro. — *Vires* stomachicas habere fertur. — Hodie obsoleta. — Ejus loco etiam Herba a *Dipsaco fullonum* MILL., planta Europae meridionalis, quae apud nos colitur, priori simillima, sed caule crassiore, paleis receptaculi (anthoclinii) uncinatis, corolla brevioribus, sumitur.

HERBA CARLINAE SILVESTRIS, Gemeines oder wildes Eberwurzkraut. *Herbe de Carline à tige.* *Carlinae vulgaris* L. (Fl. Bad. III. 387. — Cl. cet. ut Hb. Card. eriocephali p. 104.), plantae biennis indigenae, locis asperis, apricis vulgaris, caule erecto superne ramoso, albo-tomentoso, firmo, floribus (calathiis) solitariis, speciosis, involucratis, in corymbum digestis, flosculis flavescentibus, squamis calycis (periclinii) patentibus, pallide subspinosis, Folia oblonga, sessilia, amplexicaulia, sinuato-dentata, spinosa, subtus subvillosa. — Hodie obsoleta.

HERBA seu SUMMITATES CARTHAMI LANATI. Wolliger Saflor *Herbe de Carthame laineux.* — *Centaureae lanatae* DEC. (*Carthami lanati* L. — Cl. cet. praecedentis), plantae annuae Europae australis, Helvetiae, caule simpliciusculo, lanato, Folia amplexicaulia, lanceolata, pinnatifido-dentata, rigida, glabriuscula, cum Floribus (calathiis) magnis, flavis, involucratis, involucro pinnatifido, spinoso, colligenda. — Apud nos non adhibetur.

HERBA CARVI. Kümmelkraut. *Herbe de Cumin des prés.* — *Cari Carvi* L. (v. Sem.) Folia oblonga, bipinnata, subglaucescentia, foliolis pinnatifidis, laciniis linearibus, mucrone albido vel rubello praeditis; odore debili et sapore herbaceo. — Ad parandum Balsamum viride adhibetur.

HERBA CASSYTAE FILIFORMIS. Fadenförmiges Kassytenkraut. *Herbe de Cuscute filiforme,* — e cl. Enneandria, ord. Monogynia, fam. Laurinearum, plantae Tropicae, parasiticae, aphyllae, Fila volubilia Cuscutae (p. 113.) similia; mucilaginosa. — Succus in India ad incrementum capillorum promovendum adhibetur.

HERBA CAUCALIDIS. Haftdoldenkraut. *Herbe de Caucalier parviflore.* — *Caucalidis leptophyllae* L. (Fl. Bad. I. 624. — Cl. cet. ut Herbae Cicutae p. 108.), plantae annuae parvae Europae australis passimque Germaniae, caule debili ramoso, setuloso, umbellis parvis, longe pedunculatis, plerumque bifidis, absque involucro, fructibus setosis et aculeatis, albumine involuto, Folia bi-tri-pinnata setulosa, foliis Dauci Carotae similia, odore ac sapore aromatico. — Hodie obsoleta.

HERBA CAUDAE MURINAE. Mäuseschwanzkraut, Mäusearaskraut. *Herbe de Ratoncule mineure.* — *Myosurus minimus* L. (Fl. Bad. I. 767.), e cl. Pentandria, ord. Polygynia, fam. Ranunculacearum, Plantula exigua annua, indigena, locis sabulosis humidiusculis, tota colligenda, foliis radicalibus lineari-lanceolatis, integerrimis, in fasciculum congestis, scapis pluribus unifloris, floribus parvis flavescenti-viridibus, caryopsidibus pluribus in spicam elongatam, caudae murinae similem, digestis; sapore acri, subadstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA CENTAUREI LUTEI. Gelber Wiesenenzian, durchwachsene Chlora. *Herbe de Chlore perfeuillé.* — *Chlorae perfoliatae* L. (Fl. Bad. II. 144.), e cl. Octandria, ord. Monogynia, fam. Gentianearum, plantae annuae parvae, indigenae, passim in agris pratisque occurrentis, ubique glabrae, caule erecto subsimplici, floribus solitariis, pedunculatis, speciosis, luteis, corolla hypocrateriformi, Folia parva, glauco-viridia, opposita, perfoliata, integerrima, sapore amaro. — Similibus gaudet viribus ac sequens herba. — Hodie obsoleta.

HERBA seu SUMMITATES CENTAURII MINORIS.

Tausendguldenkraut. *Herbe de petite Centaurée.*

Synon.: Herba seu Comae floridae, Cacumina cum floribus Febrifugae, Fellis terrae Erdgalle, rother Aurin, Fieberkraut. Herbe à Chiron.

Erythraeae Centaurii PERSOON. (*Gentianae Centaurii* L. — Fl. Bad. I. 522), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Gentianearum, plantae annuae indigenae, in pratis, locis graminosis, silvaticis passim frequentis, caule erecto, superne dichotomo-ramoso, glabro, Folia opposita sessilia, inferiora ovalia obtusa, superiora ovato-lanceolata, omnia integerrima, glabra, sub-3-nervia, laete viridia, cum Summitatibus florentibus, cymas fasciculatas florum amoene rubellorum, corolla infundibiliformi, limbo patente exhibentibus, colligenda celeriterque siccanda. Inodora, sapore amarissimo. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum amarum. — *Vis:* tonica, stomochica, febrifuga, resolvens.

Sit herba siccata viridis, stipitum crassiorum expers et flores rubelli. Cave confundas cum Erythraea pulchella FRIES, quae minor, caule inde a basi dichotomo-ramosissimo, floribus axillaribus, solitariis, corolla minori, laciniis angustioribus, lanceolatis.

Usus: In pulvere, infuso. — *Praep.:* Succus expressus. Extrac-

tum, olim Essentia, Conserva, Syrupus, Aqua, Sal. Additur aliis quoque compositionibus.

HERBA CENTUMNODII, Centunodii, Polygoni, Sanguinariae, Sanguinalis. Tausendknöterich, Vogelknöterich, Wegetritt, Wegegras, Blutkraut, Blutgarbe. *Herbe de Renouée, Centinode.* — *Polygonum aviculare* L. (Fl. Bad. II. 177.), e cl. Octandria, ord. Trigynia, fam. Polygonearum, Planta annua parva ad vias cet. vulgatissima; polymorpha, caule decumbente, prostrato et erecto, foliis subsessilibus parvis, ovatis, lanceolatis, margine aspero, saturate viridibus, floribus minutis, axillaribus, subsessilibus, solitariis, binis et ternis, externe viridibus, intus albidis vel rubellis, pentandris - heptandris et trigynis, tota colligenda; sapore subadstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA CEREFOLII, Chaerefolii, Chaerophylli. Kerbel- oder Körbelkraut, Gartenkörbel oder Körfel. *Herbe de Cerfeuil commun.* — *Anthrisci Cerefolii* HOFFM. (*Chaerophylli sativi* CASP. BAUH., *Scandicis Cerefolii* L. — Fl. Bad. I. 696. — Cl. cet. v. Hb. Cicutae p. 108.), plantae annuae notissimae Europae australis, apud nos hortensis. Folia tenera 3-partito decomposita, foliolis ovatis, pinnatifidis, laciniis obtusiusculis, subtus pilis sparsis teneris obsessa, laete viridia; odore forti proprio aromatico, sapore aromatico. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* irritans, carminativa, diuretica, resolvens. — *Usus:* Herba recens, in jusculis, et Succus externe ut resolvens applicatur. *Praep.:* Extractum, Aqua, Oleum aethereum.

HERBA CEREFOLII HISPANICI, Myrrhidis, Cicutariae odoratae. Spanischer Körbel, wohlriechende Süßdolde. *Herbe de Cerfeuil musqué.* — *Myrrhidis odoratae* SCOP (*Scandicis odoratae* L. — Fl. Bad. I. 693. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis Europae meridionalis passimque Germaniae Helvetiaeque, nobis hortensis, praecedenti majoris, fructibus magnis, oblongis, aequaliter alato costatis, nigro-fuscis, splendentibus, cavis, carina praeditis, Folia praemagna, ternatim decomposita, foliolis ovato-lanceolatis laciniisque serrato-pinnatifidis, utrinque tenerrime villosa, saturate viridia; odore grato aromatico, sapore aromatico-dulci, anisino. — Similibus gaudet viribus ac praecedens eodemque modo adhibetur, imo praeferenda est.

HERBA CERINTHES. Wachsblumenkraut *Herbe de Cerinthe majeure, de Melinet.* — *Cerinthes majoris* L., e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Borraginearum, plantae annuae Europae australis passimque Germaniae in montibus, caule glabro ramoso, ramis nutantibus, floribus speciosis flavescentibus et fuscorubris, in racemos terminales, foliatos, secundos digestis, corolla cylindrico-campanulata, 5-dentata, fauce nuda, Folia cordato ovata, superiora, amplexicaulia, obtusa, glauca, ciliata, tuberculis albis passimque setulis sparsis, obsessa. — Hodie obsoleta.

HERBA CERVICARIAE MAJORIS, Trachelii. Nesselblätteriges Glockenblumenkraut, Halskraut, Zäpfleinkraut *Herbe de Campanule gantelée.* — *Campanulae Trachelii* L. (Fl. Bad. I. 476. — Cl. cet. v. Hb. Campanulae graminifoliae p. 102.), plantae perennis ad vias, sepes, in silvis vulgaris, caule erecto simplici, hirsuto, floribus magnis violaceis, axillaribus, pedunculis sub-3-fidis, corolla campanulata, intus albide pilosa, Folia magna, cordato-ovata, grosse et duplicato-serrata, hirsuta, inferiora petiolata, superiora subsessilia. — Hodie obsoleta — uti

HERBA CERVICARIAE MINORIS. Geknäultes Glockenblumen-Kraut, kleines Halskraut. *Herbe de Campanule glomerulée.* — *Campanulae glomeratae* L. (Fl. Bad. I. 477.), plantae magis montosae, praecedenti similis, sed minoris, floribus minoribus axillaribus terminalibusque, in capitulum terminale densum partim congestis; quae Folia radicalia habet longe petiolata, cordato-lanceolata, caulina subpetiolata et sessilia, lanceolata, omnia minutim serrulata, hirsuta. — Nuper autem Herba haec cum Floribus contra hydrophobiam laudabatur.

HERBA CETERACH, Asplenii, Scolopendrii veri. Milzkraut, Milzfarrn, Steinfarrn. *Herbe de Cetérach, Doradille.* — *Gymnogramme Ceterach* SPR. (*Asplenium Ceterach* L. *Ceterach officinarum* W.), filix Europae australis passimque Germaniae, rupium humidorum murorumque incola, Fronde parva, brevi-petiolata, lanceolata, profunde sinuato-pinnatifida, lobis oblongis rotundatis, integerrimis, superne glabra, viridi, subtus paleis minutis fuscis et soris oblongis dense tecta; inodora, sapore subadstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA CHAEROPHYLLI SILVESTRIS, Cicutariae. Wilder Körbel, wilder Kälberkropf. *Herbe de Cerfeuil sauvage, de Persil d'Ane.* — *Anthrisci silvestris* HOFFM. (*Chaerophylli silvestris* L. — Fl. Bad. I. 698. — Cl. cet. v. Herba Cicutae p. 108.), plantae perennis indigenae, locis graminosis, ad sepes cet. vulgaris, caule erecto ramoso, sulcato-striato, viridi, inferne piloso, superne glabro, fistuloso; umbellis multiradiatis speciosis, terminalibus, albis, involucro nullo, involucellis demum reflexis floribus albis, petalis inaequalibus, obovatis, leviter emarginatis cum lacinula inflexa, fructibus linearibus, laevibus rostratis, evittatis, solidis, Folia magna, tripartito-decomposita, foliolis ovatis, pinnatifidis, laciniis oblongis, obtusiusculis, extremis elongatis, viridia, nitentia, subtus pilis sparsis obsessa, mucronulis albidis praedita. — Herba trita odore nauseoso; sapore acri-salso, amariusculo. — *Vis:* irritans, narcotica (?). *Usus:* In pulvere, infuso. — *Praep.:* Extractum.

HERBA CHAMAESICES. Graue Wolfsmilch *Herbe de Chamaesices.* — *Euphorbiae Chamaesices* L. (Cl. cet. v. Euphorbium p. 58.), plantae annuae parvulae Europae australis, tota incana, caulibus procumbentibus, dichotomo-ramosis, floribus axillaribus solitariis, albis, Folia subrotunda, crenata, stipulata, pilosa, acria. — Ut purgans olim adhibebatur. Hodie exolevit.

HERBA CHAMAEDRYOS, Trissaginis, Querculae minoris. Edler Gamander, Gamanderlein, Bathengel-Gamander. *Herbe de Germandrée commune.* — *Teu-*

erii Chamaedryos L. (Fl. Bad. II. 580. — Cl. cet. v. Herb. Basilici p. 98.), plantae perennis parvae indigenae, in collibus siccis, apricis, caule decumbente et adscendente, in basi sublignoso, Folia breviter petiolata, oblonga, cuneiformi-obovata, obtusa, inciso-serrata, ad basin integerrima, superne obscure viridia, nitentia, subtus pallidiora pilosula, firma, una cum Summitatibus florentibus, verticillos dimidiatos exhibentibus, corollis purpurascentibus, calyce piloso duplo longioribus, colligenda celeriterque siccanda. Odor leniter balsamico-aromaticus, sapor aromaticus, subadstringens, amarissimus. Infusum aquosum, ferri muriatici oxydati ope colore viridi imbuitur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium amarum et adstringens. — *Vis:* tonica, incidens, febrifuga, resolvens. — *Usus:* In pulvere, infuso. — *Praep.:* Extractum, Essentia, Aqua, Syrupus, Conserva. — Planta efficax hodie nimis negligitur.

HERBA CHAMAEDRYOS ALPINAE. Achtblätterige Waldnymphe oder Gamander. *Herbe de Dryade à huit pétales.* — *Dryadis octopetalae* L. (Fl. Bad. IV. 396.), e cl. Icosandria, ord. Polygynia, fam. Rosacearum, fruticuli Alpini borealisque, cauliculis decumbentibus, diffusis, floribus speciosis, albis, solitariis, longe pedunculatis, octopetalis, Folia petiolata, cordato-oblonga, inciso-crenata, rugosa, superne laete viridia, subtus niveo-tomentosa. — Herba adstringens. — Hodie obsoleta.

HERBA CHAMAEDRYOS SPURIAE FOEMINAE. Gamander-Ehrenpreis, Wiesen-Ehrenpreis *Herbe de Veronique chênette.* — *Veronicae Chamaedryos* L. (Fl. Bad. I. 33. — Cl. cet. v. Herba Beccabungae p. 98.), plantae perennis in pratis, ad vias, sepes cet. vulgaris, caule adscendente, bifariam piloso, floribus racemosis lateralibus laete coeruleis, Folia subsessilia, late ovato-subcordata, obtusa, obtuse inciso-serrata; sapore herbaceo amariusculo. — Hodie obsoleta. — Uti et

HERBA CHAMAEDRYOS SPURIAE MARIS. Breitblätteriger Gamander-Ehrenpreis *Herbe de Veronique des prés.* — *Veronicae latifoliae* L. (*Ver. Teucrii* plur. autor. — Fl. Bad. I. 28. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis in pratis siccis, collibus, ad vias cet. passim obviae, praecedenti similis, sed caule erecto, ad basin subdecumbente, firmo, undique hirsuto, racemis lateralibus longissimis, subspiciformibus, floribus majoribus, saturatius coeruleis, Folia sessilia cordato-oblonga vel ovata, profunde et inaequaliter grosse serrata, saturate viridia, pubescentia.

HERBA CHAMAEPITHYOS, Ivae arthriticae, Chamaemori. Schlagkraut, Feldcypresse, Ackergünsel, Erdweihrauch. — *Ajuga Chamaepitys* SCHREB. (*Teucrium Chamaepitys* L. Fl. Bad. II. 575. — Cl. cet. ut Chamaedryos), Plantula annua indigena, in agris sabulosis, vineis, obvia, caule decumbente diffuso, foliis inferioribus petiolatis, lanceolatis, integris, superioribus sessilibus, profunde 3-partitis, laciniis linearibus integerrimis, omnibus pilosis, subglutinosis, floribus axillaribus, subsessilibus, solitariis, parvis, luteis, ad faucem purpureis, tota dum floret colligenda celeriterque siccanda; odore forti aromatico-balsamico, odore pini et rorismarini simili, sapore aromatico, subadstringente, peramaro. Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati, colore viridi imbuitur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium amarum et adstringens. — *Vis:* tonica, stomachica, nervina. — *Usus:* In pulvere, infuso. — *Praep.:* Essentia, Extractum, Aqua, Syrupus, Conserva. — Planta efficax hodie immerito fere obsoleta. — Herba siccata in vase optime clauso asservanda; facile enim nigrescit.

HERBA CHAMOMILLAE FOETIDAE, Cotulae foetidae. Hundskamillen-Kraut. *Herbe de Chamomille puante.* — *Anthemidis Cotulae* L. (v. Flores p. 64.), Folia bi-tri-pinnata, laciniis linearibus angustissimis, glabra vel pilosa; odore nauseoso et sapore acri mordaci. — Hodie obsoleta.

HERBA CHAMOMILLAE VULGARIS, Chamaemeli. Kamillen-Kraut, Feldkamillen-Kraut *Herbe de Chamomille commune.* — *Matricariae Chamomillae* L. (v. Flores p. 64.), herba praecedenti simillima; odore et sapore debili chamomillino. — Hodie non adhibetur.

HERBA CHEIRI. Gelbes Levkoien- oder Violen-Kraut, Goldlackkraut *Herbe de Giroflée jaune.* — *Cheiranthi Cheiri* L. (v. Flores p. 65.), Folia lanceolata, sessilia, vel in petiolum attenuata, integerrima, in juventute albida, in aetate saturate viridia, subfirma; trita odore acri saporeque acri-nasturtiino. — Hodie obsoleta.

HERBA CHELIDONII MAJORIS. Großes Schöllkraut.
Herbe de la grande Chelidoine.

Synon.: Schellkraut, Schwalbenkraut.

Chelidonii majoris L. (Fl. Bad. II. 470.), e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Papaveracearum, plantae perennis ad muros, sepes, in ruderatis vulgaris, caule erecto, superne dichotomo-ramoso, rariter villoso, floribus mediocribus flavis, petiolatis, subumbellatis, capsulis siliquaeformibus, Folia composita, pinnata, pinnis lobisque ovatis, obtusis, inaequaliter obtuse inciso-serratis, superne saturate viridia, subtus albida et (cum petiolis) plus minus villosa, tenera, sub diaphana; locis siccis e planta florente colligenda celeriterque siccanda. Herba recens Succo cro-

ceo acri turget, qui e vulnerata planta exsudat; inter siccandum herba facile nigrescit. Herba recens praesertim, quum trituretur, odore nauseoso, siccata, inodora, sed facile sternutationem excitans, sapore est subsalso, amariusculo et acri. — *Part. const. praev.:* Principium acri-narcoticum et amarum. — *Vis:* irritans, incidens, resolvens, diuretica, anthelminthica (?). Succus luteus, cuti applicatus, inflammationem excitat.

Usus: In pulvere raro, in infuso. — *Praep.:* Succus expressus. Extractum. Aqua. Mel. Emplastrum.

HERBA CHELIDONII MINORIS, Ficariae, Scrophulariae minoris. Kleines Schöllkraut, Feigwarzen-Ranunkel oder Hahnenfuß, Pfenniasalat wildes Löffelkraut. *Herbe de petite Chelidoine.* — *Ranunculi Ficariae* L. (Fl. Bad. II. 536.) — e cl. Polyandria, ord. Polygynia, fam. Ranunculacearum, plantae perennis, ad sepes, silvarum margines, in pratis, vulgaris, caule decumbente simplici vel subramoso, floribus solitariis terminalibus, speciosis, aureis, calyce 3-sepalo, corolla 8—10-petala, Folia longe petiolata, cordato-subrotunda, subsinuato- obtuse angulata, glabra, laete viridia; sapore subacerbo, salso, subacri. — *Vis:* antiscorbutica (?). — Hodie obsoleta.

HERBA CHIRONIAE ANGULARIS. L. (*Sabbatiae angularis* PURSH. — Cl. v. Herba Cachen-Lachuen p. 101.), plantae annuae pulchrae Americae borealis, habitu Erythraeae Centaurii (p. 105.), floribus corymbosis, purpurascentibus, Folia ovato-oblonga, amplexicaulia; sapore peramaro. — In America similiter atque herba Centaurii minoris adhibetur.

HERBA CHONDRILLAE. Mauer Chondrille, Hasenstrauch-Kraut, *Herbe de Chondrille.* — *Prenanthis muralis* L. (*Chondrillae muralis* LAM. (Fl. Bad. III. 299. — Cl. cet. ut Herba Cichorii), plantae perennis indigenae vulgaris, caule erecto, superne paniculato-ramoso, glabro, fistuloso, floribus paniculatis, parvis, pallide luteis, Folia amplexicaulia, lyrato-pinnatifida, dentata, lobo extremo 5-angulari, superne saturate viridia, subtus albida, glabra, tenera; sapore herbaceo, amariusculo. — Hodie obsoleta, — uti et

HERBA CHONDRILLAE VETERUM. Chondrill der Alten, binsenartige Chondrille *Herbe de Chondrille joncière.* — *Chondrillae junceae* L. (Fl. Bad. III. 296. — Cl. cet. praecedentis), plantae perennis, passim in arvis, vineis, ad vias, occurrentis, caule erecto ramoso, basi piloso-hirsuto, superne glaberrimo, floribus terminalibus lateralibusque luteis, parvis, sessilibus, Folia radicalia et caulina inferiora pinnatifida, sinuato-dentata, hirsuta, superiora linearia, glabra, glaucescentia, omnia, ut tota planta, succo lacteo, viscido, amaro turgentia.

HERBA CICHORII SILVESTRIS. Cichorien, Wegwarten, oder Hundläuften Kraut. *Herbe de Chicorée sauvage.* — *Cichorii Intybi* L. (v. Flores p. 65.), Folia speciosa, radicalia in orbem digesta, petiolata, runcinata, pinnatifida, lobis oblongis, acutis, falcato-recurvatis, utrinque hirsuta, saturate viridia; sapore amaro, subadstringente, herbaceo. — *Praep.:* olim Aqua, Syrupus, Conserva. — Hodie obsoleta.

HERBA CICHORII VERRUCARII, Zacynthae. Warzenmilchkraut. *Herbe de Chicorée à verrues.* *Zacynthae verrucosae* GAERTN. (*Lapsanae Zacynthae* L. — Cl. cet. praecedentis), plantae annuae Europae australis, caule dichotome-ramoso, glabro, ramis floriferis rigidis, incrassatis, floribus sessilibus flavis, subtus igneis, Folia inferiora runcinata, superiora sagittato-dentata. — Hodie obsoleta.

† HERBA CICUTAE. Schierling-Kraut. *Herbe de Ciguë ordinaire.*

Synon.: **Herba Conii, Cicutae majoris seu terrestris, Herbe de grand Ciguë.**

Conii maculati L. (Fl. Bad. I. 631), e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Umbelliferarum, plantae speciosae perennis, indigenae, ad vias, sepes, in ruderatis, ad fluviorum ripas, obviae, caule erecto ramoso, rotundo, crasso, tenerrime striato, glabro, fusco-maculato et pruina glauca obducto, fistuloso, umbellis terminalibus axillaribusque petiolatis, multiradiatis, albis, involucro universali polyphyllo reflexo, involucellis dimidiatis, 3—5-phyllis, basi coalitis, patentibus, floribus albis, petalis aequalibus obcordatis, cum lacinula inflexa, fructibus oviformibus, a latere compressis, solidis, costatis, costis aequalibus, praesertim immaturis, tuberculoso-crenulatis, valleculis evittatis, Folia praemagna, petiolata, radicalia et caulina inferiora triplicato-pinnata, petiolo rotundo cavo, leviter striato, superne parum canaliculato, foliolis ovato-oblongis, pinnatifidis, lobis inciso-serratis; omnia glaberrima, tenera, superne saturate

viridia, subtus pallidiora, serraturis apice albidis, e planta caulescente, sed ante florum evolutionem, colligenda, celeriter siccanda et in vasis optime clausis loco sicco asservanda; odore proprio nauseoso, cantharidum simili, narcotico, sapore nauseoso salso, amariusculo, postremo acri. — *Part. const. praev.:* Principium narcoticum proprium (Coniinum.) — *Vis:* narcotica, venenata.

Sit herba siccata viridis, neque vero pallida, neque nigrescens, neque mucida; odoris sit penetrantis nauseosi, liquore kali caustici humectata, Coniini, neque vero ammoniacalem purum edat odorem, stipitibus et petiolis crassioribus sit libera. Cave confundas cum Herba Chaerophylli silvestris, Cerefolii Hispanici (p. 106.), Myrrhidis bulbosae, aureae, hirsutae, temulae, quae omnes pilis sparsis praeditae vel hirsutae sunt; porro cum Herba Cicutae aquaticae et minoris infra describendis.

Usus: In pulvere, infuso, interne et externe. — *Praep.:* Extractum, Tinctura, Emplastrum, Oleum coctum, Conserva, Syrupus, Faecula. Additur aliis quoque compositionibus.

† HERBA CICUTAE AQUATICAE seu virosae. Wasserschierlings-Kraut, Giftwütherich. *Herbe de Ciguë aquatique.* — *Cicutae virosae* L. (Fl. Bad. I. 684. — Cl. cet. praecedentis), plantae perennis indigenae, locis aquosis, radice crassa, oblonga, plerumque multicipiti, punctato-annulata, pallide viridi vel fuscescente, spongiosa, subtus fibrosa, intus alba, loculis transversis inanibus praedita, caule erecto ramoso, leviter striato, glauco et purpurascente, inferne crassissimo, fistuloso, ramis superioribus suboppositis, umbellis oppositifoliis et terminalibus petiolatis, albis, densis, convexis, involucro universali subnullo, involucellis polyphyllis, demum reflexis petalis albis aequalibus, obcordatis cum lacinula inflexa, fructibus majusculis, subglobosis, a latere contractis, solidis, dentibus calycis coronatis, costis subplanis, valleculis univittatis, vittis superficialibus, Folia radicalia et caulina inferiora grandia, petiolata, petiolo crasso, cavo, subtriplicato-pinnata. foliolis longis, angustis, lanceolatis, argute serratis, glabra, saturate viridia; e planta ineunte efflorescentia colligenda; recentia odore debili; siccata, inodora, sapore haud ingrato petroselini simili. — *Vis:* narcotica, toxica. — *Usus:* In pulvere, infuso, raro; caute adhibenda. — *Praep.:* Extractum, Emplastrum.

† HERBA CICUTAE MACULATAE L. Gefleckter (Amerikanischer) Schierling *Herbe de Ciguë tachetée,* — plantae Americae borealis, caule maculato, floribus terminalibus, involucellis setaceis, Folia 3-nata, inferiora subpedata, foliolis subternatis, lanceolatis, acuminatis, mucronato-serratis. — In America ut Herba Cicutae (p. 108.) adhibetur, et praestantior esse fertur.

† HERBA CICUTAE MINORIS, Cynapii, Cicutariae Apii folio. Kleiner Schierling, Hundspetersilie, Gartengleiße. *Herbe de Ciguë de marais, de petite Ciguë.* — *Aethusae Cynapii* L. (Fl. Bad. I. 688. — Cl. cet. praecedentis), plantae annuae et biennis, indigenae, in hortis, cultis, ruderatis frequentis, antecedentibus plerumque minoris, radice tenui fusiformi, albida, fere inodora; caule erecto ramoso, striato, glabro, subpruinoso, saepius maculato, umbellis oppositifoliis et terminalibus, longe pedunculatis, mediocribus, involucro universali nullo, involucellis dimidiatis, 3—5-phyllis, pendulis, floribus albis, petalis inaequalibus, obcordatis, cum lacinula inflexa, fructibus globoso-oviformibus. laete viridibus, solidis, costatis, costis elevatis, crassis, acute carinatis, valleculis univittatis, Folia speciosa, sed prioribus plerumque minora, 2—3pinnata, inferiora petiolata, superiora sessilia, foliolis parvis, ovatis, acutis, 2—3partitis, inferioribus minus incisis, laciniis linearibus, mucronulatis, glabra, superne saturate viridia, subtus pallidiora, splendentia; fere inodora, trita autem odore nauseoso, alliaceo, sapore herbaceo, subacri. — *Part. const. praev.:* Principium proprium narcoticum. — *Vis:* narcotica, venenata. — *Usus:* Ut medicamentum raro adhibetur, e. g. Succus expressus, herba recens externe pro cataplasmata.

HERBA CIMICIFUGAE. Wanzenkraut. *Herbe de la Cimicaire fétide.* — *Cimicifugae foetidae* L., e cl. Polyandria, ord. Tetragynia, fam. Ranunculacearum, plantae Hungariae, Galliciae, Europae et Americae borealis, habitu Actaeae (v. Rad.), Folia magna composita, foliolis ovatis, inciso-dentatis, odore foetidissimo. — Contra hydropem in Sibiria adhibetur.

HERBA CINERARIAE MARITIMAE L. Weißer Beifuß, Meer-Aschenkraut *Herbe de Cinéraire marine.* — (Cl. cet. v. Fl. Chamom. p. 64.), fruticuli littoralis maris mediterranei, totius albido-tomentosi, flo-

ribus (calathiis) dense paniculatis, radiatis, flosculis luteis. Folia pinnatifida, laciniis obtusis, subtrilobis, filamiscula. — In Aegypto ut medicamentum adhibetur.

HERBA CIRCAEAE. Pariser Hexenkraut, St. Stephanskraut. Waldkletten. *Herbe de la Circée.* — *Circaeae lutetianae* L. (Fl. Bad. I. 15.), e cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Onagrariarum, plantae perennis, locis umbrosis vulgaris, caule erecto ramoso, floribus parvis, albido-rubellis, in racemos terminales, laxos digestis, capsulis hispidis, fuscis, Folia speciosa, petiolata, ovata, subserrata, villosula, vel glabra, opaca; inodora, sapore subadstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA cum FLORIBUS CISTI. Rauhhaariges Cistrosenkraut mit Blumen *Herbe et Fleurs de Ciste.* — *Cisti salvifolii* L., e cl. Icosandria, ord. Monogynia, fam. Cistinearum, fruticis Europae australis, Folia ovato-oblonga, obtusa, rugosa, hirsuta, foliis Salviae similia, cum Floribus speciosis albis colligenda. — Hodie obsoleta.

HERBA CLEMATIDIS CRISPAE L. Krausblätteriges Brennkraut oder Waldrebe *Herbe de Clematite à fleurs crepues* — (Cl. cet. v. Herba Flammulae Jovis p. 118.), fruticis scandentis Americae borealis, floribus solitariis, longe pedunculatis, campanulatis, sepalis margine undulato-crispis, apice reflexis, Folia simplicia, ternata et pinnata, foliolis ovali-lanceolatis, integerrimis, trilobis, glabra, reticulato-nervosa. — *Part. const. Vis* et *Usus*: ut Herbae Flammulae Jovis.

HERBA CLEMATIDIS SILVESTRIS. Gemeine Waldrebe oder Brennkraut. *Herbe de Clematite sauvage.* — *Clematidis Vitalbae* L. (Fl. Bad. II. 518. — Cl. cet. praecedentis),. fruticis indigeni, in silvis, ad sepes vulgaris, caule scandente, anguloso, tenacissimo, floribus mediocribus, flavescente-albis, axillaribus, longe pedunculatis, pedunculis trichotomo-ramosis, Folia petiolata, pinnata, foliolis cordato-ovatis, vel ovatis, acuminatis, simplicibus passimque lobatis, remote grosse inciso-dentatis vel integerrimis, glabra. superne viridia. subtus pallidiora, petiolis cirrhosis. — *Part. const. Vis* et *Usus*: ut Herbae Flammulae Jovis. (p. 118.)

HERBA CLEOMES TRIPHYLLAE L. Dreiblätteriges Cleomenkraut *Herbe de Cléome triphylle,* — e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Capparidearum, plantae annuae Indiae occidentalis, caule subviscido, inermi, floribus carneis, Folia ternata, foliolis infimis longe petiolatis, floralibus sessilibus, omnibus integerrimis, cum Summitatibus florentibus colligenda; odore forti, lepidino.—Iisdem praedita virtutibus atque Cochlearia eodemque modo in America adhibetur.

HERBA CLINOPODII, Acinos, Ocimi silvestris. Bergthymian, wilde Basilie. *Herbe de Thym Basilic.* — *Thymi Acinos* L. (Fl. Bad. II. 647. — Cl. cet. v. Hb. Basilici p. 98.), plantae annuae parvae, locis asperis, apricis vulgaris, caule erecto ramoso, piloso, floribus parvis, violaceo-purpureis, in verticillos 6-floros, pedunculatos, bracteatos digestis, Folia parva, breviter petiolata, ovata, a medio ad apicem serrata, vel integerrima, nervosa, canescentia, subhirsuta, odore et sapore grate aromatico. — Hodie obsoleta.

HERBA CLINOPODII MAJORIS, Ocimi silvestris. Gemeine Wirbeldoste, Weichberste *Herbe de Thym des champs.* — *Clinopodii vulgaris* L. (Fl. Bad. II. 640. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis, ad vias cet. vulgaris, floribus rubellis in verticillos et capitula densissima, involucro polyphyllo, setaceo-ciliato suffulta, digestis, Folia opposita, petiolata, late ovata, obtusa, obsolete serrato-crenulata, villosiuscula; odore debili, grate aromatico, sapore subadstringente, amariusculo. — Hodie obsoleta. — Subinde cum Herba Calaminthae (p. 101.) confunditur.

HERBA CLINOPODII MONTANI. Alpenthymian *Herbe de Thym des Alpes.* — *Thymi alpini* L. (Fl. Bad. IV. 444. — Cl. cet. praecedentis), plantae perennis alpinae, habitu Thymi Acinos, sed majoris, Folia grate aromatica. — Apud nos non adhibetur. — Additur speciebus nomine Schweizerthee notis.

HERBA COCHLEARIAE. Löffelkraut. *Herbe de Cranson.*

Synon.: Löffelkresse, Scharbockskraut oder Heilkraut.

Cochleariae officinalis L. (Fl. Bad. III. 340.), e cl. Tetradynamia, ord. Siliculosa, fam. Cruciferarum, plantae annuae et biennis Europae borealis, littoralis, apud nos cultae, caule erecto vel decumbente, simplici et ramoso, glabro, floribus albis, cum siliculis subgloboso-ovatis, turgidis, rugosis, in racemos longos digestis, Folia radicalia longe petiolata, rotundato-cordata, subintegerrima, vel plus minus sinuato-angulosa, caulina superiora sessilia, amplexicaulia, ovato-oblonga, subdentata, summa basi subhastata, omnia glaberrima, laete viridia, succulenta; digitis trita odore forti pungente, sapore acri pungente, nasturtiino. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum acre. — *Vis*: incidens, stimulans, antiscorbutica.

Sit herba recens, acerrima. — Cave confundas cum Herba Chelidonii minoris (p. 108.) et Herba Violariae (v. infra).

Usus: Herba recens solummodo adhibetur; in acetariis, externe cuti applicatur, (inter siccandum enim omnem perdit acrimoniam). — *Praep.:* Succus expressus, Spiritus, Aqua, Syrupus, Conserva, Oleum aethereum, Essentia, Extractum.

HERBA COCHLEARIAE MARINAE. Meerlöffelkraut, englisches Löffelkraut *Herbe de Cranson marine.* — *Cochleariae anglicae* L. (Cl. cet. praeced.), plantae biennis ad littora Angliae, Daniae, Germaniae, Sibiriae cet. occurrentis, caule procumbente debili, floribus parvis albis, in racemos laxos digestis, siliculis elliptico-globosis, Folia radicalia longe petiolata, ovata, subintegerrima, caulina amplexicaulia, lanceolata, subdentata, omnia glabra, subcarnosa. — Mitior est praecedentibus.

HERBA COCHLEARIAE BRITANNICAE. Waidblatt Löffelkraut *Herbe de Cranson à feuilles de Pastel.* — *Cochleariae glastifoliae* L. (Cl. cet. praeced.), plantae biennis passim in Germania et Gallia occurrentis, caule erecto subsimplici, floribus parvis, albis, racemosis, siliculis subglobosis, reticulato-venosis, Folia radicalia speciosa, petiolata, ovato-lanceolata, caulina sessilia, cordato-sagittata, integerrima, glabra, glauca; odore et sapore acri-pungente. Antecedente praestantior. — Apud nos non adhibetur.

HERBA COLLINSONIAE. Collinsonkraut *Herbe de Collinsonie.* — *Collinsoniae canadensis* L., e cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Labiatarum, plantae speciosae perennis Americae borealis, caule erecto ramoso, ramis oppositis, floribus speciosis, luteis, in racemos paniculatos digestis, corolla infundibiliformi, subcampanulata, irregulariter 5-partita, Folia magna petiolata, ovata et cordata, subaspera; odore ingrato, sapore nauseoso amaro, subacri-salso. — *Vis:* tonica, diuretica, antitoxica (?). — In America adhibetur.

HERBA (cum FLORIBUS) CONSOLIDAE MAJORIS, Symphyti. Groß Beinwurzkraut, Beinwellkraut, Schwarzwurzkraut *Herbe de grande Consoude.* — *Symphyti officinalis* L. (v. Radix), Folia speciosa, radicalia et caulina inferiora in petiolum attenuata, superiora sessilia, omnia caulina utrinque decurrentia, ovato-lanceolata, integra, rugosa, superne asperrima, subtus hirsuta, saturate viridia, nervo medio albo, prominente praedita, cum Floribus speciosis purpureis vel albis, in racemos terminales, bipartitos, unilaterales, nutantes, digestis, corolla cylindrico-campanulata, 5-gona, fauce fornicibus subulatis clausa, colligenda; mucilaginosa, subadstringentia. — Hodie obsoleta.

HERBA seu SUMMITATES CONSOLIDAE SARRACENICAE, Virgae Aureae, Solidaginis, Sarracenicae. Heidnisch Wundkraut, gemeine Goldruthe, gülden Wundkraut. *Herbe de Verge d'or.* *Solidaginis Virgaureae* L. (Fl. Bad. III. 449.), e cl. Syngenesia, ord. Polygamia superflua, fam. Compositarum, trib. Radiatarum, plantae speciosae perennis, locis siccis, apricis vulgaris, caule erecto simplici, superne brevi-ramoso, firmo, basi sublignoso, ramis erectis, floribus (calathiis) mediocribus, dense racemosis, in paniculam terminalem foliosam digestis, flosculis aureis, Folia speciosa, oblongo-lanceolata, acuta, inferiora in petiolum attenuata, remote serrata, superiora sessilia, partim integerrima, omnia margine aspera, utrinque breviter pilosa vel glabriuscula, superne saturate viridia, subtus paullo pallidiora, reticulato venosa, cum Floribus colligenda celeriterque siccanda; odore proprio debili aromatico, haud ingrato, sapore statim subsalso, post nauseoso-acri, gutturali, amariusculo, subadstringente. Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati colore obscure viridi turbatur. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum proprium et adstringens. — *Vis:* incidens, tonica, resolvens, diuretica, mundificans, vulneraria. — *Usus:* In infuso, externe ut vulnerarium. — Cave confundas cum Foliis Senecionis ovati et sarracenici, etiam Herbae Consolidae sarracenicae nomine occurrentibus (Fl. Bad. III. 443 et 444.), quae omnia argute serrato-denticulata sunt et sapore acri carent, et cum Foliis Lysimachiae luteae infra describendis.

HERBA CONVOLVULI MAJORIS. Zaunwindenkraut. *Herbe de grand Liseron.* — *Convolvuli sepium* L. (Fl. Bad. I. 462.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Convolvulacearum, plantae perennis, ad vias, sepes, rivulorum ripas vulgaris, caule volubili, floribus magnis niveis, solitariis, Folia magna, petiolata, cordato-sagittata, acuminata, postice truncata, integerrima, glabra, saturate viridia; sapore nauseoso-amariusculo, subacri. — Hodie obsoleta.

HERBA CONVOLVULI MINORIS. Ackerwindenkraut, kleine Winde. *Herbe de petit Liseron.* — *Convolvuli arvensis* L. (Fl. Bad. I. 461. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis, in arvis, vineis hortisque vulgaris, caule volubili filiformi, floribus axillaribus, minoribus quam priores, albidis, vel amoene rubellis, odoratis, pedunculis uni-bifloris, Folia praecedentibus minora, petiolata, sagittato-hastata, integra, margine subundulata, glabra, submicantia, saturate viridia; inodora, sapore nauseoso-amariusculo, subacri. — *Vis:* alvum movens. — Hodie obsoleta.

HERBA CONYZAE BALSAMIFERAE L. Harziges Dürrwurzkraut. *Herbe de Conyse resineuse.* — (Cl. cet. ut sequentis), fruticis Indiae orientalis, Folia oblongo-lanceolata, acuta, duplicato-dentata, basi auriculato-pinnatifida, subtus tomentosa, rugoso-venosa; odore balsamico et sapore pungente. — In Java contra mala pectoris adhibetur.

HERBA CONYZAE COERULEAE. Scharfes Berufkraut, blaues Dürrwurzkraut, blaues Flohkraut. *Herbe de Vergerette acre.* — *Erigerontis acris* L. (Fl. Bad. III. 424. — Cl. cet. ut Herba Consolidae sarracenicae v. supra), plantae annuae, locis siccis sabulosis, ad muros, vias, vulgaris, caule erecto, plus minus ramoso, firmiusculo, striato, hirsuto, saepe fusco, floribus (calathiis) mediocribus, radio rubello, disco luteo, pedunculis alternis unifloris, in corymbum rarum, foliosum, digestis, Folia mediocria, radicalia spathulato-lanceolata, in petiolum attenuata, caulina inferiora lanceolata, superiora lineari-lanceolata, sessilia, omnia integerrima, hirsuta; trita, odore aromatico, sapore acerrimo, mordace. — Hodie obsoleta.

HERBA CONYZAE MAJORIS seu VULGARIS. Großes gemeines Dürrwurz-Kraut oder Flohkraut. *Herbe de Conise, aux Mouches.* — *Conyzae squarrosae* L. (Fl. Bad. III. 422. — Cl. cet. praeced.), plantae magnae biennis, iisdem ac praecedens locis itemque silvaticis occurrentis, caule erecto superne ramoso, villoso, subaspero, floribus

(calathiis) mediocribus, radio destitutis, in corymbum compositum, densum, foliatum digestis, flosculis sordide luteis, Folia magna, ovato-lanceolata, inferiora in petiolum decurrentia, superiora sessilia, Foliorum Digitalis purpureae (p. 114.) similia, a quibus eo tamen distinguuntur, quod magis obtusa, in margine remote et obsolete denticulata, fere integerrima, pilis brevibus, patentibus, magis subadpressis, nervo medio utrinque albido, colore utrinque obscurius-viridi, odore aromatico, haud grato, sapore amaro, haud ingrato, simul adstringente praedita sunt. — *Vis*: carminativa, diuretica, emmenagoga. — Hodie (immerito) exoleta.

Hoc nomine etiam Folia *Erigerontis viscosi* L. (*Inulae viscosae* AITON) in Hispania prostant.

HERBA CONYZAE MEDIAE seu spuriae, Arnicae Suedensis. Mittleres Dürrwurz-Kraut, Ruhralant. *Herbe d'Inule dysenterique.* — *Inulae dysentericae* L. (Fl. Bad. III. 459. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis ad loca aquosa vulgaris, caule erecto ramoso, saepe diffuso, lanuginoso, floribus speciosis, aureis, terminalibus, solitariis, partim in corymbum densum congestis, Folia sessilia, amplexicaulia, cordato-oblonga, subacuta, subundulata, obsolete denticulata, vel integerrima, superne villosula, saturate viridia, subtus albido-tomentosa, rugosa; odore nauseoso aromatico, sapore acri-aromatico, amariusculo, subadstringente. Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati colore obscure-viridi turbatur. — *Vis*: incidens, tonica, antidysenterica. — Hodie immerito exolevit.

HERBA CORIDIS seu PULICARIAE. Meer-Coris-Kraut. *Herbe de Coris de Montpellier.* — *Coridis Monspeliensis* L., e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Primulacearum, plantulae suffruticosae littoralis Europae australis, caulibus ramosis, rubris, floribus purpureis, sessilibus, Folia linearia, ciliata. — Hodie obsoleta.

HERBA CORONOPI, Herba Stellae. Krähenfuß-Wegerichkraut. *Herbe de Corne de Cerf.* — *Plantaginis Coronopi* L., e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Plantaginearum, plantae annuae littoralis, scapo rotundo, piloso, spica cylindrica, bracteis ovatis, adpressis, basi margine alba, Folia lineari-lanceolata, pinnatifida, carnosa, scapos stellatim ambientia. — Hodie exolevit uti et

HERBA CORONOPI REPENTIS, Nasturtii verrucosi. Krähenfuß-Löffelkraut. *Herbe de Corne de Cerf rampante.* — *Coronopi Ruellii* DALECH. (*Cochleariae Coronopi* L. Fl. Bad. III. 43. — Cl. cet. v. Herba Cochlear. p. 110.), plantae annuae, ad vias, in pratis, ruderatis, caulibus prostratis, ramosis, glabris, floribus oppositifoliis, parvis, albis, in racemos parvos digestis, Folia breviter petiolata, pinnatifida, glauca, glabra, crassiuscula; odore et sapore acri-nasturtiino, — quae uti Cochlearia adhibebatur — et

HERBA CORONOPI SERPENTARIAE. Löffl. Wegerichkraut. *Herbe de Plantain de Loeffling.* — *Plantaginis Loefflingii* L., plantae in Hispania occurrentis, antepraecedentis simillimae, sed minoris, Folia lineari lanceolata, subdentata.

HERBA CORTUSAE MATTHIOLI, Saniculae montanae. Matthiols-Cortuse, Berg-Sanickel. *Herbe de Cortuse de Matthiolus.* — *Cortusae Matthioli* L. (Cl. cet. ut Hb. Corid. v. supra.), plantae perennis Helvetiae, Austriae, Sibiriae, scapo umbellifero, floribus purpureis, fragrantibus, Folia radicalia longe petiolata, cordata, lobata, incisa; sapore adstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA COSTAE. Gefleckter Ferkelkraut oder Kostenkraut. *Herbe de Porcelle tachetée.* — *Hypochoeridis maculatae* L. (Fl. Bad. III. 343. — Cl. cet. v. Hb. Auriculae muris p. 96.), plantae perennis, speciosae, indigenae, montosae, caule erecto simplici, vel superne ramoso, subaphyllo, hirsuto, saepe maculato, floribus majusculis luteis, solitariis, terminalibus, Folia radicalia in rosulam congesta, oblonga, obtusa vel acutiuscula, in petiolum attenuata, caulina sessilia, semiamplexicaulia, omnia raro argute denticulata, vel subintegerrima, utrinque hirsuta, laete viridia, saepissime maculis purpurascentibus picta, succulenta, sapore amariusculo, subadstringente. — *Vis*: pectoralis. — Hodie obsoleta, — quemadmodum etiam

HERBA COSTAE VULGARIS. Hieracii macrorrhizi. Gemeines Ostenkraut, wurzelndes Ferkelkraut *Herbe de Porcelle radicante.* — *Hypochoeridis radicatae* L. (Fl. Bad. III. 546. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis, in pratis, pascuis cet. vulgaris, praecedenti similis, sed minoris, caule ramoso, glabro, ad basin hispido, Folia radicalia, in orbem congesta, runcinata, dentata, hirsuta.

HERBA COTULAE AUREAE. Gold-Hundsblumen Kraut *Herbe de Cotule d'or.* — *Cotulae aureae* L. — Cl. cet. v. Fl. Chamom. p. 64.), plantae annuae Hispaniae, Asiae minoris, floribus (calathiis) discoideis, aureis, cernuis, Folia bipinnatifida, glabra, rhachi dilata, integerrima; odore aromatico fragrante. — Apud nos non adhibetur.

HERBA COTYLEDONIS, Umbilici Veneris. Gemeines Nabelkraut, Venusnabel *Herbe de Nombril de Venus.* — *Cotyledonis Umbilici* L., e cl. Decandria, ord. Pentagynia, fam. Crassulacearum, plantae parvae perennis Europae australis et Angliae, caule simplici, rubro, floribus luteis, parvis, in racemum paniculatum, pyramidalem digestis, Folia peltata, cucullata, repando-dentata, glauca, crassa, succulenta; sapore herbaceo, mucilaginoso. — Hodie obsoleta. — Eorum loco etiam folia *Cotyledonis luteae* HUDS., quae majora sunt, usurpantur.

HERBA CRASSULAE, Crassulae majoris, Telephii, Fabariae, Illecebri mojoris, Faba crassa. Knolliges Sedum, rothe Hauslaub, Donnerbart, Wundkraut *Joubarbe des vignes, Herbe d'Orpin, aux Charpentiers.* — *Sedi Telephii* L. (Fl. Bad. II. 272. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis speciosae, locis siccis vulgaris, caule adscendente erecto, crassiusculo, simpliciusculo vel ramoso, glabro, saepe rubello, floribus in corymbum terminalem densum digestis, viridescentibus, albidis vel rubris, Folia sessilia majuscula, plana, ovata, obtuse serrata, glabra, laete viridia, subinde rubella, crassa, succulenta; sapore herbaceo mucilaginoso. — Ut refrigerans, mundificans, vulnerarium adhibebatur. — Hodie exolevit.

HERBA CREPIDIS FOETIDAE. Stinkender Pippau. *Herbe de Crépide fétide.* — *Crepidis foetidae* L. (Fl. Bad. III. 334. — *Barkhausiae foetidae* DEC. — Cl. cet. ut Hb. Costae v. supra.), plantae annuae et biennis, locis asperis, in collibus, pascuis, ad vias occurrentis, caule erecto, sulcato, hirsuto, ramoso, floribus (calathiis) mediocribus, luteis terminalibus, solitariis, longe pedunculatis, passim in corymbum paniculatum ra-

rum digestis, Folia radicalia in orbem congesta, petiolata, runcinata, pinnatifida, caulina amplexicaulia, dentata, pinnatifida, omnia canescentia, piloso-scabra; trita odore castorei et amygdalarum amararum simili. — Planta viribus medicatis praedita, ad usum medicum commendanda.

HERBA CRISTAE GALLI. Gemeiner Hahnenkamm, Wiesenklapper, Wiesen- und Acker-Rödel. *Herbe de Cocriste.* — *Alectorolophi Cristae Galli* M. B. (*Rhinanthi Cristae Galli* L. — Fl. Bad. II. 667.), e cl. Didynamia, ord. Angiospermia, fam. Scrophularinarum, plantae annuae in pratis, agris, vulgaris, caule erecto simplici vel ramoso, ramis oppositis, floribus flavis, axillaribus, solitariis in spicas secundas terminales, foliatas digestis, calyce magno inflato, albido, viridescente, reticulato-venoso, plus minus villoso, persistente, Folia lanceolata serrata, superiora latiora ovata vel cordata, glabra vel plus minus pilosa, subtus reticulato-venosa; inodora, sapore fatuo, herbaceo, subsalso, amariusculo-adstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA CRITHMI, Foeniculi marini. Meerbacillenkraut, Meerfenchel. *Herbe de Passe pierre, de Perce pierre.* — *Crithmi maritimi* L. (*Cachryos maritimae* SPR. Cl. cet. v. Hb. Cicutae p. 108.), plantae perennis littoralis, caule subramoso, umbellis hemisphaericis, flavescentibus, involucris brevibus, polyphyllis, Folia triternata, foliolis lineari-lanceolatis, carnosis; sapore subsalso, amariusculo, petroselino. — Apud nos hodie obsoleta.

HERBA CRUCIATAE, Asperulae aureae. Goldwaldmeister, Kreutzkraut. *Herbe de Croisette velue.* — *Galium cruciatum* LAM. (*Valantia cruciata* L. — Fl. Bad. III. 782.), e cl. Tetrandria, ord. Monogynia (Polygamia Monoecia L.), fam. Rubiacearum, Planta perennis ad sepes, vias, vulgaris, caule erecto vel procumbente, simpliciusculo, tetragono, piloso, foliis quaternis, ovatis, oblongis, hirsutiusculis, ciliatis, floribus parvis, luteis, polygamis, in cymas axillares folio brevioribus digestis. Tota planta colligenda. — Hodie obsoleta.

HERBA CUCUBALI, Viscaginis bacciferae, Alsines bacciferae. Beerentragender Taubenkropf oder Meyer, klimmender Keber. *Herbe de Carnillet grimpante.* — *Cucubali bacciferi* L. (*Silenes bacciferae* W. *Lychnidis scandentis* LAM. — Fl. Bad. II. 250. — Cl. cet. v. Hb. Alsines p. 92.), plantae perennis passim in sepibus, fruticetis, occurrentis, caule longissimo scandente, ramoso, geniculato, piloso, scabriusculo, ramis divaricatis, floribus albis, solitariis, axillaribus et terminalibus, pedunculatis, nutantibus, calyce campanulato inflato, pubescente, capsulis baccatis nigris, Folia petiolata, ovato-oblonga, acuta, integerrima, basi coalita, pilosula; inodora et insipida. — Hodie obsoleta.

HERBA CULEN. Chilisches Psoraltenkraut. *Herbe de Culen.* — *Psoraliae glandulosae* L., e cl. Diadelphia, ord. Decandria, fam. Leguminosarum, fruticis Chilensis, floribus ex albo coeruleis, axillaribus, racemoso-spicatis, Folia ternata, foliolis ovato-lanceolatis, acuminatis, viscosis, subtus glanduloso-punctatis; odore rutaceo. — Apud nos non adhibetur.

HERBA CUMINOIDIS, Cumini silvestris. Kümmelartiger Federknopf. *Herbe de Cumin sauvage.* — *Lagoeciae cuminoidis* L. (Cl. cet. ut Herb. Cicutae p. 108.), plantae annuae Graeciae, Asiae minoris, caule debili subramoso, umbellis pedunculatis, capitatis, albo-viridescentibus, involucro magno pinnatifido, Folia petiolata, pinnata, foliorum Pimpinellae albae similia; odore forti cuminino. — Hodie obsoleta.

HERBA CUNILAE THYMOIDIS L. Thymianblätterige Cunile. *Herbe de Cunile thymoide.* — (Cl. cet. v. Hb. Collinsoniae), plantae annuae Galliae australis, caule erecto subramoso, quadrigono, floribus axillaribus, verticillatis, parvis, rubellis, filamentis 4, quorum duo abortiva, Folia ovalia, integerrima, glabra. — Apud nos non adhibetur, — uti et

HERBA CUNILAE MARIANAE L. Marien-Cunile *Herbe de Cunile de St. Marie,* — plantae Virginianae, floribus corymbosis, Folia ovata, serrata, glabra, punctata, quae in America boreali usurpantur.

HERBA CUPRESSI, Chamaecyparissi, Santolinae, Abrotani foeminae. Cypressen-Kraut, Heiligen-Kraut, Stabwurz-Weiblein. *Herbe de Santoline à feuilles de Cyprès, de Garderobes.* — *Santolinae Chamaecyparissi* L. (Cl. cet. ut Hb. Abrotani p. 88.), fruticuli Europae australis, nobis hortensis, ramis erectis, junioribus albido-tomentosis, floribus (calathiis) solitariis, longe pedunculatis, speciosis, discoideis, subglobosis, pallide luteis; Folia fasciculata, petiolata, anguste lineari-cuneiformia, crassiuscula, quadrifariam denticulata, apice ciliata, plerumque incana passimque viridia, subglabra, sempervirentia; odore fragrante aromatico et sapore aromatico, amaro. — *Part. const. praec.:* Oleum aethereum et Principium extractivum amarum. — *Vis:* incidens, nervina, stomachica, anthelminthica. — *Usus:* In pulvere, infuso. — Hodie rarissime adhibetur.

HERBA CUSCUTAE MAJORIS, Cassulinae, Epithymi officinarum. Europäische Flachs-Seide oder Saite. *Herbe de Cuscute d'Europe.* — *Cuscuta Europaea* L. (Fl. Bad. I 374.), e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Cuscutearum, planta parasitica annua, in pratis, ad agrorum margines cet. vulgaris. Fila tenuia, ramosa, saepe rubra, glabra, aphylla, plantas varias, e. g. urticam, cannabim, viciam, linum e. q. s. pl. obvolventia, cum Floribus parvis, rubellis, verticillato-glomeratis, glomerulis distantibus, speciosis, subrotundis, confertis colligenda; inodora, sapore acri-irritante. — *Vis:* purgans. — Hodie obsoleta.

HERBA CYANI MAJORIS. Bergflocken-Blumenkraut. *Herbe de Centaurée de Montagne.* — *Centaureae montanae* L. (v. Flor. p. 65.) Folia lanceolata, decurrentia, integerrima, utrinque villosa, pallida; sapore amariusculo. — Hodie obsoleta.

HERBA CYMBALARIAE. Zimbelkraut, epheuartiges Löwenmaul. *Herbe de Linaire de montagne, de Muflier lierré.* — *Linariae Cymbalariae* W. (*Antirrhini Cymbalariae* L. — Fl. Bad. II. 688. — Cl. cet. ut Hb. Antirrhini major. p. 94.), plantae annuae, ad muros passim frequentis, caulibus filiformibus repentibus et radicantibus, floribus axillaribus solitariis, parvis, pallide rubro-violaceis, calcaratis, Folia majuscula, reniformia, cordata, obtuse 5-loba, lobis integerrimis, glaberrima, superne saturate viridia, subtus pallidiora, tenera; inodora, sapore herbaceo, amariusculo. — Hodie exoleta.

HERBA CYNANCHI. Rundblätteriger Hundswürger. *Herbe de Cynanque de Montpellier.* — *Cynanchi monspeliaci* L., e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Asclepiadearum, plantae perennis herbaceae, caule scandente, floribus albidis vel carneis, axillaribus, pedunculis ramosis, Folia petiolata, reniformi-cordata, acuminata, glabra, venosa, glauco-viridia. — *Vis:* drastica. — Apud nos non usitata.

HERBA CYNOGLOSSI, Cynoglossi majoris seu vulgaris. Hundszunge, gemeine, große. *Herbe de Cynoglosse, Langue de Chien.* *Cynoglossi officinalis.* L. (Flor. Bad. I. 419. — Cl. cet. v. Hb. Borraginis p 100.), plantae biennis, locis asperis, ad vias, sepes cet., vulgaris, caule erecto ramoso, tomentoso, floribus parvis, primum rubris, postremo violaceis, in racemos spiciformes secundos, apice revolutos, paniculatim digestis, Folia oblongo-lanceolata, inferiora in petiolum decurrentia, superiora sessilia, omnia incana, tomentoso-villosa, mollia; odore ingrato, narcotico-murino, sapore ingrato, mucilaginoso. — *Vis:* narcotica(?) — *Usus:* In pulvere et infuso rarissime. — *Praep.:* Extractum, Aqua; additur massae pilularum de Cynoglosso et aliis compositionibus antiquis.

HERBA CYNOGLOSSI MINORIS. Kleine Hundszunge, Klettenartiges Igelsaamenkraut oder Mausöhrlein. *Herbe de Cynoglosse mineure.* — *Echinospermi Lappulae* LEHM. (*Myosotidis Lappulae* L. — Fl. Bad. I. 411. — Cl. cet. praecedentis), plantae annuae indigenae, passim in ruderatis, agris, vineis, muris, occurrentis, caule erecto, superne ramoso, hirsuto, floribus parvis coeruleis; spicato-racemosis, ramis fructiferis patente-elongatis, calyce fructifero stellato-patente, Folia sessilia lanceolata, obtusiuscula, integerrima, hirsuta, scabra; odore nauseoso, sapore amaro. — Hodie obsoleta.

HERBA DATISCAE CANNABINAE L. Hanfartiges Strickkraut, Bastarthanf. *Herbe de Chanvre bâtard*, — e cl. Dioecia, ord. Polyandria, fam. Datiscearum, plantae perennis speciosae Orientis, habitu cannabis, totius glabrae, lutescentis, Folia magna pinnata, pinnis 10—20 inaequalibus, lanceolatis, acuminatis, serratis; sapore amarissimo. — In Italia ut medicamentum adhibetur. Medicorum attentione digna est.

† **HERBA DATURAE FASTUOSAE et DATURAE FEROCIS** L. Rother und langdorniger Stechapfel. (Cl. cet. v. Hb. Stramonii), plantarum annuarum Aegypti, Chinae, Indiae orientalis et Americae australis; habitu Stramonii, sed fructibus prioris apice longissime spinosis et floribus posterioris violaceo-rubris, grate aromaticis fructibusque inermibus, Folia magna ovata, sinuato-oblonga, glabra, — *Vi* narcotica, venenata praedita. — In India orientali (Java cet.) ut medicamentum adhibentur.

HERBA DENTELLARIAE, Sancti Antonii. Bleiwurzel- oder Zahnwurzelkraut. *Herbe de Dentellaire.* — *Plumbaginis Europaeae* L., e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Plumbaginearum, plantae perennis Europae australis et Caucasiae, caule herbaceo erecto, flexuoso-ramoso, sulcato, floribus terminalibus fasciculato-spicatis, violaceo-rubellis, calyce fusco, viscoso, Folia lanceolata amplexicaulia, integerrima vel denticulata, inferiora glabra, superiora aspera, subtus punctis albidis elevatis adspersa; inodora, sapore primo subdulci, post acri-irritante, salivam eliciente. — *Part. const. praev.:* Plumbagium. — *Vis:* irritans. — *Usus:* Ut odontalgicum, externe contra scabiem cet. — Apud nos non adhibetur.

HERBA seu FOLIA DICTAMNI, Diptamni cretici. Kretischer Dictam oder Diptam. *Herbe de Dictame de Crète.* — *Origani Dictamni* L. (Cl. cet. v. Hb. Basilici p. 98.), fruticuli erecti, ramosi, albido-tomentosi, ramis bracteatis, floribus terminalibus, spicas speciosas, subrotundas, pendulas, amoene rubellas, formantibus, calyce bilabiato, bracteis coloratis, flore longioribus, Folia subsessilia, orbicularia, integerrima, tecta utrinque tomento conferto albo, crassiuscula; odore fragrante, grate aromatico, sapore aromatico, pungente. — Hodie vix usurpantur.

HERBA DIGITALIS. Fingerhutkraut. *Herbe de Digitale pourprée.*

† *Digitalis purpureae* L. (Fl. Bad. II. 307.), e cl. Didynamia, ord. Angiospermia, fam. Scrophularinarum, plantae biennis speciosae indigenae, locis montosis, asperis passim frequentis, caule erecto, plerumque simplici, firmo, crassiusculo, breviter et tenerrime piloso, (Florum descript. v. p. 65.) Folia magna alterna, inferiora in petiolum subalatum decurrentia, superiora partim sessilia, omnia ovato-lanceolata, obtuse mucronulato-crenata, breviter pilosa, superne saturate viridia, ad nervum medium basi (cum petiolo canaliculato) violacea, subtus albida, densius pilosa, nervis prominulis albidis, medio subviolaceo-rubello praedita, grosse reticulato-venosa, rugulosa, tactu tenera; a planta inculta, in loco natali montoso, primo efflorescentiae tempore colligenda. — Herba recens digitis trita, odorem debilem nauseosum emittit, siccata, inodora et sapore est nauseoso, peramaro, subacri. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum proprium (Digitalium.) — *Vis:* narcotica, deprimens, diuretica, facile emetica, toxica.

Sit Herba viridis, praecipue siccata subtus albida, neque vero flavescens, neque nigrescens; sapore nauseoso, peramaro. — Cave confundas cum Herba Conyzae majoris (p. 111.), cum Foliis Digitalis ochroleucae, quae omnia sessilia, angustiora, denticulata, magis viridia, minus pilosa et subglutinosa sunt; Herba Consolidae majoris (p. 111.), Verbasci nigri, Lychnitis cet. infra describendis.

Usus: In pulvere, caute in exigua dosi, in infuso, decocto. — *Praep.:* Succus expressus, Extractum, Tincturae variae, Vinum, Unguentum, Emplastrum, Conserva, Oxysaccharum. Additur aliis quoque compositionibus.

† HERBA DIGITALIS FERRUGINEAE L. Rostfarbiges Fingerhutkraut. *Herbe de Digitale ferrugineuse.* — Plantae biennis Italiae, Caucasiae, habitu praecedentis, floribus subglobosis, flavescentibus, rubro-fusco-reticulatis, Folia lanceolata, elongata, integerrima vel subdentata, mucronata, laevia, nitentia. — Apud nos non adhibetur.

HERBA DORYCNII. Kleeschotenkraut. *Herbe de Dorycnium.* — *Dorycnii monspeliensis* W. (*Loti Dorycnii* L. — Cl. cet. v. Hb. Galegae p. 119.), fruticis Europae meridionalis, Helvetiae, floribus parvis albis, in capitulos aphyllos congestis, Folia digitata, lineari-lanceolata, glabra. — Hodie obsoleta.

HERBA seu SUMMITATES DRACUNCULI, Dracunculi esculenti, seu hortensis. Estragon, Dragun-Beyfuß, Kaisersalat. *Herbe d'Estragon.* — *Artemisiae Dracunculi.* L. (Fl. Bad. III. 404. — Cl. cet. v. Hb. Absinthii p. 81.), plantae perennis Europae australis, Tartariae, Sibiriae, nobis hortensis, Absinthii habitu, sed omnino glabrae, Folia angusta, lanceolata, integerrima, margine subturgida, laete viridia, nitentia, sub lente brevissime punctato-pilosula, cum Summitatibus florentibus, racemos foliatos, Abrotani similes, formantibus, colligenda, odore fragrante, grate aromatico, sapore aromatico, pungente, vix amariusculo. Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati colore obscure viridi imbuitur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium adstringens. — *Vis:* incitans, tonica, stomachica. — *Usus:* In infuso rarissime. — *Praep.:* Acetum, Aqua. — Planta valde aromatica, quam maxime commendanda.

HERBA DULCAMARAE. Bittersüßkraut oder Blätter *Herbe de Douce amère, de Morelle grimpante.* — *Solani Dulcamarae* L. (v. Stipites), Folia speciosa petiolata, cordata vel ovata, acuta, superiora hastato-auriculata, passim tripartita, inferiora subintegerrima, brevissime pilosula, saturate viridia; trita odore nauseoso, sapore fatuo amaro, post acri-dulci. — Hodie obsoleta.

HERBA seu FOLIA EBULI. Attich-Blätter oder Kraut, Zwerghollunder-Kraut *Herbe d'Hièble.* — *Sambuci Ebuli* L. (v. Bacc. p. 15.), Folia magna, longe petiolata, pinnata, pinnis serratis, basi glandulosis, superne glabra, subtus pubescentia, stipulata, saturate viridia; odore forti nauseoso, sapore nauseoso amaro, subacri. — *Vis:* purgans. — Hodie obsoleta.

HERBA ECHINOPIS. Kugeldistel-Kraut. *Herbe d'Echinope à tête ronde.* — *Echinopis sphaerocephali* L., e cl. Syngenesia, ord. Polygamia segregata, fam. Compositarum, trib. Cynarearum, plantae perennis Europae et Asiae mediae passimque Germaniae, locis humidis obviae, caule erecto ramoso, sulcato, tomentoso, firmo, floribus terminalibus albis, in capitulum speciosum globosum, densum congestis, Folia magna, amplexicaulia, pinnatifida, laciniis lanceolatis, sinuato-dentatis, margine spinuloso, superne pubescentia, viridia, subtus albido-lanata; sapore amariusculo. Hodie obsoleta.

HERBA ECHITIS SYPHILITICAE L. Lustseuche heilende Klammerstrauch-Blätter. *Herbe d'Echites siphilitique.* — (Cl. cet. v. Hb. Vincae pervincae). Fruticis Americae australis, Folia oblongo-lanceolata, acuminata, integerrima, glaberrima. — In America ut medicamentum adhibetur.

HERBA ELATINES. Spießförmiges Zymbelkraut, niederliegendes Löwenmaul *Herbe de Muflier auriculé.* — *Linariae Elatines* DESF. (*Antirrhini Elatines* L. (Fl. Bad. II. 689. — Cl. cet. v. Hb. Cymbalariae p. 113.), plantae annuae in arvis siccis, inter segetes, caule procumbente, ramoso, piloso, floribus parvis, luteis, axillaribus, solitariis, longe pedunculatis, galea violacea, Folia petiolata, hastato-ovata, pilosa. — Hodie obsoleta. — Uti et

HERBA ELATINES FOLIO SUBROTUNDO. Bastard Löwenmaul *Herbe de Muflier bâtard.* — *Linariae spuriae* W. (*Antirrhini spurii* L. Fl. Bad. II. 690.), plantae praecedenti simillimae, iisdem locis occurrentis, sed floribus saepe binis, galea atropurpurea, Folia ovato-subrotunda.

HERBA EMPETRI. Schwarz Rauschbeeren-Kraut. *Herbe de Camarine à fruits noirs.* — *Empetri nigri* L. (Fl. Bad. III. 749.), e cl. Dioecia, ord. Triandria, fam. Empetrearum, fruticuli parvi, diffusi, procumbentis, Ericae facie, in locis montosis, turfosis occurrentis, floribus parvis rubris, axillaribus, baccis nigris succulentis, Folia exigua, terna-quina, ramulos fere tegentia, subpetiolata, ovali-oblonga, integerrima, margine revoluto, hinc linearia, superne saturate viridia, subtus pallidiora, glabra, firma; inodora, sapore amariusculo, subacri. — Hodie obsoleta.

HERBA ENDIVIAE, Scariolae seu Intybi hortensis. Endivien-Kraut. *Herbe d'Endive, de Scariole.* *Cichorii Endiviae* L. (Fl. Bad. III. 352. — Cl. cet. v. Rad. Cichorii), plantae in culinis notissimae, in Oriente nativae, Folia oblongo-obovata, dentata, glabra, vel subpilosa, ciliata, laete viridia, multis cum variationibus; inodora, sapore herbaceo, amariusculo. — Hodie obsoleta.

HERBA EPHEDRAE MONOSTACHIAE L. Einähriger Roßschwanz, (Cl. cet. v. Folia Taxi p. 80.), fruticis parvi articulati, Hungariae, Bessarabiae, Tauriae, Sibiriae, amentis sparsis vel oppositis, longe pedunculatis, Articuli Herbae Equiseti minoris (p. 116.) similes cum vaginis bidentatis obtusis; sapore acri-nauseoso. — Apud Kirgisos in catarrho usurpatur.

HERBA EPIMEDII. Alpensockenblumen-, Bischofsmützen-Kraut. *Herbe d'Epimède des Alpes.* —

Epimedii alpini L. (Fl. Bad. IV. 121.), e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Rhamnearum, plantae pulchrae perennis Alpinae, floribus atro-rubro-luteoque pictis, in paniculam erectam, ex medio petiolo ortam, digestis. Folia radicalia magna, longe petiolata, ternato-supradecomposita, foliolis oblique cordatis, acutis, serratis; glabra, superne laete viridia, subtus glauca; sapore adstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA EPITHYMI CRETICI. Cretische Thymseide. *Herbe de Cuscute epithym.* — *Cuscuta Epithymum* L. (Fl. Bad. I. 375. — Cl. cet. v. Hb. Cuscutae p. 113.), planta annua parasitica, Cuscutae europaeae, simillima, iisdem locis et in Oriente occurrens, saepe Thymum vulgarem, Serpyllum, Ericam cet. obvolvens. Fila autem sunt tenuiora, subcapillacea, florum glomera minora; sapor acer, irritans. — *Vis* et *Usus*: uti Cuscutae. — Ex Oriente advehebatur cum Thymo involuto. — *Praep.*: Extractum, Tinctura. — Hodie obsoleta.

HERBA EQUISETI, Equiseti minoris. Schafthen, Schachtelhalm, Kannenkraut, Roßschwanz, Katzenwedel. *Prêle des champs, Queue de cheval.* — *Equiseti arvensis* L. e cl. Cryptogamia (ord. Filicum L.), fam. Equisetacearum, plantae perennis indigenae, in agris et pratis humidis, ad fluviorum ripas, vulgaris, scapo fructifero praecoce, simplici, articulato, aphyllo, carneo, fuscescente, vaginato. Caulis sterilis, serotinus, erectus et procumbens, articulatus, breviter vaginatus, striatus, asper, pallide viridis, a basi usque ad apicem ramis verticillatis, subsimplicibus, angulosis, ceterum cauli similibus, praeditus; inodorus, sapore levi sed diu adhaerente amaro, subirritante. — *Vis*: diuretica, toxica(?) — *Usus*: In decocto.

HERBA EQUISETI MAJORIS seu mechanici. Winterschafthen, gewöhnlicher Schachtelhalm, Kandelwisch, Sinnkraut. *Herbe de Prêle d'Hiver.* — *Equisetum hiemale* L. planta perennis, locis sabulosis, humidis, umbrosis, silvaticis vulgaris, praecedenti similis, sed major, caule erecto, sub-simplici, viridi, striato, asperrimo, vaginis adpressis, basi et apice nigris, spicis terminalibus, parvis, nigris; tota colligenda. — *Vis*: praecedentis, immo praestantior. — Eodem modo abhibetur.

HERBA seu SUMMITATES ERICAE. Haide-Kraut. *Herbe de Brujère commune.* — *Ericae vulgaris* L. (*Callunae vulgaris* SALISB. — Fl. Bad. II. 154.), e cl. Octandria, ord. Monogynia, fam. Ericearum, fruticuli vulgatissimi elegantis. Folia minuta, lineari-3-gona; sagittata, crassiuscula, quadrifariam ramulos tegentia, laete viridia, cum Summitatibus florentibus, racemos subsecundos, ex floribus parvis persistentibus, plerumque violaceo-rubris exhibentibus, colligenda; sapore amariusculo adstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA ERIGERONTIS CANADENSIS. Kanadisches Beruf-Kraut. *Herbe de Vergerette de Canade.* — *Erigerontis Canadensis* L. (Fl. Bad. III. 423. — Cl. cet. v. H. Conyzae coeruleae p. 111.), plantae annuae ex America boreali oriundae, nunc apud nos locis sterilibus, sabulosis, in muris, cet. vulgaris, caule stricto simplici, vel superne ramoso, ramis virgatis, sulcato, pilis patentibus sparsis hirsuto. Folia anguste lineari-lanceolata, basi attenuata, acuta, integerrima vel remote denticulata, longe pilosa et ciliata, flavescenti-glauco-viridia, cum Summitatibus florentibus, paniculato-racemosis, confertis, florum (calathiorum) parvorum albidorum colligenda; odore proprio grate aromatico et sapore acerrimo, mordaci. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore atro-viridi turbatur. — *Part. const. praev.*: Principium proprium acre et adstringens et Oleum aethereum. — *Vis*: antidysenterica (?) diuretica (?). — *Usus*: In pulvere, infuso. — *Praep.*: Tinctura, Extractum. — Planta sane efficax et digna, quae magis adhibeatur.

HERBA ERIGERONTIS PHILADELPHICI L. Philadelphisches Berufskraut *Herbe de Vergerette de Philadelphia*, — plantae Americae borealis, caule erecto, villoso, floribus corymbosis. Folia inferiora longe petiolata, oblonga, dentata, superiora amplexicaulia. — In America ut diureticum, sudoriferum, emmenagogum adhibetur.

HERBA ERUCAE SATIVAE. Senfkohl, weißer Gartensenf, zahme Rauke *Herbe de Roquette.* — *Brassicae Erucae* L. (v. Sem.) Folia speciosa, lyrata, pinnatifida, glabra vel subhirsuta, laete viridia vel glauco-viridia, succulenta; odore et sapore acri-pungente. — Apud nos non adhibetur.

HERBA ERUCAGINIS. Senfblätteriges Zackenschoten Kraut *Herbe de Roquette sauvage.* — *Buniadis Erucaginis* L. (Cl. cet. v. Hb. Cakiles p. 101.), plantae annuae Europae meridionalis passimque Germaniae, caule erecto ramoso, verrucoso, floribus flavis, siliculis 4-gonis, subdentatis, quadrilocularibus. Folia radicalia runcinata, caulina lanceolata, sinuato-dentata, pilis dichotomis praedita; odore et sapore acri-pungente. — Hodie obsoleta.

HERBA ERYNGII AMERICANI, foetidi. Stinkende Männstreu *Herbe de Panicaut americain.* — *Eryngii foetidi* L., e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Umbelliferarum, plantae biennis Indiae occidentalis Floridaeque, caule dichotomo, floribus terminalibus in capitulum cylindricum congestis, involucro floribus longiore, foliolis subsessilibus, serratis, spinosis. Folia radicalia simplicia, lanceolata, basi attenuata, serrato-spinosa, floralia multipartita, spinis purpurascentibus; odore nauseoso coriandri recentis simili. — Hodie obsoleta.

HERBA ERYSIMI VULGARIS, Irionis. Gemeiner Wegsenf, gelbes Eisenkraut. *Herbe de Vélar des boutiquès, aux Chartres.* — *Erysimi officinalis* L. (*Sisymbrii officinalis* SCOP. — Fl. Bad. III. 73. — Cl. cet. v. Hb. Barbareae p. 97.), plantae annuae, ad vias, muros, in ruderatis, vulgaris, caule erecto plerumque ramosissimo, striato, saepius violaceo, aspero, firmo, floribus minutis flavis, in racemos spicatos, cum siliquis rhachi adpressis, subpyramidato-8-gonis, digestis. Folia inferiora runcinata, pinnatifida et pinnata, lobis inciso-dentatis, summa subtriloba, labio medio majori elongato, omnia plus minus pilosa vel glabriuscula, subtus costa media hirsuta; odore levi et sa-

pore herbaceo, subacri. — *Vis:* incidens, resolvens. — *Usus:* In pulvere, infuso, externe herba recens tumoribus imponitur. — *Praep.:* Syrupus Erysimi Lobelii, Conserva.

† HERBA ESULAE. Gemeine Wolfsmilch, Eselsmilch *Herbe de Tithymale, d'Esule.* — *Euphorbiae Esulae* L. (Fl. Bad. IV. 327.), e cl. Monoecia, ord. Monandria, fam. Euphorbiacearum, plantae perennis Europae mediae et borealis, apud nos rarissime occurrentis, caule erecto, vel adscendente, ramoso, ramis sterilibus, umbella 6—12-radiata, bifida, floribus viridescenti-luteis, involucris 6—12-phyllis, foliolis ovatis acutis, involucellis latis, subcordatis, acutis, flavescenti-viridibus, capsulis glabris, Folia caulina et ramea uniformia, anguste lanceolata, vel lingulata, mucronata, superne subscabra, saturate viridia, subtus pallidiora, glabra, quae si vulnerantur, ut tota etiam planta, succum lacteum, acerrimum exsudant. — *Vis:* drastica, corrodens (?) toxica. — Hodie non adhibetur. — Cave confundas cum Euphorbia Gerardiana, caule non ramoso, foliis angustioribus, lineari-lanceolatis, acutis, glaucis, umbella multiradiata, involucris late lanceolatis, involucellis deltoideis, obtusis. — Hujus loco crebro colligitur

† HERBA ESULAE MINORIS. Kleine Wolfsmilch oder Eselsmilch, Cypressen Wolfsmilch, Teufelsmilch. *Herbe d'Euphorbe Cyprès.* — *Euphorbiae Cyparissiae* L. (Fl. Bad. II. 335.), plantae vulgatissimae, priori similis, sed plerumque minoris, caule ramosissimo, ramis sterilibus, umbella multiradiata, dichotoma, involucellis cordatis, acuminatis, postremo saepe purpurascentibus, capsulis verrucosis, Folia diformia, augustiora, caulina linearia, obtusiuscula, integerrima, margine subreflexa, ramea plerumque subsetacea, omnia superne laete viridia, subtus glauco-viridia. — Planta pariter lactescens, acris. — Viribus praecedentis praedita.

† HERBA ESULAE MAJORIS. Große Sumpfwolfsmilch. *Herbe d'Euphorbe de marais.* — *Euphorbiae palustris* L. (Fl. Bad. II. 340.), plantae magnae indigenae, paludosae, caule erecto, crasso, superne ramoso, ramis pluribus sterilibus, umbella magna, multiradiata, radiis bi-3-fidis, involucris et involucellis late ovato-lanceolatis, flavis, floribus luteis, fructibus tuberculoso-verrucosis, Folia speciosa, oblongo-lanceolata, integerrima, obtusa, glabra; lactescentia, acria. — Apud nos non adhibetur.

† HERBA ESULAE ROTUNDIFOLIAE. Rundblättrige Wolfsmilch. *Herbe d'Euphorbe à feuilles rondes.* — *Euphorbiae Peplus* L. (Fl. Bad. II. 320.), plantae annuae in hortis, agris, cet. vulgaris, caule erecto, ramoso, umbella 3-fida, dichotoma, involucris et involucellis ovatis, fructibus 3-carinatis, reticulato-sulcatis, Folia parva, obovata, petiolata, integerrima, glabra; acria, lactescentia. — Hodie obsoleta.

HERBA EUPATORII, Cannabinae aquaticae, Avicennae, Origani aquatici, Sanctae Cunigundae, Trifolii cervini. Wasserdost oder Wasserhanf, St. Kunigundenkraut, Alpkraut, Hirschklee. *Herbe d'Eupatoire commune* ou *d'Avicenne.* — *Eupatorii cannabini.* L. (Fl. Bad. III. 399.), e. cl. Syngenesia, ord. Polygamia aequali, fam. Compositarum, trib. Eupatorinarum, plantae perennis speciosae, in locis aquosis, pratensibus, silvaticis, cet. vulgaris, caule erecto ramoso, obtusangulo, striato, breviter piloso, saepe rubello, ramis oppositis, erectis, floribus (calathiis) parvis, pallide purpurascentibus, in corymbos terminales, compositos, confertos, digestis; Folia speciosa, inferiora petiolata, superiora sessilia, profunde 3-partita vel ternata, rarius quinata, summa subsimplicia, foliolis ovato-lanceolatis, terminali plerumque majori, integris vel bi-3-fidis, grosse inaequaliter serratis, subinde integerrimis, breviter lanato-pilosa vel glabriuscula, superne saturate viridia, subtus canescentia; odore proprio, haud grate aromatico, sapore aromatico-amaro, subsalso-adstringente. Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati colore obscure viridi turbatur. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum amarum et adstringens atque Oleum aethereum. — *Vis:* tonica, febrifuga, antihydropica, mundificans, vulneraria. — *Usus:* In infuso. — *Praep.:* Succus expressus. — Herba recens externe ulceribus applicatur. — Planta hodie immerito vix adhibetur.

HERBA EUPATORII PERFOLIATI L. Durchwachsener Wasserhanf *Herbe d'Eupatoire perfoliée,* — plantae perennis Americae borealis, praecedentis habitu, sed magis hirsutae, floribus albis majoribus, Folia magna, perfoliata, lanceolata, acuminata, crenato-serrata, rugosa, superne saturate viridia, subtus tomentosa, aspera; sapore amaro. — In America ut febrifugum, sudoriferum, purgans, emeticum cet., maxime celebrata.

HERBA EUPATORII PURPUREI W. Purpurfarbiger Wasserhanf. *Herbe d'Eupatoire pourprée,* — plantae perennis Americae septentrionalis, caule erecto, supra purpurascente, floribus incarnato-purpureis, Folia petiolata, quaterna et quinata, lanceolato-ovata, serrata, rugosa, scabriuscula, utrinque viridia; sapore acri-amaro. — In America adhibetur.

HERBA EUPATORII TEUCRIFOLII W. Gamanderartiger Wasserhanf. *Herbe d'Eupatoire à feuilles de Germandrée,* — plantae annuae Americae borealis, caule erecto, ramis fastigiatis, floribus albis paucifloris, Folia sessilia, distincta, ovata, superiora basi grosse serrata, summa integerrima. — In America ut tonicum, nervinum, diaphoreticum, diureticum adhibetur.

† HERBA EUPHORBIAE HELIOSCOPIAE L. Sonnenwendende Wolfsmilch. *Herbe de Tithymale reveil matin.* (Fl. Bad. II. 327. — Cl. cet. Hb. Esulae v. supra), plantae annuae in oleraceis cet. vulgaris, umbella 5-fida, dichotoma, fructibus glabris, Folia cuneiformia, serrata, laete viridia. Olim ut Herba Esulae adhibebatur.

† HERBA EUPHORBIAE HYPERICIFOLIAE L. Johanniskrautblätterige Wolfsmilch, schwarze Petersilie *Herbe d'Euphorbe à feuilles de Millepertuis,* — plantae annuae Americanae, caule erectiusculo, ramoso, ramis patentibus, floribus terminalibus paniculatis, albidis, Folia opposita, obliqua, oblonga, obtusa, subserrata, glabra. — In patria ut adstringens (?) et narcoticum (?), antidysentericum cet. adhibetur.

† HERBA EUPHORBIAE SILVATICAE. Waldige oder mandelblätterige Wolfsmilch. *Herbe d'Euphorbe à feuilles d'Amandes.* — *Euphorbiae amygdaloidis* L. (Fl. Bad. II. 333.), plantae perennis montosae, silvaticae, umbella 5—8-fida, dichotoma, bifida, Folia spathulato-lanceolata, superne in rosulam congesta, saturate viridia, subtus pubescentia, firma, — ut Herba Esulae majoris adhibetur.

HERBA cum FLORIBUS EUPHRASIAE, Euphragiae, Ophthalmicae. Officineller Augentrost. *Herbe d'Euphraisie.* — *Euphrasiae officinalis* L. (Fl. Bad. II. 671.), e cl. Didynamia, ord. Angiospermia, fam. Scrophularinarum, plantae annuae parvae, in pratis, pascuis montosis et silvaticis vulgaris, caule

erecto, basi ramoso, raro simplici, floribus axillaribus solitariis, subsecundis, parvis, albis, purpureo-venosis vel pallide violaceis, ore luteo maculatis, Folia parva, subamplexicaulia, ovata vel subrotunda, argute serrato-dentata, obscure viridia, nervoso-costata, glabriuscula, vel glanduloso-pilosa, cum Summitatibus florentibus colligenda. Odor recentis debilis, subaromaticus, sapor primo dulciusculus, irritans, post amariusculo-salsus. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore viridi imbuitur. — *Vis:* subadstringens, ophthalmica. — *Usus:* In infuso. — *Praep.:* Succus expressus, Aqua destillata. — Hodie vix adhibetur.

HERBA EUPHRASIAE RUBRAE. Rother Augentrost Zahntrost. *Herbe d'Euphraisie rouge.* — *Euphrasiae Odontitidis* L. (Fl. Bad. II. 672. — *Bartsiae Odontitidis* HUDS. — Cl. cet. praecedentis), plantae in pratis, pascuis humidis, ad vias, passim frequentis, praecedenti majoris, floribus purpurascentibus majoribus, in racemos terminales, secundos, subnutantes digestis, Folia sessilia, lineari-lanceolata, acuta, remote serrata, subaspera, saturate viridia; sapore amaro. — Hodie obsoleta.

HERBA FABAGINIS. Doppelblatt, Bohnen-Kapern-Blätter. *Herbe de Fabagette.* — *Zygophylli Fabaginis* L., e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Zygophyllearum, plantae perennis Syriae, Africae borealis, Folia opposita, petiolata, conjugata, foliolis obovatis, inaequilateris, integerrimis, carnosis; sapore amaro, acriusculo. — Apud nos non adhibetur.

HERBA FARFARAE. Huflattig. *Herbe de Pas d'Ane.*

Synon: Herba Tussilaginis, Becchii, Lingulae caballinae. Roßhuf, Eselshuf, Brandlattig.

Tussilaginis Farfarae L. (Fl. Bad. III. 427.), e cl. Syngenesia, ord. Polygamia superflua, fam. Compositarum, trib. Eupatorinarum, plantae perennis, in agris argillaceis, humidis, ad vias cet., vulgaris, Folia radicalia post florum (p. 65.) evolutionem apparentia, speciosa, longe petiolata, rotundato-cordata, acutangula, dentata, superne saturate viridia, glabra, subtus albido-tomentosa, crassiuscula, carnosa; inodora, sapore subsalso, herbaceo, submucilaginoso, subadstringente, amariusculo. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore atro-viridi turbatur. — *Part. const. praev.:* Mucilago, Principium adstringens cum Principio amaro. — *Vis:* pectoralis, incidens.

Usus: In substantia raro, in infuso, decocto; folia recentia externe applicantur. — *Praep.:* Succus expressus, Aqua, Conserva. Additur Speciebus etiam pectoralibus.

HERBA FILAGINIS. Fadenkraut, deutsches Ruhrkraut. *Herbe de Perlieu d'Allemagne.* — *Gnaphalium Germanicum* SM. (*Filago germanica* L. — Fl. Bad. III. 415. — Cl. cet. praeced.), Planta annua, in arvis, locis arenosis, vulgaris, caule erecto, ramoso, incano-tomentoso, tenui, ramis sparsis erectis, dichotomis, foliis sessilibus, patentibus, lineari-lanceolatis, undulatis, subacutis, integerrimis, albido-lanatis, floribus parvis, fusco-luteolis, axillaribus terminalibusque, in glomerulos speciosos, rotundos, confertos, albido-tomentosos congestis. Tota planta colligenda. — Hodie obsoleta.

HERBA FILIPENDULAE, Saxifragiae rubrae. Knolliges Spierstauden-Kraut, rother Steinbrech, Filipendelwedel. *Herbe de Filipendule.* — *Spiraeae Filipendulae* L. (v. Flores p. 65.) Folia radicalia in orbem congesta, petiolata, caulina sessilia, omnia interrupte pinnata, foliis Achilleae Millefolii subsimilia, foliolis majoribus oblongis, profunde inciso-dentatis, foliolis minoribus 3—5-fidis, glabra vel in juventute subtus pilosula et ciliata, saturate viridia; trita odore grato, sapore adstringente. — Hodie obsoleta.

† HERBA FLAMMULAE, Flammulae Ranunculi. Brennkraut, Egelkraut, kleiner Sumpf-Hahnenfuß. *Herbe de Renoncule flammette.* — *Ranunculi Flammulae* L. (Fl. Bad. II. 532. — Cl. cet. ut subsequentis), plantae perennis in pratis, pascuis humidis, vulgaris, caule decumbente adscendente, ramoso, glabro, floribus terminalibus, petiolatis, flavis, parvis, Folia parva, lanceolata vel lineari-lanceolata, integerrima, vel remote denticulata, glabra; sapore acerrimo-urente. — Planta recens venenata, inflammans. — Ut vesicans externe adhibetur. — Apud nos non usurpatur.

† HERBA FLAMMULAE JOVIS, Clematidis erectae. Brennkraut, aufrechte Waldrebe. *Herbe de Clematite droite, de Liene.* — *Clematidis erectae* L. (Fl. Bad. II. 419.), e cl. Polyandria, ord. Polygynia, fam. Ranunculacearum, plantae perennis Europae mediae passimque Germaniae, in nemoribus ad silvarum margines, in pratis siccis, caule erecto tereti, glabro, striato, fistuloso, superne ramoso, (Fl. v. p. 66.) Folia opposita magna, impari-pinnata, foliolis 5-7, speciosis, petiolatis, petiolis passim tortis, subcirrhosis, ovato-vel subcordato-lanceolatis, integerrimis, margine subrevoluto, basi subinaequali, superne laete viridia, glabra, subtus pallidiora, pilosula, nervoso-reticulata, firma, subcoriacea; inodora, si conquassantur autem vapores acerrimos pungentes emittentia, sapore acerrimo-urente, facile inflammationem et vesicas excitantia. Siccata folia minus acria, subsalso-amariuscula. Infusum aquosum ope

ferri muriatici oxydati colore obscure viridi imbuitur, ope tincturae gallarum autem in floccis pallide griseis turbatur. — *Part. const. praev.*: Principium acre volatile et adstringens. — *Vis*: maxime irritans, diaphoretica, diuretica, purgans, facile toxica. — *Usus*: Interne cautissime adhibenda, Succus expressus, in pulvere, infuso et externe ut rubefaciens, vesicans cuti imponitur, ad ulcera sananda adhibetur.

Cave confundas cum Herb. Clematidis silvestris (p. 110.) et cum Herba Ranunculi flammei majoris.

HERBA FOENICULI, Foeniculi dulcis. Fenchelkraut. *Herbe de Fenouil.* — *Foeniculi vulgaris* Gaertn. (*Anethi Foeniculi* L. *Mei Foeniculi* Spr. v. Semen.) — Folia magna supradecomposita, diffusa, pinnulis laciniisque longis, filiformibus et setaceis, superne sulco longitudinali praeditis, saturate viridia, glabra; odore grate aromatico, et sapore aromatico, dulciusculo. Inter siccandum aroma partim perditur. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum. — *Vis*: carminativa, resolvens. — *Usus*: In infuso raro; externe herba recens mammis inflammatis imponitur.

HERBA FRAGARIAE. Erdbeerkraut. *Herbe de Fraisier.* — *Fragariae vescae* L. (Cl. cet. v. Frag. p. 81.), Folia ternata, radicalia longe petiolata, foliolis ovatis, grosse et obtuse serratis, lateralibus basi inaequalibus, utrinque tenerrime sericeo-pilosis, laete viridibus; inodora, sapore adstringente, amariusculo. — *Part. const. praev.*: Principium adstringens. — *Usus*: In infuso raro.

HERBA FUMARIAE. Erdrauch. *Herbe de Fumeterre officinale.*

Synon.: Herba Fumiterrae, Solaminis scabiosorum.

Fumariae officinalis L. (Fl. Bad. III, 146.), e cl. Diadelphia, ord. Hexandria, fam. Fumariacearum, plantae annuae parvae, indigenae, in agris, vineis, hortis vulgaris, caule diffuso glabro, albido, Folia petiolata, tricomposito-pinnata, pinnulis parvis, anguste cuneiformibus, bi-3-fidis, laciniis lineari-lanceolatis, mucronatis, saturate viridia, plus minus glaucescentia, glaberrima, tenera, passim crassiuscula, carnosa, una cum Floribus parvis, rosaceo-purpureis, papilionaceo-ringentibus, calcaratis, in racemos parvos, terminales, erectos digestis, colligenda; odore ingrato, subnarcotico, qui dum siccantur aufugit, sapore salso, amaro, subacri. Infusum aquosum ope tincturae gallarum cinereo turbatur. — *Part. const. praev.*: Principium amarum proprium et Kali muriaticum. — *Vis*: tonica, incitans, resolvens, detergens.

Sit Herba siccata viridis; neque vero nigrescens et mucida stipitibusque majoribus intermixta. (Confundi posse cum Hb. Geranii Robertiani v. p. 121.)

Usus: In pulvere raro, melius in infuso, decocto. — *Praep.*: Succus expressus, Extractum Conserva, Essentia, Syrupus, Aqua, Spiritus, Oleum.

HERBA GALEGAE, Rutae caprariae. Offizinelle Geisraute, Geisklee. *Herbe de Galega officinal, de faux Indigo, Rue de chèvre.* — *Galegae officinalis* L. (Fl. Bad. III. 616.), e cl. Diadelphia, ord Decandria, fam. Leguminosarum, plantae speciosae perennis Europae mediae et australis passimque Germaniae, caule ramoso, glabro, rigido, floribus speciosis violaceis vel albidis, in racemos axillares terminalesque erectos digestis, Folia magna, oblonga, impari pinnata, pinnis lanceolatis, integerrimis, mucronatis, glabris, laete viridibus, subtus oblique parallelo-venosis; inodora, sed trita odore nauseoso, sapore ingrato amariusculo, subacerbo, salivam masticantis colore flavo-viridi tingentia. — *Vis*: febrifuga, alexipharmaca (?), anthelminthica. — *Usus*: In pulvere, infuso. — *Praep.*: Aqua, Syrupus, Conserva. — Hodie vix adhibetur.

HERBA GALEGAE VIRGINIANAE L. (Thephrosiae virgin. PERS.) Virginische Geißraute. *Herbe de Galega de Virginie*, — plantae perennis Americae borealis, Folia pinnata, pinnis sub-10-jugis, oblongo-lanceolatis, mucronatis, villosis. — Ut anthelminthicum in patria adhibetur.

HERBA GALEOPSIDIS OCHROLEUCAE. Gelber oder großblumiger Hohlzahn, Liebersche Auszehrungskräuter, Blankenheimer Thee. *Thé de Lieber.* — *Galeopsis grandiflora* ROTH. (*Galeops. villosa* HUDS. *Galeops. ochroleuca* LAM. — Fl. Bad. II. 620.), e cl. Didynamia, ord. Gymnospermia, fam. Labiatarum, planta annua indigena, in arvis sabulosis passim frequens, tota florens absque radice colligenda, caule erecto, plerumque ramoso, obtuse quadrigono, pilis adpressis, subsericeis, geniculis subaequalibus, superne non admodum turgidis, ramis oppositis similibus, erecto-patentibus, Foliis late-lanceolatis vel ovato-lanceolatis, petiolatis, obtuse serratis, basi integerrimis, utrinque subsericeo-pilosis, colore flavescenti-viridi, subtus pallidiore, tactu mollibus, floribus verticillatis, verticillis inferioribus remotioribus, superioribus approximatis, 6—10-floris, bracteis parvis lanceolatis, calycibus viscoso-pilosis, pungentibus, corollis ochroleucis, calyce 3—4-plo majoribus; odore tenui, proprio, balsamico, sapore fatuo, subsalso-amariusculo. Infusum aquosum ferro muriatico oxydato colore obscure viridi tingitur. — *Part. const. praev.*: Resina propria amariuscula irritans, Principium extractivum amarum et adstringens. — *Vis*: pectoralis, tonica, resolvens. — *Usus*: In infuso. Herba concisa nomine supra commemorato venditur. — Planta sane efficax magis adhibenda. — Cave confundas cum Galeopside versicolore, magis aspera, hirsuta, geniculis incrassatis; cum Galeopside Ladano, ramis brachiatis, foliis lineari-lanceolatis, obscure canescentibus, floribus purpureis minoribus, et cum Herba Cannabis silvestris (p. 102.), Sideritidis, Stachyos annuae, infra describendis.

HERBA cum FLORIBUS GALII ALBI. Weißes Labkraut, weißes Waldstroh mit Blumen. *Herbe de Cail-lait blanc.* — *Galii Mollugini*s L. (Fl. Bad. I. 345.), e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Rubiacearum, plantae perennis in pratis, sepibus cet., vulgaris, caule flaccido ramosissimo, divaricato, glabro, quadrangulo, Folia saepissime octona, parva, oblonga, mucronata, margine minutissime serrulata, aspera, ceterum glabra, nitentia, laete viridia, cum Summitatibus florentibus, in paniculam compositam digestis, floribus parvis albis, colligenda; odore (recentis) debili haud ingrato, sapore herbaceo subacri. — Hodie obsoleta.

HERBA seu SUMMITATES GALII LUTEI. Gelbes Labkraut oder Megerkraut. Waldstroh, Liebfrauen-Bettstroh. — *Herbe de Cail-lait jaune.* — *Galii veri* L. (Fl. Bad. I. 141. — Cl. cet. praecedentis), plantae perennis locis siccis, ad vias cet., vulgaris, caule erecto, subrotundo, geniculato, ramoso, ramis brevibus pubescentibus, Folia suboctona, angusta, linearia, mucronata, margine revoluto, glabriuscula, saturate viridia, cum Summitatibus florentibus, paniculam oblongam ex floribus parvis, luteis congestam exhibentibus, colligenda. Recens odore proprio, grate aromatico, sapore adstringente, acidulo-amariusculo. — *Part. const. praev.*: Acidum quoddam organicum volatile et Principium adstringens. — *Vis*: antihysterica, antiepileptica. — *Usus*: In decocto, Succus expressus. — Hodie rarissime adhibetur.

HERBA seu FOLIA GAULTHERIAE. Canadischer Thee, Bergthee. *Herbe de Gaultherie couchée.* — *Gaultheriae procumbentis* L. (Cl. cet. v. Hb. Anthos silvestris p. 94.), fruticuli procumbentis Americae borealis, Folia pollicaria, oblonga, utrinque attenuata, mucronata, obsolete serrata, glabra, coriacea, basi subpurpurascentia; odore grate aromatico et sapore adstringente. — In America boreali pro thea crebre adhibetur.

HERBA GENIPI ALBI, Absinthii alpini. Weißes Genipkraut, Felsenbeifuß. *Herbe de Genepie blanc.* — *Artemisiae rupestris* L. (Cl. v. Hb. Absinthii p. 89.), plantae perennis Alpinae, caule prostrato, florente, adscendente, simplici, sericeo-tomentoso, floribus axillaribus, solitariis, speciosis, globosis, glabris, flavis, Folia inferiora bipinnatifida glabra, superiora simplicia pectinata, foliolis laciniisque angustis, lineari-lanceolatis, mucronatis; odore fragrantissime aromatico, uti et sapore parum amaro. — Ut stomachicum, febrifugum maxime celebrata. — Apud nos non adhibetur. — Hoc nomine etiam — usu veniunt — Artemisia glacialis L., planta parva Alpina, caule herbaceo simplicissimo, albo-tomentoso, foliis omnibus palmato-multifidis, niveis, sericeis, floribus terminalibus glomeratis, sessilibus, globosis et — Artemisia Mutellina L. priori simillima, sed foliis minus albis, floribus minoribus oblongis, plerumque in racemum oblongum foliatum digestis; — ambae pariter aromaticae. — Aqua vitae, quae dicitur Extrait d'Absinthe, his plantis paratur.

HERBA GENIPI NIGRI. Schwarze Genipkräuter. *Herbe de Genepie noir.* — Sub hoc nomine intelliguntur Artemisia spicata JACQ., planta Alpina, caule herbaceo simplicissimo, Foliis radicalibus palmato-pinnatifidis, caulinis pinnatifidis, summis integerrimis, teneris, obtusis, omnibus incano-sericeis, floribus in racemum terminalem foliatum digestis — et Artemisia vallesiaca LAM., planta gracilis Alpina, caule subramoso, Foliis bipinnatis, niveo-tomentosis, foliolis lineari-filiformibus, floribus sessilibus, oblongis, erectis, in paniculam simplicem digestis. — Plantae pariter aromaticae, quae eodem modo ac praecedentes adhibentur.

HERBA cum SUMMITATIBUS GENISTAE seu Cacumina Spartii. Besenginster, Pfriemenkraut. *Herbe de Genêt commun.* — *Genistae scopariae* LAM. (*Spartii scoparii* I. v. Flores p. 66.), Folia parva, inferiora petiolata, ternata, superiora sessilia, simplicia, foliolis oblongis, obovatis, integerrimis, sericea, saturate viridia; trita odore ingrato et sapore nauseoso-amaro. — *Vis*: diuretica. — Hodie obsoleta. — Eodem modo adhibentur

HERBA et FLORES GENISTAE JUNCEAE L. Binsenpfriemen. *Herbe de Genêt jonciforme*, — fruticis Europae meridionalis, prioris similis, sed ramis cylindricis, flexilibus, Foliis simplicibus majoribus, lanceolatis.

HERBA cum SUMMITATIBUS GENISTAE TINCTORIAE, Cytiso-genistae. Färberginsterkraut. — *Herbe de Genêt de Teinturier.* — *Genistae tinctoriae* L. (Fl.

Bad. III. 156. — Cl. cet. praecedentis), fruticuli in silvaticis graminosis, dumetis, pascuis siccis, crescentis, ramis junioribus angulosis, herbaceis, glabriusculis, Folia simplicia, anguste lanceolata, acuta. integerrima, glabra vel pilosa, ciliata, laete viridia, firmiuscula; cum Summitatibus florentibus, ex racemis confertis, foliatis, florum speciosorum luteorum, papilionaceorum constantibus, colligenda; inodora, trita autem odore subacri, nasturtiino, sapore fatuo herbaceo, mucilaginoso, subacri-amariusculo. — *Part. const. praev.:* Oleum volatile acre, Principium proprium extractivum flavo-colorans et adstringens et Mucilago. — *Vis:* diuretica, alvum movens, contra hydrophobiam (?) — Cave confundas cum planta praecedente.

HERBA seu SUMMITATES GENISTELLAE. Pfeilförmiger Ginster. *Herbe de Genêt herbacée.* — *Genistae sagittalis* L. (Fl. Bad. III. 155. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis indigenae, locis graminosis, silvaticis crescentis, caule simplici adscendente, basi lignoso, superne herbaceo, articulato-alato, Folia subsessilia lanceolata, integerrima, utrinque pilosa, cum racemis terminalibus confertis, spicatis, ex floribus luteis constantibus, colligenda; odore et sapore praecedentis. — Hodie obsoleta.

HERBA GENTIANAE CAMPESTRIS L. Feldenziankraut. *Herbe de Gentiane des champs* — (Fl. Bad. IV. 194. — Cl. cet. v. Rad. Gentianae) plantae annuae montosae, subalpinae, caule erecto simplici et ramoso, floribus speciosis axillaribus terminalibusque, solitariis et binis, coeruleis, calyce 4-fido, laciniis duobus exterioribus majoribus, corolla hypocrateriformi, 4-fida, barbata, Folia radicalia petiolata, obovata, caulina sessilia, ovato-lanceolata, omnia integerrima, glabra, sub 3-nervia, sapore amaro. — Hodie obsoleta, — uti et

HERBA GENTIANAE CRUCIATAE L. Kreuz-Enzian. *Herbe de Gentiane crucifere* — (Fl. Bad. I. 599.), plantae perennis indigenae, locis siccis, asperis, graminosis crescentis, caule erecto simplici, floribus coeruleis axillaribus, verticillatis, in umbellam quasi terminalem digestis, corolla tubuloso-ventricosa, quadrifida, nuda, Folia cruciatim opposita, late-lanceolata, basi connata, integerrima, 3-nervia, glabra, nitentia; sapore amaro — et

HERBA GENTIANELLAE, Gentianae autumnalis. Kleiner Herbst-Enzian. *Herbe de Gentianelle.* — *Gentianae Amarellae* L. (Fl. Bad. I. 596.), plantae annuae in pratis, pascuis siccis, ad vias cet. passim frequentis, primo adspectu Gentianae campestri simillima, sed floribus minoribus, purpureo-coeruleis, calyce corollisque quinquefidis, fauce barbatis, Folia angustiora, lanceolata, vel lineari-lanceolata; sapore amaro.

HERBA GERANII BATRACHIOIDIS. Wiesen-Storchschnabel. *Herbe de Bec de grue.* — *Geranii pratensis* L. (Fl. Bad. III. 116.), e cl. Monadelphia, ord. Decandria, fam. Geraniacearum, plantae speciosae perennis, in pratis passim frequentis, caule erecto, patente-ramoso, villoso, geniculis tumidis, floribus axillaribus terminalibusque speciosis, violaceo-coeruleis, pedunculis bifloris, Folia radicalia et caulina inferiora longe petiolata, superiora subsessilia, omnia subpeltato-palmata, 5—7-partita, laciniis 3-lobis, profunde partitis, pinnatifidis, acutis, superne breviter pilosa, saturate viridia, subtus densius pilosa, pallidiora; odore nauseoso, sapore adstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA GERANII COLUMBINI, pedis columbi. Rundblätteriger Storchschnabel. *Herbe de Bec de grue à feuilles rondes.* — *Geranii rotundifolii* L. (Fl. Bad. III. 124. — Cl. cet. praeced.), plantae annuae indigenae, in arvis, hortis, ad vias obviae, caule procumbente, ramoso, villoso-viscido, geniculis incrassatis, pedunculis bifloris, floribus parvis, rubellis, petalis integris, calyce duplo longioribus, Folia longe petiolata, orbicularia, multipartita, 5—3-loba, basi truncata, pubescentia, mollia, subtus praecipue viscida; inodora, sapore herbaceo salso, subadstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA GERANII MOSCHATI, Moschatae, Acus moschata. Bisam-Storchschnabelkraut. *Herbe de Bec de grue musqué.* — *Erodii moschati* AIT. (*Geranii moschati* L. — Fl. Bad. III. 110.), plantae annuae Europae australis passimque Germaniae, caule decumbente, ramoso, villoso, floribus axillaribus, parvis, violaceo-rubellis, in umbellas longe pedunculatas digestis, Folia pinnata, subhirsuta, pinnis ovato-oblongis, inciso-serratis; odore fragrante moschum redolente, sapore adstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA GERANII ROBERTIANI L., Ruperti. Ruprechts-Storchschnabel, Ruprechtskraut, Bocksstorchschnabel. *Herbe de Bec de grue robertin,* — (Fl. Bad. III. 120.), plantae annuae in ruderatis, ad vias cet. vulgatissimae, caule erecto, dichotomo-ramoso, rariter piloso, saepius rubello, geniculis incrassatis, floribus axillaribus terminalibusque, parvis, rubellis, longe pedunculatis, pedunculis bifloris, Folia radicalia longe petiolata, uti et caulina, 3-nata — 5-nataque, trifido pinnatifida, lobis obtusis, rariter pilosa, subaspera, laete viridia; odore foetido, hircino, inter siccandum evanescente, sapore nauseoso-amariusculo, adstringente. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore viridi-nigro turbatur. — *Vis:* irritans, adstringens, vulneraria. — Herba recens solummodo adhibenda.

HERBA GERANII SANGUINEI, Sanguinariae. Blutrother Storchschnabel. *Herbe de Bec de grue sanguin.* — *Geranii sanguinei* L. (Fl. Bad. III. 129.), plantae perennis locis siccis, asperis crescentis, caule erecto, divaricato-ramoso, piloso, aspero, saepius rubro, geniculis incrassatis, floribus axillaribus speciosis, pulchris, sanguineis, longe pedunculatis, pedunculis unifloris, Folia petiolata, orbicularia, profunde 5—7-partita, lobis sub-3-fidis, laciniis divaricatis, linearibus, laete viridia vel incana; odore debili nauseoso, sapore peradstringente. Infusum aquosum ferro muriatico oxydato colore coeruleo-nigro turbatur. — Hodie obsoleta.

HERBA GITHAGINIS, Nigellastri. Kornraden- oder Kornnelken-Kraut. *Herbe de Lampette de blés.* — *Lychnidis Githaginis* SCOPOLI (*Agrostemmatis Githaginis* L. — Fl. Bad. II. 286.), e cl. Decandria, ord. Pentagynia, fam. Caryophyllacearum, plantae speciosae annuae, inter segetes frequentis, caule subsimplici vel superne dichotome-ramoso, floribus solitariis terminalibus, speciosis, caryophylleis, rubro-violaceis, calyce coriaceo, lobis calycinis linearibus, corolla longioribus, Folia opposita, basi connata, lineari-lanceolata, graminea, albide pilosa; inodora, sapore amariusculo. — Hodie obsoleta.

HERBA GLASTI, Isatis. Färber-Waid, Pastel, deutsches Indigkraut. *Herbe de Pastel.* — *Isatis tinctoriae* L. (Fl. Bad. III. 13.), e cl. Tetradynamia, ord. Siliculosa (Synclistarum SPR.), fam. Cruciferarum, plantae biennis speciosae indigenae, ad muros, rupes, in agris passim cultae, caule erecto, superne ramoso, gla-

bro, floribus parvis luteis, in racemos plures confertos, paniculam exhibentes, digestis, siliculis pendulis, majusculis, spathulato-oblongis, atro-fuscis, Folia radicalia et caulina inferiora majuscula, ovato-lanceolata, subpetiolata dentata, superiora sagittato-lanceolata, omnia villosula, aspera, glaucescentia; trita odore acri-raphanino, sapore acri-pungente, lepidino. — Hodie obsoleta.

HERBA GLAUCIS. Meermilch-Kraut. *Herbe au lait.* — *Glaucis maritimae* L. (Fl. Bad. I. 547.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Primulacearum, plantae perennis maritimae et indigenae, locis paludosis, praecipue salsis obviae, caule erectiusculo vel prostrato, simplici vel ramoso, floribus axillaribus, solitariis, sessilibus, parvis, rubellis, apetalis, Folia opposita, connata, lineari-lanceolata, glabra, succulenta. — Hodie obsoleta.

HERBA GLOBULARIAE. Kugelblumen, blaues Maßlieben-Kraut. *Herbe de Globulaire commune.* — *Globulariae communis* L. (Fl. Bad. I. 309. — Cl. cet. v. Folia Alypi p. 74.), plantae parvae perennis, indigenae, montosae, caule erecto simplici, floribus terminalibus violaceo-coeruleis, in capitulum densum congestis, Folia radicalia petiolata, spathulata, apice emarginata, subtridentata, nervosa, firma, caulina minora, sessilia, oblongo-lanceolata, inter siccandum facile nigrescentia; inodora, sapore amariusculo, subacri. — Hodie obsoleta.

HERBA GLYCYRRHIZAE SILVESTRIS. Wilde Süßholzblätter. *Herbe d'Astragale reglisier.* — *Astragali glycyphylli* L. (Fl. Bad. III. 214.), e cl. Diadelphia, ord. Decandria, fam. Leguminosarum, plantae perennis indigenae, caule procumbente, articulato, ramoso, floribus papilionaceis, flavescentibus, axillaribus, in racemos pedunculatos ovatos digestis, Folia magna, impari-pinnata, foliolis oblongo-ovatis, obtusis, mucronatis, cum stipulis magnis, ovato-acutis, integris vel denticulatis, glabra, superne saturate viridia, subtus glaucescentia; sapore subdulci. — Hodie obsoleta.

HERBA GRAMINIS. Queckengras. *Herbe de Chien-dent.* — Tritici repentis L. (v. Radix) Folia angusta, graminea. — Olim ad parandum Aquam destillatam et Succum expressum usurpabantur.

HERBA GRAMINIS FLORIDI. Augentrost Sternkraut *Herbe de Stellaire Holostée.* — *Stellaria Holostea* L. (Fl. Bad. II. 158. — Cl. cet. v. Hb. Alsines p. 92.), Plantula perennis in nemoribus umbrosis graminosis, ad vias, sepes vulgaris, caule erecto, quadrigono, subaspero, superne dichotomo, floribus speciosis niveis, petalis semibifidis, foliis oppositis, connatis, lanceolatis, acutis, latiusculis, sub lente serrulatis, scabris, laete viridibus, tota colligenda. — Hodie obsoleta.

HERBA GRAMINIS OSSIFRAGI. Beinbrech-Aehrenlilie. *Herbe de Narthec ossifrage.* — *Narthecii ossifragi* HUDS. (*Antherici ossifragi* L.), e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Asphodelearum, plantae perennis Europae borealis, scapo erecto, bracteato, floribus speciosis luteis, in racemum terminalem confertum congestis, Folia radicalia lineari-lanceolata et ensiformia, nervosa. — Hodie obsoleta.

HERBA GRAMINIS PICTI. Buntes Glanzgras. *Herbe de Calamagrostis colorée.* — *Phalaridis arundinaceae* L. *Var. foliis variegatis* (Fl. Bad. I. 122. — Cl. cet. ut Hb. Graminis), graminis perennis speciosi hortensis, panicula oblonga ventricosa, Folia graminea lata et longa, pulchre albo et viridi picta. — Hodie obsoleta.

† HERBA GRATIOLAE. Wilder Aurin. *Herbe de Gratiole.*

Synon.: Herba Gratiae Dei, Digitalis minimae. Gottesgnaden- oder Gnaden-Kraut, Purgierkraut, Giftkraut.

Gratiola officinalis L. (Fl. Bad. I. 45.), e cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Scrophularinarum, Planta parva perennis, in pratis humidis, ad fossas, fluviorum ripas, obvia, tota glabra, caule erecto subsimplici, obtuse quadrigono, geniculato, succulento, foliis cruciatim oppositis, sessilibus, lanceolatis, a medio ad apicem serratis, 3—6-nerviis, colore laete et pallide flavescenti-viridi, floribus axillaribus solitariis, pedunculatis, pallide rubellis, vel albidis, corolla resupinata, bilabiata, 4-partito-ringente, capsulis subrotundis; tota florens colligenda celeriterque siccanda. Siccata herba pallide viridis, inodora, sapore amarissimo, nauseoso. — *Part. const. praev.:* Resina acri-amara. — *Vis:* purgans, drastica.

Cave confundas cum Herba Scutellariae galericulatae, Veronicae scutellatae, Anagallidis (p. 93.), Chamaedryos (p. 106.); Galeopsidis Ladani (p. 120.), et Epilobii angustifolii, partim infra describendis.

Usus: In pulvere, infuso, decocto. — *Praep.:* Extractum, Vinum.

HERBA GRATIOLAE PERUVIANAE L. Peruvianisches Aurin oder Purgierkraut. *Herbe de Gratiole de Peru*, — plantae Peruvianae et Chilensis, Folia ovato-oblonga, serrata, sub 5-nervia. — In patria ut purgans adhibetur.

HERBA GUACO. Guaco-Blätter *Herbe de Guaco.* — *Mikaniae Guaco* HUMB. (Cl. cet. v. Herba

Eupatorii p. 117.), plantae Americae meridionalis, Folia ovata, acuminata, remote dentata, subtus ferrugineo-villosa. — In patria, uti et Succus expressus, contra morsum serpentum venenatorum externe adhibetur.

HERBA HARMALAE. Harmelstauden oder wildes Syrisches Rauten-Kraut. *Herbe d'Harmale.* — *Pegani Harmalae* L., e cl. Dodecandria, ord. Monogynia, fam. Rutacearum, plantae suffruticosae littoralis Europae australis et Asiae, floribus solitariis, speciosis, albis, Folia multifida, subbipinnata, laciniis linearibus, glabris, crassis; odore forti nauseoso. — Contra tumores externe applicatur.

HERBA HEDERAE TERRESTRIS, Chamaeclemae, Calaminthae humilis. Gundelreben, Gundermann, Erd-Epheu. *Herbe de Lierre terrestre.* — *Glechomatis hederaceae* L. (Fl. Bad. II. 609. — Cl. cet. v. Hb. Galeopsidis p. 120.), plantae perennis, ad vias, muros, sepes, in pratis siccis cet. vulgaris, caule procumbente radicante, ramoso, scabriusculo, ramis floriferis erectis, floribus in verticillos subsecundos, 2–5-floros congestis, amoene violaceis vel purpureis, intus albo-maculatis, antheris imparibus cruciatim approximatis, Folia petiolata reniformia, crenata, plus minus breviter pilosa, subhirsuta, superne saturate viridia, subtus pallidiora, punctulata, cum Summitatibus florentibus colligenda; trita odore proprio balsamico haud grato, sapore herbaceo, amaro, subadstringente, acriusculo. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore obscure viridi turbatur. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum amarum et adstringens cum Aromate. — *Vis:* tonica, resolvens, traumatica. — *Usus:* In infuso. — *Praep.:* Extractum, Aqua, Syrupus, Conserva.

HERBA HELIANTHEMI, Chamaecisti vulgaris. Gemeines Sonnenröschen. *Herbe de Ciste heliantheme.* — *Helianthemi vulgaris* GAERTN. (*Cisti Helianthemi* L. — Fl. Bad. II. 488. — Cl. cet. v. Hb. Cisti p. 110.), suffruticis parvi, caule decumbente, debili, piloso, floribus speciosis aureis, in racemos laxos terminales digestis, Folia parva opposita, brevi-petiolata, oblongo-lanceolata, obtusa, margine subrevoluta, superne pilosula, viridi-nitentia, subtus albida, firminscula; sapore subadstringente, amariusculo, mucilaginoso. — Hodie obsoleta.

HERBA cum FLORIBUS HELIOCHRYSI TRAGI. Leinkrautblättriger Goldschopf oder Goldhaar *Herbe de Chrysocome linière.* — *Chrysocomae Linosyridis* L. (Fl. Bad. III. 396. — Cl. cet. v. Hb. Eupatorii p. 117.), plantae perennis montosae Europae mediae passimque Germaniae, caule erecto, firmo, superne ramoso, Folia angusta, linearia, integerrima, saturate viridia, glabra, cum Floribus (calathiis) speciosis aureis, discoideis, in corymbum foliatum terminalem digestis, colligenda; odore et sapore aromatico. — Hodie obsoleta.

HERBA HELIOTROPII MAJORIS; Verrucariae, Cancri. — Europäisches Sonnenwenden-Kraut, Scorpions-schwanzkraut, Warzenkraut, Krebskraut. — *Herbe d'Heliotrope d'Europe, de Tournesol.* — *Heliotropii europaei* L. (Fl. Bad. I. 407. — Cl. cet. v. Hb. Cynoglossi p. 114.), plantae annuae Europae australis passimque Germaniae, in locis siccis, sabulosis, crescentis, caule erecto, tereti, villoso, subaspero, ramoso, floribus parvis, albidis vel pallide violaceis, spicas axillares solitarias et terminales, geminas, secundas, superne spiraliter recurvas, digestis, Folia petiolata, ovato-oblonga, integerrima, punctato-pilosa, rugosa, subtus venosa, subincana; inodora, sapore herbaceo, amaro, subsalso, post subacri. — *Vis:* antinephritica, anthelminthica ?), vulneraria. — Recens herba externe contra verrucas et ulcera gangraenosa adhibetur.

HERBA HELIOTROPII MINORIS. Kriechende Sonnenwende *Herbe de Heliotrope mineure.* — *Heliotropii supini* L., plantae annuae parvae Europae australis et Africae, caule procumbente, spicis omnibus solitariis, Folia ovalia, integerrima, — iisdem quibus praecedens virtutibus praedita. — Apud nos non adhibetur.

† HERBA HELLEBORI FOETIDI L. Stinkendes Nießwurzel-Kraut, wildes Christwurzel-Kraut. *Herbe d'Hellebore fétide*, — (Fl. Bad. II. 563. — Cl. cet, ut Herbae Flammulae Jovis p. 118.), plantae perennis indigenae ad radices et declivitates montium calcareorum crescentis, caule erecto, crasso, superne dichotomo-ramoso, glabro; floribus solitariis, terminalibus lateralibusque, pedunculatis, subnutantibus, campanulatis, flavescente-viridescentibus, apice purpurascentibus, Folia radicalia et caulina inferiora magna, longe petiolata, pedata, foliolis 9–12, angustis, oblongo-lanceolatis, antice serratis, glabra, viridia, firma, caulina superiora sessilia, profunde fissa, vel irregulariter 2–3-loba, lobis ovato-lanceolatis subintegerrimis, omnia pallide flavescente-viridia; odore penetrante foetido, sapore acerrimo-amaro. — *Vis:* drastica, emetica, venenata, anthelminthica. — Caute adhibenda.

HERBA HELLEBORINES LATIFOLIAE. Breitblätteriges Sumpfwurzelkraut oder Serapias *Herbe d'Helleborine à feuilles larges.* — *Epipactidis latifoliae* ALL. (*Serapiadis latifoliae* L. Fl. Bad. III. 569.), e cl. Gynandria, ord. Monandria, fam. Orchidearum, plantae perennis indigenae, in silvis umbrosis passim, radice fibrosa, caule superne subvilloso, floribus rubris vel viridescentibus, cum labello roseo, in spicam raram subsecundam digestis, Folia amplexicaulia, lata, elliptica, firma, nervosa, glabra; sapore amaro. — Hodie obsoleta.

HERBA HEPATICAE ALBAE seu Parnassiae. Weißes Leberkraut, Sumpfparnassie, Sumpfherzblumenkraut. *Herbe de Parnassie de marais.* — *Parnassiae palustris* L. (v. Flores p. 66.), Folia radicalia longe petiolata, Folium caulinum unicum sessile, omnia cordata vel subrotundo-ovata, integerrima, glabra, venosa, nitentia, laete viridia, firma; sapore subacerbo, amariusculo, subacri. — Hodie obsoleta.

HERBA HEPATICAE FONTANAE; Lichenis stellati seu petraei. Vielgestaltige Marchantie, Sternlebermoos, Brunnenleberkraut. *Herbe d'Hepatique des fontaines.* — *Marchantia polymorpha* L. — Alga, e fam. Hepaticarum locis humidis, umbrosis, ad fontes cet. vulgaris, fronde expansa, plana, obtuse lobata,

lobis subbifidis, laete viridi-nitente, receptaculis fructiferis radiatis, gemmiferis peltatis, stipitatis et calyciformibus, denticulatis. — Hodie obsoleta.

HERBA HEPATICAE NOBILIS, Epaticae, Trifolii aurei seu hepatici. Edelleberkraut, Güldenklee. *Herbe d'Hepatique noble.* — *Anemones hepaticae* L. (v. Flores p. 66.) Folia longe petiolata, cordato-3-loba, integerrima, juniora utrinque villosa, provectiore aetate superne glabra, viride nitentia, subcoriacea, quae unice colligenda; inodora, sapore subadstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA HEPATICAE STELLATAE, Matrisylvae. Sternleberkraut, wohlriechender Waldmeister, Herzfreund. *Herbe de Muguet de bois.* — *Asperula odorata* L. (Fl. Bad. I. 327. — Cl. cet. v. Hb. Galii p. 120.), Plantula perennis in dumetis silvaticis passim frequens, caule erecto tetragono, simplici, glabriusculo, internodiis piloso, foliis verticillatis, 6 8-nis, lanceolatis, laete viridibus, margine et carina asperis, floribus parvis albis, in corymbum terminalem fastigiatum digestis, pedunculis sub-3-fidis; tota planta florens, absque radice colligenda celeriterque siccanda; recens fere inodora, siccata odore grate aromatico, melilotino, sapore subaromatico, amariusculo, subadstringente. Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati colore viridi imbuitur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium extractivum amarum et adstringens. — *Vis:* tonica, incidens. — *Usus:* In infuso. — *Praep.:* Tinctura, Unguentum sarcoticum. — Sit herba florens viridis, odorata; inodora rejiciatur. — Cave confundas cum Galio silvatico, quod majus, caule ramoso, omnino glaberrimum, foliis teneris, glaucis et inodorum est.

HERBA HERNIARIAE, Millegranae, Empetri. Bruchkraut, Harnkraut. *Herbe d'Herniaire, de Turquette.* — *Herniaria glabra* L. (Fl. Bad. I. 559.), e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Paronychiearum, planta annua parva, caule prostrato, orbiculari-ramoso, Foliis alternis, parvis, ovato-oblongis, flavicante-viridibus, stipulis albidis, membranaceis, floribus minutis flavo-virentibus, in glomerulos planos oppositifolios congestis; tota planta, excepto radice, colligenda; inodora, sapore subacri, salso, subadstringente. — Hodie exolevit.

HERBA seu FOLIA HERPETICAE. Geflügelte Kassien-Blätter. *Herbe de Dartrier.* — *Cassiae alatae* L. (Cl. cet. v. Folia Sennae p. 79.), plantae perennis speciosae herbaceae Indiae occidentalis, leguminibus quadrialatis, Folia 6—10-juga, petiolo profunde sulcato, eglanduloso, lutescente, foliolis obovato-oblongis, glabris, summis majoribus; odore foetido et sapore amaro. — Ut antipsoricum, contra herpetem cet. in patria adhibetur.

HERBA HIERACII SONCHITIS. Ackergänsedistel, Ackersonche. *Herbe de Laitron des champs.* — *Sonchi arvensis* L. (Fl. Bad. III. 284. — Cl. cet. v. Hb. Crepidis p. 112.), plantae perennis speciosae, in arvis, oleraceis obviae, caule erecto, superne ramoso, glanduloso-piloso, floribus (calathiis) majusculis luteis, in corymbum magnum multiflorum digestis, calycibus (periclinis) cum pedunculis setoso-glanduliferis, Folia amplexicaulia, runcinata, laevia, margine spinulosa. — Hodie obsoleta.

HERBA HIEROCHUNTICAE. Jerichorose, Marienrose. *Rose de Jéricho, Jerose hygrometrique.* — *Anastatica hierochuntica* L. (Cl. cet. v. Hb. Cochleariae p. 110.), Planta annua parva Africana, ramosa, tota albido pubescens, foliis spathulato-oblongis, floribus parvis albis cum siliculis brevibus, retusis, ventricosis, apice auriculatis, in racemos confertos digestis. — Siccata planta et corrugata prostat, glomum formans ex caulibus ramisque intricatis siliculis passim obsessis; aëri humido vel aquae exposita denuo expanditur, unde partus tempus judicabatur.

HERBA HOLOSTEI CARYOPHYLLEI. Doldenspurre, Doldennelke. *Herbe de Morgeline ombellée.* — *Holosteum umbellatum* L. (Fl. Bad. I. 304.), e cl. Triandria, ord. Trigynia, fam. Caryophyllearum, plantula annua indigena, Foliis parvis, radicalibus in rosulam congestis, obovato-lanceolatis, caulinis oppositis, connatis, lanceolatis, integerrimis, floribus parvis albis, in umbellam terminalem congestis, pedunculis deflexis, fructiferis, erectis, tota colligenda. — Hodie obsoleta.

HERBA HORDEI MURINI. Mäusegerste, Mauergerste *Herbe d'Orge queue de Souris.* — *Hordei murini* L. (Fl. Bad. I. 285. — Cl. v. Hordeum), gramen annuum, ad vias, muros cet. vulgare, culmo humili, gracili, Foliis gramineis, latiusculis, villosis, retrorsum scabriusculis, spica hexasticha laxiuscula, pallide viridi, Hordei vulgaris simili, sed graciliore, tactu molli; tota planta absque radice colligenda. — Olim in diarrhoeis adhibebatur. — Hodie exolevit.

HERBA HORMINI, Hormini veri. Scharlach-Salbei *Herbe d'Ormin.* — *Salviae Hormini* L. (Cl. cet. v. Hb. Salviae), plantae annuae Europae australis, caule erecto piloso, verticillis sexfloris, floribus albis, bracteis summis sterilibus, rubro- vel violaceo-coloratis, Folia cordato-oblonga, obtusa, crenata, utrinque villosa; odore et sapore aromatico, sequentis simili. — Hodie obsoleta.

HERBA HORMINI PRATENSIS, Salviae pratensis. Wiesensalbei. *Herbe de Sauge de prés.* — *Salviae pratensis* L. (Fl. Bad. I. 53. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis in pratis, pascuis, ad vias cet. vulgaris, caule erecto, hirsuto, ramoso, floribus speciosis, plerumque subglutinosis, coeruleis, verticillis subsexfloris, galea falcata, Folia radicalia magna, petiolata, cordato-oblonga, obtuse et inaequaliter crenata, caulina subsessilia, summa amplexicaulia, omnia rugosa, villosiuscula; odore forti ingrato-aromatico et sapore aromatico, amaro, adstringente. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium extractivum amarum et adstringens. — *Vis:* tonica, incitans, nervina. — *Usus:* Interne in infuso et externe pro balneis cet. — Herba efficax, digna quae magis praescribatur.

HERBA HORMINI SATIVI, Sclareae, Gallitrichi. Garten-Scharlachkraut, Muskateller-Salbei. *Herbe de la Sclarée, d'Orvale.* — *Salviae Sclareae* L. (Fl. Bad. IV. 18. — Cl. cet. praec.), plantae biennis speciosae Europae australis et Orientis passimque Germaniae, apud nos hortensis, caule erecto, crasso, viscido-villoso, floribus verticillatis, albidis, in paniculam speciosam digestis, bracteis magnis, cordatis, acu-

minatis, concavis, albido-rubellis, ciliatis, Folia inferiora magna, petiolata, cordato-ovata, summa minora, subsessilia, omnia irregulariter crenata, utrinque villosa, subglutinosa, rugosa, odore proprio fragrantissimo, aromatico, sapore aromatico, amaro. — *Part. const. praev.:* ut praecedentis, sed multo majoris momenti. — *Usus:* ut Salviae officinalis. — Planta efficacissima magnopere commendanda.

HERBA HYDROLAPATHI, Britanicae. Wasser-Ampferkraut. *Herbe de Patience aquatique.* — *Rumicis aquatici* L. (Fl. Bad. II. 105. — Cl. cet. v. Hb. Acetosae p. 90.), plantae perennis speciosae indigenae ad fossas aquaticas, cet. vulgaris, caule erecto, superne ramoso, floribus racemoso-verticillatis approximatis, calycibus granulis destitutis, Folia radicalia et caulina inferiora magna, longe petiolata, cordato-ovata, acuminata, basi dilatata, margine subundulata. — Hodie obsoleta.

HERBA HYDROPELTIS. Wasser-Schildblätter. *Herbe d'Hydropeltis.* — *Hydropeltis purpureae* Mx. (*Braseniae peltatae* PURSH.), e cl. Polyandria, ord. Polygynia, fam. Cabombearum, plantae aquaticae Americae borealis, Hydrocharidi seu Nymphaeis similis, floribus cum pedunculis purpureis, diu erectis, noctu submersis, Folia ovalia, centro peltata. — In patria uti Lichen islandicus contra phthisin et dysenteriam adhibetur.

† HERBA HYOSCYAMI. Bilsenkraut. *Herbe de Jusquiaume.*

Synon.: Herba Jusquiami, Fabae suillae, Teufelsaugen, Zigeunerkraut, Schlafkraut, Herenkraut. Herbe d'Hanebane.

Hyoscyami nigri L. (Fl. Bad. I. 506.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Solanacearum, plantae annuae et biennis indigenae, ad vias, sepes, in ruderatis, fimetis cet. crescentis, caule erecto ramoso, lanato-villoso, subglutinoso, floribus axillaribus solitariis, pedunculatis, in racemos secundos, foliatos, apice recurvos, digestis, calyce cylindrico, villoso-viscido, corolla infundibiliformi, limbo obliquo, colore sordide flavescente, venis violaceis reticulatis picta, Folia caulina solummodo a planta florente colligenda, inferiora magna, breviter petiolata, reliqua sessilia, amplexicaulia, omnia oblongo-ovata, acuta, profunde sinuato- vel pinnatifido-dentata, plus minus molliter subviscido-villosa, praecipue subtus ad costam mediam, albidam, prominentem, obscure viridia, subcanescentia; celeriter siccanda et in vasis optime clausis loco sicco asservanda. Folia inter siccandum maxime corrugantur et plerumque in pagina superiori sese tegunt, ita ut costa media alba subtus promineat. Odor fortis nauseoso-narcoticus, sapor fatuus, amariusculus, subacer. — *Part. const. praev.:* Principium proprium narcoticum (Hyoscyamium). — *Vis:* narcotica, venenata, deleteria.

Sit herba sessilis, stipitum expers, siccata incana, non autem fusca vel mucida. — Cave confundas cum Herba Hyoscyami albi et Stramonii, infra describendis.

Usus: In pulvere, pilulis et infuso, interne caute. — *Praep.:* Extractum, Emplastrum, Unguentum, Oleum coctum, Essentia, Faecula, Tinctura aetherea, Syrupus. Cataplasmatibus quoque et aliis additur compositionibus.

HERBA HYOSCYAMI ALBI. Weißes Bilsenkraut. *Herbe de Jusquiaume blanche.* — *Hyoscyami albi* L., plantae annuae Europae meridionalis, prioris simillimae, sed floribus concoloribus flavis, ore violaceo-maculatis, Folia plerumque minora, omnia petiolata, obtuse sinuato lobata. — Viribus praecedentis, attamen mitior est. — *Usus:* idem. — Apud nos non adhibetur.

HERBA HYOSERIDIS. Glattes Ferkelkraut *Herbe de Porcelle glabre.* — *Hypochaeridis glabrae* L. (Fl. Bad. III. 345. — Cl. cet. v. Hb. Costae p. 112.), plantae annuae, locis arenosis, ad vias, passim crescentis,

habitu Hypochaeridis radicatae, sed magis caespitosae, floribus (calathiis) minoribus, foliolis calycis (periclinii) apice purpurascentibus, Folia radicalia in orbem expansa, subsessilia, sinuato-dentata, apicem versus latiuscula, glabra vel pilis raris, mollibus obsessa, margine ciliata. — Hodie obsoleta.

HERBA HYPECOI. Krummkümmelhorn- oder Lappenblumen-Kraut *Herbe de Hypecoum.* — *Hypecoi procumbentis* et *H. penduli* L. — e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Papaveracearum, plantarum annuarum Europae meridionalis, floribus luteis, tetrapetalis, calycibus bipetalis, fructibus siliquosis articulatis, curvatis, Folia decomposita et multipartita, laciniis lineari-lanceolatis, vel linearibus. — Narcoticas habent vires. — Apud nos non adhibentur.

HERBA HYSSOPI. Isop- oder Hysop-Kraut. *Herbe d'Hysope.*

Hyssopi officinalis L. (Fl. Bad. II. 586.), e cl. Didynamia, ord. Gymnospermia, fam. Labiatarum, fruticuli erecti Europae meridionalis, Helvetiae passimque Germaniae, nobis hortensis, ramulis junioribus herbaceis, 4-gonis, scabriusculis, floribus mediocribus coeruleis vel albis, fasciculato-verticillatis, in spicas racemosas secundas digestis, corollis ringentibus, Folia angusta lanceolata, obtusa, integerrima, saturate viridia, in plantis indigenis brevissime pilosa et canescentia, utrinque punctata, firmiuscula, cum Summitatibus florentibus colligenda; odore ac sapore grate aromatico, camphorino, amariusculo. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium adstringens. — *Vis:* incidens, discutiens, tonica, pectoralis.

Sit Herba siccata viridis, odorata, stipitum crassiorum expers; herba fusca vel decolor, fere inodora, rejiciatur. — Cave confundas cum Herba Saturejae infra describenda.

Usus: In infuso. — *Praep.:* Aqua, Oleum, Syrupus, Conserva, Essentia. Additur Speciebus quoque pectoralibus.

HERBA JACEAE. Freisamkraut. *Herbe de Pensée.*

Synon.: Herba Violae 3-coloris seu silvestris, Trinitatis. Dreifaltigkeits-Kraut, Stiefmütterchen, Je länger je lieber.

Viola tricolor L. (Fl. Bad. III. 522.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Violariearum, Planta annua et biennis in pratis montosis arvisque vulgaris, caule erecto vel procumbente, anguloso, diffuso-ramoso, foliis petiolatis, oblongo-ovatis, obtusis, crenatis stipulisque speciosis, lyratis, pedunculis axillaribus solitariis, angulosis, unifloris, folio longioribus, floribus speciosis, 3-coloribus, calyce longioribus, vel flavo-albis, calyce brevioribus (*Viola arvensis* Murr.), magnitudine coloreque quam maxime variantibus; tota florens colligenda celeriterque siccanda; odore debili, trita autem florum Naphae simili, sapore dulciusculo-mucilaginoso (radicis autem acri). — *Vis:* resolvens, alterans, diuretica; majori dosi emetica, purgans.

Usus: In pulvere, infuso, decocto. — *Praep.:* Extractum, Succus expressus, Unguentum, olim Aqua, Syrupus.

HERBA cum FLORIBUS JACEAE NIGRAE seu SILVESTRIS, Carthami silvestris. Gemeine schwarze Glockenblumen mit Kraut, wilder Saflor. *Herbe de Centaurée jacée avec les Fleurs.* — *Centaureae Jaceae* L. (Fl. Bad. III. 602. — Cl. cet. v. Hb. Card. Bened. p. 104.), plantae perennis ad vias, in

pratis, arvis cet. vulgaris, caule erecto, sulcato, plus minus villoso, ramoso, Folia sessilia subamplexicaulia, lanceolata vel lineari-lanceolata, integra, vel plus minus inciso-dentata, laete viridia vel incana, aspera; cum Floribus (calathiis) terminalibus, solitariis, mediocribus, calyce (periclinio) ovato, squamis viridibus, apice fuscis, squarrosis, scarioso-laceris, flosculis violaceo-purpureis vel albidis, marginalibus majoribus, colligenda; inodora, sapore salso-amaro, subacri, florum simul submellino. — Hodie (forsitan immerito) obsoleta.

HERBA cum FLORIBUS JACOBEAE. Jakobskraut, Jakobs-Waldgreis. *Herbe de Jacobée.* — *Senecionis Jacobeae* L. (Fl. Bad. III. 438. — Cl. cet. ut Hb. Consolid. sarracenicae p. 111.), plantae perennis in pratis, ad vias cet. vulgaris, caule erecto ramoso, striato, glabro vel sublanato, floribus speciosis luteis, in corymbos terminales digestis, radio patente, Folia radicalia subintegra, obovata, obtusa vel uti et caulina inferiora lyrata, superiora pinnatifida, laciniis planis latiusculis, subsinuato-dentatis, glabra, laete viridia vel subtus pilosa, cum Floribus colligenda; sapore subamaro-acri. — Hodie obsoleta.

HERBA IBERIDIS. Iberis-Kresse, wilde Kresse. *Herbe d'Iberis.* — *Lepidium Iberis*, L. (*graminifolium* L. — Fl. Bad. III. 21. — Cl. cet. v. Herba Cochleariae p. 110.), planta perennis indigena, speciosa, ad vias passim frequens, caule erecto vel adscendente ramosissimo, ramis divergentibus, glabro vel inferne pilis sparsis brevissimis obsesso, Foliis radicalibus et caulinis inferioribus petiolatis, pinnatifidis et inciso-serratis, vel ovatis, lanceolatis, subintegerrimis, superioribus angustis, lineari-lanceolatis, vel linearibus, integerrimis, omnibus glabris, subglaucescentibus, floribus minutis albis, cum siliculis ovatis, acutis, in racemos aphyllos digestis. Tota planta, rejectis caulibus crassioribus, colligenda; odore et sapore acri-lepidino. — *Vis:* irritans, antiscorbutica. — Hodie immerito exolevit.

HERBA INULAE GERMANICAE seu PALATINAE. Deutscher Alant. *Herbe d'Aunée allemande.* — *Inulae germanicae* L. (Fl. Bad. III. 463. — Cl. cet. v. Hb. Conyzae mediae p. 112.), plantae perennis Europae mediae et orientalis passimque Germaniae, caule erecto subsimplici, superne ramoso, villoso, floribus (calathiis) parvis, luteis, corymboso-fasciculatis, radiatis, calyce (periclinio) sublanato, polyphyllo, squamis exterioribus foliaceis, apice recurvis, Folia amplexicaulia, lanceolata, mucronata, margine serrulata, scabra: odore proprio aromatico, haud ingrato. — Hodie obsoleta.

HERBA seu SUMMITATES JUNIPERI. Wachholderkraut- oder Spitzen. *Herbe de Genevrier.* — *Juniperi communis* L. (v. Bacc. p. 15.), Folia acerosa parva, terna, patentia, sub-3-gona, firma, pungentia, laete viridia, cum ramulis junioribus colligenda; odore ac sapore levi balsamico. — Ad fumigationes, balnea cet. adhuc adhibetur.

HERBA seu SUMMITATES JUNIPERI VIRGINIANAE. Virginische Wachholderblätter oder Spitzen, rothe Virginische Cederblätter. *Herbe de Genevrier de Virginie.* — *Juniperi virginianae* L. (Fl. Bad. IV. 707. — Cl. cet. praeced.), fruticis vel arboris magnae, Americae borealis, apud nos cultae, Folia acerosa minuta, terna, basi adnata, in ramulis tenerrimis opposita, tetrasticha, lanceolato-ovalia, acuta, partim patula, pungentia, partim adpressa, laete viridia, cum ramulis colligenda; odore forti balsamico, haud ingrato. — In America boreali uti Herba Sabinae adhibetur. — *Praep.:* Ceratum.

HERBA cum FLORIBUS JUSTICIAE PECTORALIS L. Brustjusticien-Kraut und -Blumen. *Herbe au Charpentier, de la Carmentine.* — Cl. cet. v. Fol. Adhatodae p. 74.), plantae perennis Antillorum, Folia lanceolata, utrinque attenuata, integerrima, glabra, cum Floribus terminalibus, dichotomo-paniculatis, colligenda. — Syrupum intrant pectoralem de Charpentier dictum, qui ex America exportatur.

HERBA IVAE MOSCHATAE. Bisamgünsel Kraut. *Herbe d'Ivette musquée.* — *Teucrium Iva* L. (*Moscharia asperifolia* FORSK. — Cl. cet. Hb. Chamaedryos p. 106.), Plantula annua Europae australis et Africae borealis, caule ramoso, foliis linearibus apice subdentatis, albide villosis, floribus axillaribus solitariis, rubris, tota colligenda; moschum redolens. — In Gallia passim ut medicamentum adhibetur.

HERBA KALI MAJORIS, Herba Vitri, Salsolae. Soda-Salzkraut. *Herbe de Soude.* — *Salsolae Sodae* L. (Cl. cet. v. Hb. Atriplicis p. 96.), plantae annuae littoralis Europae australis et Orientis, caule glabro ramoso, calycibus fructiferis turbinatis, appendiculatis, Folia longa, trigono-cylindrica, submucronata, glabra, succulenta; sapore salso. — Olim ut diureticum adhibebatur. — Praecipue autem cum aliis salsolis cet. ad parandam sodam usurpatur.

HERBA KALI SPINOSI seu TRAGI. Gemeines Salzkraut. *Herbe de Soude Kali.* — *Salsolae Kali* L., plantae annuae littoralis, praecedenti similis, sed caulibus asperis, calycibus alatis, coloratis, Folia praecedentium minora, cylindrica, pungentia, rigida. — Iisdem gaudet Viribus — eodemque modo adhibetur.

HERBA cum STIPITIBUS LACTUCAE SATIVAE. Garten-Lattig, Gartensalat. *Herbe de Laitue cultivée.* — *Lactucae sativae* L. (Fl. Bad. III. 290.), e cl. Syngenesia. ord. Polygamia aequali, fam. Compositarum, trib. Cichorearum, plantae annuae notissimae, quae crebre colitur, Folia e planta florente colligenda, inferiora lyrato-runcinata, superiora cordato-rotundata, amplexicaulia, integerrima, vel sinuato-denticulata (quam maxime varia), glaberrima, succulenta et velut stipes, lactescentia; trita odore narcotico, Opii simili, sapore subsalso, herbaceo-amaro. — *Part. const. praev.:* Principium proprium narcoticum. — *Vis:* narcotica, anodina. — *Usus:* diaeteticus. — *Praep.* Succus expressus, Lactucarium, Extractum, Aqua, Syrupus.

† HERBA LACTUCAE SCARIOLAE. Wilder Lattig, wilder Salat, Zaunsalat, Ackersalat. *Herbe de Laitue sauvage.* — *Lactucae Scariolae* L. (Fl Bad. III. 290. — Cl. cet. praeced.), plantae annuae et biennis, ad vias, sepes, in arvis, vineis, passim frequentis, caule stricto, ramoso, inferne muricato, ramis virgatis, floribus (calathiis) parvis lutescentibus, fructibus griseis, paniculatis, Folia verticalia, amplexicaulia, sinuato-runcinata, dentato-ciliata, suprema minora indivisa, hastato-lanceolata, omnia subglaucescentia, carina aculeata; e planta florente colligenda, lactescentia, uti tota

planta; trita odore nauseoso, sapore ingrato, amaro, salso, subacri. — *Part. const. praev.*: Principium proprium narcoticum. — *Vis.*: narcotica, diuretica, venenata. — *Usus*: In substantia vel infuso raro. — *Praep.*: Extractum. — Quomodo confundi possit cum Herba Sonchi vid. infra.

† HERBA LACTUCAE VIROSAE, Intybi angusti. Giftlattig, stinkender Lattig. *Herbe de Laitue vireuse.* — *Lactucae virosae* L. (Fl. Bad. III. 291. — Cl. cet. praeced.), plantae annuae vel biennis Europae mediae passimque Germaniae, locis asperis montosis, rupestribus, silvaticis obviae, praecedenti simillimae, sed plerumque majoris, caule crassiori, fructibus nigris. Folia horizontalia, plerumque majora, latiora, radicalia in petiolum attenuata, caulina amplexicaulia, inferiora oblonga, obtusa, basi subcordata, plus minus sinuato-inaequaliter denticulata, rarius subpinnatifida, suprema indivisa, sagittata, omnia priorum magis glauca, carina ut praecedentium aculeata. Planta plus etiam lacte glutinoso, viroso turget. Odor et sapor ut praecedentis, sed fortior. — *Part. const. praev.*: et *Vis.*: praecedentis, sed praestantior. — *Usus*: idem — *Praep.*: Extractum, (Lactucarium) Tinctura.

HERBA LAMII ALBI, Galeopsidis, seu Urticae mortuae. Weißer Bienensaug oder Taubnessel *Herbe d'Ortie blanche*, — (v. Flores Urticae mort. p. 73.), Folia petiolata, cordata, serrato-dentata, plus minus breviter pilosa, subaspera, saturate viridia; trita odore debili nauseoso, sapore fatuo amariusculo, subacri. — Hodie obsoleta.

HERBA LAMII LUTEI. Gemeine Goldnessel, gelbe Taubnessel. *Herbe d'Ortie morte jaune.* — *Galeobdoli lutei* Sm. (*Galeopsidis Galeobdoli* L. — Fl. Bad. II. 617. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis, ad sepes cet. vulgaris, habitu praecedentis, sed floribus luteis in verticillos 6-floros digestis, Folia petiolata, subcordata, ovata, vel ovato-lanceolata, argute inaequaliter serrata, plus minus pilosula; odore subnauseoso, sapore fatuo amariusculo, subacri. — Hodie obsoleta.

HERBA LAMII PLINII, Galeopsidis maculatae, Milzadellae. Gefleckte Taubnessel *Herbe d'Ortie morte tachetée.* — *Lamii maculati* L. (Fl. Bad. II. 612. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis, vulgaris, habitu Lamii albi, sed verticillis 5—12-floris, floribus speciosis, violaceo-purpureis, Folia sublatiora saepius in medio albo-maculata; odore ac sapore priorum simili. — Hodie obsoleta.

HERBA cum FLORIBUS LAMII RUBRI. Rothe Taubnessel. *Herbe d'Ortie morte rouge.* — *Lamii purpurei* L. (Fl. Bad. 314. — Cl. cet. praeced.), plantae annuae vulgatissimae, praecedente minoris, caule ramoso, Folia minora petiolata, cordata, obtusa, inaequaliter crenato-denticulata, summa purpureo-violacea, cum Floribus minoribus purpureis, intus pilosis, colligenda; odore magis nauseoso. — Hodie obsoleta.

HERBA LAMII SILVATICI FOETIDI, Galeopsidis, seu Urticae inertis, magnae, foetidissimae. Waldziest oder Bulkis, große stinkende Taubnessel oder Waldnessel. *Herbe d'Epiaire de bois.* — *Stachyos silvaticae* L. (Fl. Bad. II. 624. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis speciosae, caule erecto simplici vel subramoso, hirsuto, floribus verticillatis, violaceo-purpureis, verticillis sexfloris, in spicam foliatam laxam, interruptam, digestis. Folia speciosa, longe petiolata, cordata, acuta, serrato-crenata, saturate viridia, utrinque pilis rigidis, sericeo-nitentibus, obsessa, subglutinosa; odore forti foetido, bituminoso, sapore herbaceo, subadstringente, amariusculo. — Hodie, forsitan immerito, exolevit.

HERBA LANTANAE PSEUDO—THEA St. Hil. Thee-Lantane, — e cl. Didynamia, ord. Angiospermia, fam. Verbenacearum, plantae Brasiliensis, Folia. — Teste St. Hilaire pro thea maxime commendanda.

HERBA LAPATHI CRISPI. Krauser Ampfer. *Herbe de patience frisée.* — *Rumicis crispi* L. (Fl. Bad. II. 97. — Cl. v. Hb. Hydrolapathi p. 125.), plantae perennis indigenae, in pratis, arvis humidis, ad vias, vulgaris, caule erecto sulcato, anguloso, superne ramoso, glabriusculo, floribus verticillato-racemosis, densis, aphyllis, sepalis interioribus omnibus graniferis, Folia petiolata, lanceolata, basi attenuata, margine undulata, glabra, subtus venosa; sapore acerbo. — Hodie absoleta.

HERBA LAPPAE MINORIS. Spitzkletten-, Kropfkletten-, kleines Kletten-Kraut, Bettlerlaus-Kraut. *Herbe de Lampourde glouteron.* — *Xanthii strumarii* L. (Fl. Bad. III. 686.), e cl. Monoecia, ord. Pentandria, fam. Compositarum, trib. Ambrosiearum, plantae annuae ad vias, muros, in ruderatis, vulgaris, caule angulato, ramoso, aspero, floribus parvis lutescentibus, axillaribus, fasciculatis, femineis numerosioribus, Folia speciosa, longe petiolata, rotundato-cordata, integra vel 3-loba, angulato-dentata, trinervia, aspera, firmiuscula; sapore acri mordaci. Contra scrophulos, strumas olim adhibebatur. Hodie immerito obsoleta.

HERBA LAPSANAE. Gemeine Milchen oder Rainkohl, Zitzenkraut. *Herbe de Lampsane, aux Mamelles.* — *Lapsanae communis* L. (Fl. Bad. III. 349. — Cl. cet. v. Hb. Lactucae p. 127.), plantae annuae speciosae, caule erecto ramosissimo striato, glabriusculo, rigidulo, floribus (calathiis) parvis luteis, pedunculatis, solitariis, erectis, in paniculam digestis, fructibus pappo destitutis, Folia inferiora lyrata, basi attenuata, superiora ovato-lanceolata, anguloso-subdentata, omnia glabriuscula vel hirsuta, vulnerata lactescentia; inodora, sapore peramaro, subadstringente. Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati colore atro-viridi turbatur. — *Part. const. praev.*: Principium amarum et adstringens. — *Vis*: alvum movens, emolliens, vulneraria. — *Usus*:

In infuso; externe herba recens, et Succus expressus papillis exulceratis imponitur. — Planta sane efficax hodie immerito exolevit.

HERBA LAVENDULAE ANGUSTIFOLIAE EHRH. et LAV. LATIFOLIAE EHRH. Schmal- und breitblätteriges Lavendel-Kraut. *Herbe de Lavande et d'Aspic* (v. Flores p. 66.), Folia prioris plantae sessilia angusta, linearia vel lineari-lanceolata, posterioris latiora, inferiora majora, lanceolata in petiolum attenuata, ambo in juventute subtomentosa, postremo glabriuscula, saturate viridia, firma; odore ac sapore grate aromatico, sed florum debiliore. — Hodie vix adhibetur.

HERBA LEDI LATIFOLII. Jamesthee, Labradorthee *Thée de James.* — *Ledi latifolii* AIT. (Cl. cet. v. Hb. Anthos silv. p. 94.), fruticuli Americae borealis, Ledi palustris (ibid.) simillimi, sed floribus pentandris, Folia latiora, elliptico-oblonga, rotundata; odore grate balsamico, aromatico. — In America pro thea bibitur.

HERBA LENTIS PALUSTRIS, Lenticulae aquaticae. Wasserlinse. *Herbe de Lentille d'eau.* — *Lemna minor* L. (Fl. Bad. III. 598.), e cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Najadearum, Planta aquis stagnantibus innatans, saepissime cespites latos in superficie formans, foliolis verticillatis, sessilibus, ellipticis, utrinque planis, basi cohaerentibus, laete viridibus, glabris, radicibus solitariis capillaribus; succulenta, inodora et insipida. — Olim externe ut refrigerans adhibebatur. — Hodie exolevit.

HERBA LEPIDII. Breitblätterige Kresse, Pfefferkraut. *Herbe de Passerage à larges feuilles.* — *Lepidii latifolii* L. (Fl. Bad. III. 20. Cl. cet. v Hb. Iberidis p. 127.), plantae perennis speciosae Europae mediae passimque Germaniae, in montibus rupestribus obviae et hortensis, caule erecto ramoso, firmo, glabro, pruinoso, floribus parvis albis, glomerato-racemosis, in paniculam terminalem digestis, siliculis parvis ovato-orbicularibus, Folia magna petiolata, ovato-lanceolata, serrata, superiora integerrima, omnia glabra, firma, subcoriacea; trita odore lepidino et sapore acri-pungente, piperino. — *Part. const. praev. Vis* et *Usus:* ut Herbae Nasturtii hortensis.

HERBA LEPIDII RUDERALIS L. Mauerkresse, Wegkresse, stinkende Kresse, kleines Besenkraut. *Herbe de Passerage ruderale.* — (Fl. Bad. III. 23. — Cl. cet. praeced.), planta annua locis asperis sabulosis, ad vias, in ruderatis, passim frequens, habitu Lepidii graminifolii (p. 127.), sed minor, tota glabra, caule plerumque ramosiore, diffuso, foliis radicalibus et caulinis inferioribus pinnatis vel pinnatifidis, superioribus linearibus, floribus minutis, plerumque apetalis, diandris, in racemos erectos digestis, siliculis emarginatis; tota colligenda celeriterque siccanda; odore forti foetido, sapore acri. *Vis:* febrifuga (?). — *Usus:* In infuso.

HERBA LEVISTICI Liebstöckelkraut, Baderkraut, Wärmutterkraut *Herbe de Livèche.* — *Ligustici Levistici* L. (v. Radix) Folia magna duplicato-ternata, vel pinnata, pinnis ternatis, vel 3-partitis, foliolis vel lobis obovato-cuneatis, inciso dentatis, glabris, nitentibus, subcoriaceis; odore ac sapore grate aromatico. — Hodie obsoleta.

HERBA LINAGROSTIS, Vielblüthiges Wollgras. *Herbe de Linaigrette.* — *Eriophorum latifolium* HOPPE et *Erioph. angustifolium* ROTH. (Fl. Bad. I. 111.), e cl. Triandria, ord. Monogynia, fam. Cyperacearum, planta perennis graminea in pratis turfosis frequens, culmo 3-gono, foliis planis apice triquetris, spicis pluribus pedunculatis, ovatis, fructiferis, pendulis, caryopsidibus membranaceis, lana sericea alba longissima cinctis. — Hodie obsoleta.

HERBA cum FLORIBUS LINARIAE. Leinkraut, Flachskraut, gelbes Löwenmaul. *Herbe de Linaire commune.* — *Linariae vulgaris* BAUH. (*Antirrhini Linariae* L. — Fl. Bad II. 692. — Cl. cet. v. Hb. Digitalis p. 114.), plantae perennis indigenae vulgaris, caule erecto simplici vel superne ramoso, glabriusculo vel breviter villoso, firmo, Folia sparsa sessilia, angusta, lineari-lanceolata, integerrima, 3-nervia, glabra, tenera, cum Floribus speciosis luteis, personatis, calcaratis, in racemos terminales densos digestis, colligenda. Recens herba odore nauseoso scrophularino, siccata prope inodora, sapore ingrato herbaceo, subsalso-amaro, acriusculo. — *Vis:* diuretica, anodina, discutiens, antihaemorrhoidalis (?). — *Usus:* In infuso. — *Praep.:* Succus expressus, Unguentum, Linimentum antihaemorrhoidale. — Cave confundas cum Herba Esulae minoris (p 117.).

HERBA LINARIAE BELVEDERE. Besenförmiges Salzkraut *Herbe de Linaire Belvédère.* — *Kochiae Scopariae* SCHRAD., (*Salsolae scopariae* M. B. *Chenopodii Scopariae* L. — Cl. cet. v. Hb. Boni Henrici p. 100.), plantae annuae Bohemiae, Austriae et Orientis, caule erecto, ramoso, firmo, floribus minutis sessilibus, axillaribus, Folia anguste-lineari-lanceolata, ciliata; sapore amariusculo. — Hodie obsoleta.

HERBA LINARIAE TRIFOLIAE. Dreiblätteriges Leinkraut *Herbe de Linaire triphylle.* — *Linariae triphyllae* W. (*Antirrhini triphylli* L. — Cl. cet. ut Hb. Linariae, v. supra), plantae annuae Europae australis et Asiae minoris, caule erecto simplici, floribus albis, palato luteo, antecedentium similibus, Folia latiora ovato-oblonga, obtusa, inferne terna, superne alterna. — Uti Hb. Linar. commun. adhibetur. — Apud nos non usurpatur.

HERBA LINI CATHARTICI. Purgierlein, Purgierflachs. *Herbe de Lin purgatif.* — *Linum catharticum.* L. (Fl. Bad. I. 759.), e cl. Pentandria, ord. Pentagynia, fam. Linearum. Plantula tenella, in pratis, pascuis, passim vulgaris, caule erecto filiformi, superne dichotomo-ramoso, foliis parvis oppositis, oblongo obovatis, glabris, margine subasperis, floribus terminalibus parvis, albis, erectis, ante anthesin pendulis; tota florens colligenda celeriterque siccanda; inodora, sapore peramaro. — *Vis:* purgans, alvum movens. — *Usus:* In pulvere, infuso cum lacte. — Planta efficax hodie fere obsoleta, sed medicorum attentione digna.

HERBA LITHOSPERMI REPENTIS. Kriechendes Steinsaamen-Kraut. *Herbe de Gremil violet*

pourpré. — *Lithospermi purpureo-coerulei* L. (Flor. Bad. I. 415. — Cl. cet. v. Hb. Heliotropii p. 123.), plantae perennis indigenae, caule sterili decumbente, radicante, hirsuto, florifero, erecto, floribus speciosis, pulchris, coeruleo-purpureis, spicato-racemosis, secundis, Folia oblongo-lanceolata, acuminata, integra, hirsuta, in lateribus saepe revoluta. — Hodie obsoleta.

HERBA LOBELIAE INFLATAE L. Aufgeblasene Lobelie. *Herbe de Lobelie gonflée,* — e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Lobeliacearum, plantae annuae Americae borealis, caule erecto, subramoso, floribus parvis, pallide violaceis, axillaribus, in racemos spicatos terminales digestis, capsulis inflatis, Folia ovalia, obtusa, margine undulata et irregulariter dentata, rugosa, glabriuscula, subtus pilosula; sapore gradatim acri pungente. — *Vis*: emetica, toxica. — In America contra asthma adhibetur.

HERBA LONCHITIDIS MINORIS. Spicant Lomarie oder Traubenfarrn. *Herbe de Lonchitis mineur* — *Blechnum boreale* SM. (*Osmunda Spicant* L.), planta perennis e cl. Cryptogamia, fam. Ophioglossarum, in silvis asperis, rupestribus, passim frequens, fronde sterili procumbente, in orbem digesta, lanceolata, pinnatifida, glabra, laete viridi, laciniis lineari-lanceolatis, obtusis, mucronatis, integerrimis, fronde fructifera majori, erecta, laciniis angustioribus, margine plerumque revoluto, subtus soris minutis fuscis cum indusiis marginalibus linearibus tecta. — Hodie obsoleta.

HERBA LUNARIAE, Lunariae botrytidos. Mondkraut, St Walpurgiskraut. *Herbe de Lunaire.* — *Botrychium Lunaria* SM. (*Osmunda Lunaria* L. Cl. cet. praeced.), planta perennis in pratis, pascuis siccis montosis, ad silvarum margines, obvia, stipite erecto glabro, superne unifrondoso, fronde sterili, ovato-oblonga, pinnata, pinnulis rotundato-lunulatis, integerrimis vel subrepando-crenatis, spica fructifera composita, racemosa, disticha, soris globosis luteis obsessa; inodora, sapore subadstringente, amariusculo. — Planta, fere obsoleta, nuperrime denuo ut medicamentum adhibetur, - ingreditur Pulverem ad scirrhos.

HERBA LUNARIAE BISCUTATAE. Apulische Brillenschote *Herbe de Lunetier d'Apule.* — *Biscutellae apulae* L. (Cl. cet. v. Hb. Glasti p. 121.), plantae annuae Europae australis, totius hirsutae, floribus luteis, siliculis didymis hirsutis, Folia magna lanceolata, sessilia, remote serrata, crassiuscula. — Hodie obsoleta.

HERBA cum FLORIBUS LUTEOLAE, Theriacariae. Gelbkraut, Wau, Färberresede, Harnkraut. *Herbe jaune, de Gaude avec les fleurs.* — *Resedae Luteolae* L. (Fl. Bad. II. 316.), e cl. Dodecandria, ord. Trigynia, fam. Resedacearum, plantae biennis speciosae indigenae, in arvis cet. passim frequentis et cultae, caule erecto, sulcato, subramoso, Folia radicalia speciosa, lanceolata, caulina lineari-lanceolata, integra, omnia glabra, viridia, nitentia, cum Floribus racemoso-spicatis, pallide luteis colligenda; inodora, sapore peramaro. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum proprium luteo-tingens et amarum. — *Vis:* diuretica, diaphoretica. — Hodie (immerito) fere exolevit.

HERBA LYSIMACHIAE CHAMAENERII. Schmalblätteriger Weiderich, Sct Antonskraut, Feuerkraut, wilder Oleander *Herbe de St. Antoine.* — *Epilobii angustifolii* L. (Fl. Bad. II. 135.), e cl. Octandria, ord. Monogynia, fam. Onagrariarum, plantae perennis speciosae indigenae silvaticae, caule erecto striato, superne ramoso, floribus speciosis pulchre rubris, in racemos terminales pyramidales digestis, Folia sessilia, lineari-lanceolata, subintegerrima, venosa, glabra, subtus glaucescentia; sapore submucilaginoso, adstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA LYSIMACHIAE LUTEAE. Gelber Weiderich. *Herbe de Lysimaque commune.* — *Lysimachiae vulgaris* L. (Fl. Bad. I. 451. — Cl. cet. v. Hb. Anagallidis p. 93.), plantae perennis speciosae, in pratis humidis, ad fluvios rivulosque vulgaris, caule erecto, subpiloso, ramoso, ramis oppositis, floribus speciosis luteis, racemoso-paniculatis, corollis rotatis, Folia speciosa, opposita, 3-na et 4-terna, breviter petiolata, oblongo-lanceolata, integerrima, subtus pilosula, fusco-punctata; inodora, sapore acerbo-acido. — *Part. const. praev.:* Sal Acetosellae (?). — *Vis:* vulneraria, sanguinem sistens. — Hodie obsoleta.

HERBA cum FLORIBUS LYSIMACHIAE PURPUREAE, Salicariae. Rother Weiderich, Weiderich, Blutkraut. *Herbe de la Salicaire.* — *Lythri Salicariae* L. (Fl. Bad. II. 311.), e cl. Dodecandria, ord. Monogynia, fam. Lythrariearum, plantae speciosae perennis, locis humidis aquosis, pratis cet. vulgaris, caule erecto angulosо, superne ramoso, pilosulo, ramis oppositis et sparsis, floribus violaceo-purpureis, dodecandris, corolla 6-petala, in spicas longas verticillatas, erectas digestis, Folia inferne opposita, superne alterna, sessilia, cordato-lanceolata, acuta, integra, margine scabra, superne saturate viridia, subtus pallidiora, breviter pilosa, firmiuscula, cum Summitatibus florentibus colligenda; inodora, sapore subadstringente-mucilaginoso. Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati colore coeruleo-nigro imbuitur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens et Mucilago. — *Vis:* tonica, roborans, antidysenterica. — *Usus:* In pulvere, infuso, decocto. — Planta sane efficax hodie immerito fere exolevit. — Cave confundas cum planta praecedente et Herba Marrubii aquatici acuti (p. 132.)

HERBA MAJORANAE. Majoran. *Herbe de Marjolaine.*

Synon.: Herba Amaraci, Sampsuchi, Mayran, Wurstkraut.

Origani Majoranae L. (*Majoranae crassae* MOENCH. —

Fl. Bad. II. 643.), e cl. Didynamia, ord. Gymnospermia, fam. Labiatarum, plantae annuae Europae australis et Orientis nobisque cultae, caule erecto tenui, pubescente, ramoso, Folia parva opposita, rotundato-elliptica, integerrima, utrinque plus minus breviter tomentoso-pubescentia, subcanescentia, cum Floribus parvis albis, in spiculas subternas, sessiles, subrotundas, obsolete 4-gonas bracteaque tomentoso-canescente congestis, colligenda; odore ac sapore fragrante aromatico. Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati colore nigro imbuitur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium adstringens. — *Vis:* incitans, nervina, analeptica, diaphoretica, discutiens, errhina.

Sit herba sicca incana, minime fusca; odore fragrante. Cave confundas cum Hb. Origani vulgaris, varietate foliis minoribus, spicis elongatis, subviridibus, floribus albis, nomine Wintermajoran nota.

Usus: In pulvere, infuso.— *Praep.:* Oleum aethereum, Aqua, Oleum infusum, Butyrum et Balsamum, Essentia, Conserva. — Additur aliis quoque compositionibus.

HERBA MALVAE. Malven- oder Pappel-Kraut.
Herbe de petite Mauve.

Synon: Herba Malvae minoris seu vulgaris, Rundblätterige Käsepappel oder Gänsepappel, Hasenpappel.

Malvae rotundifoliae L. (Fl. Bad. III. 135.), e cl. Monadelphia, ord. Polyandria, fam. Malvacearum, plantae perennis ad vias cet. vulgaris, caule plerumque procumbente (de Floribus confer p. 67.), Folia longe petiolata, cordato-orbicularia, obsolete 7-gona, vel 5-loba, lobis obtusis, subduplicato-crenato-dentata, pilosula, superne saturate viridia, subtus pallidiora; inodora, sapore herbaceo-mucilaginoso. — *Part. const. praev.:* Mucilago. — *Vis:* emolliens, lubricans.

Usus: In infuso, decocto; externe ad Cataplasmata cet. — *Praep.:* Olim Aqua (?), Unguentum. Additur speciebus nonnullis. — Loco Malvae rotundifoliae etiam Folia Malvae borealis WALLR. et Malvae silvestris L. (v. Flor. p.67.) colliguntur, iisdem gaudentia virtutibus.

† HERBA MANDRAGORAE. Alraunblätter *Herbe de Mandragore.* — *Mandragorae officinalis* MILL. (*Atropae Mandragorae* L. — Cl. cet. v. Hb. Belladonnae p. 98.), plantae montosae Europae australis, Helvetiae cet., acaulis, pedunculis unifloris, floribus albido-violaceis, Folia magna petiolata, late ovata, integerrima, undulata, subglabra; odore nauseoso. — *Vis:* narcotica. — Apud nos non adhibetur.

HERBA MARI VERI, Cyriaci, Cortusae. Amberkraut, Katzen-Gamander, Mastirkraut. *Herbe de Marum.* — *Teucrii Mari* L. (Cl. cet. v. Hb. Chamaedryos p.106.), fruticuli ramosissimi Europae australis, nobis hortensis, caulibus albido-tomentosis, Folia parva, ovata, integerrima, margine subrevoluta, incana, subtus albido-tomentosa, cum Summitatibus florentibus, ex racemis foliatis secundis, florum pallide purpureorum constantibus, colligenda; odore fragrantissimo, camphorino et mastichino saporeque aromatico-pungente, peramaro. — Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati colore viridi obscuratur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium extractivum amarum et adstringens. — *Vis:* nervina, analeptica, diaphoretica, diuretica, errhina. — *Usus:* In pulvere, infuso. — *Praep.:* Essentia. — Pulverem ingreditur sternutatorium et Theriacam.

HERBA MARRUBII AGRESTIS, Stachyos. Großer Andorn, deutscher Ziest *Herbe d'Epiaire germanique.* — *Stachyos germanicae* L. (Fl. Bad. II. 628. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis locis apricis, collibus lapidosis passim, caule erecto, albo-lanato; floribus verticillatis, verticillis densis, multifloris, superioribus subspicatis, calycibus niveo-tomentosis, corollis rubellis parvis, Folia sessilia, oblongo-ovata, subcordata, crenato-serrata, acuta, sericeo-tomentosa, venoso-rugosa; recentia odore debili subnauseoso, siccata inodora, sapore fatuo, amarinsculo. — Hodie obsoleta.

HERBA MARRUBII ALBI. Weißer Andorn. *Herbe de Marrube blanc.*

Synon.: Herba Prasii seu Phrasi. Gemeiner Andorn.

Marrubii vulgaris L. (Fl. Bad. II. 637. — Cl. cet. v. Hb. Majoranae p. 130), plantae biennis perennisque, locis siccis, desertis, sabulosis passim frequentis, caule erecto simplici vel ramoso, albido-tomentoso, floribus parvis, villosis, albis, sessilibus, dense verticillatis, bracteis lineari-subulatis, ciliatis, cum calycibus tomentosis 10-striatis, Folia mediocria, subrotunda vel ovalia, obtusa, grosse crenata, basi integerrima, in petiolum attenuata, utrinque plus minus incano-villosa, venoso-rugosa, ineunte inflorescentia cum Summitatibus florentibus colligenda; odore proprio balsamico, sapore aromatico, balsamico, peramaro. Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati colore nigro-olivaceo turbatur. — *Part. const. praev.*: Principium amarum et Oleum aethereum.— *Vis*: tonica, resolvens, irritans, pectoralis.

Sit Herba siccata incano-villosa, trita odorem grate aromaticum edens. Herba nigrescens, vermicularis, multis stipitibus crassis intermixta, rejiciatur. — Cave confundas cum Herba Marrubii agrestis (v. supra), Marrubii nigri infra describenda et Herba Catariae p. 138.)

Usus: In infuso, decocto. — *Praep.*: Extractum; (olim Aqua, Syrupus, Conserva.)

HERBA MARRUBII AQUATICI. Wasser-Andorn, europäischer Wolfsfuß, Zigeunerkraut. *Herbe de Lycope d'Europe.* — *Lycopi Europaei* L. (Fl. Bad. I. 53., e cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Labiatarum. plantae perennis speciosae locis humidis, ad fossas, rivulos vulgaris, caule erecto ramoso, sulcato, aspero, floribus parvis albidis, verticillatis, bracteis lineari- lanceolatis, Folia speciosa, breviter petiolata, ovato-lanceolata, profunde et inaequaliter sinuato-dentata vel pinnatifida, glabra vel plus minus pilosa, aspera, subrugosa, viridia; trita odore debili proprio, haud grato, sapore amaro, subadstringente. — *Part. const. praev.*: Resina propria amara. — *Vis*: tonica, febrifuga. — *Usus*: In pulvere. — Planta virtutibus medicatis praedita, magis commendanda.

HERBA MARRUBII AQUATICI ACUTI, Galeopsidis palustris foetidae, Panacis Coloni, Stachyos aquaticae. Sumpfziest, Sumpfwulfis, brauner Wasserandorn *Herbe d'Epiaire de Marais.* — *Stachyos palustris* L. (Fl. Bad. II. 625. — Cl. cet. ut Hb. Marrubii), plantae perennis, ad fossas aquaticas, rivulos, fluvios cet. vulgaris, caule erecto simplici vel subramoso, floribus villosis, pallide purpureis, in verticillos 6-floros, spicas terminales interruptas exhibentibus, congestis, Folia infima subpetiolata, reliqua amplexicaulia, angusta, lanceolata, vel subcordato-lanceolata, serrato-crenulata et integra, canescentia vel glabriuscula; odore ingrato et sapore amaro. — Hodie exolevit.

HERBA MARRUBII NIGRI, Ballotae. Schwarzer Andorn, schwarze Ballote. *Herbe de Marrube noire.* - *Ballotae nigrae* L. (Fl. Bad. II. 634. — Cl. cet. praeced.), plantae speciosae ad sepes, vias, cet. vulgaris, caule erecto sulcato, retrorsum villoso, aspero, viridi vel fusco-violaceo, ramoso, floribus plerumque pallide purpureis, pedunculatis, in cymas axillares secundas digestis, Folia petiolata, cordata vel cordato-ovata grosse serrata, foliorum Urticae passim similia, rugosa, utrinque plus minus breviter pilosa, subaspera, superne saturate viridia, subtus paullo pallidiora; odore forti graveolente, sapore amarissimo. — Infusum aquosum ferri muriatici oxydati

ope colore atro-viridi turbatur. — *Vis:* tonica, incitans, antihysterica. — Planta sane praestans, hodie immerito exolevit.

HERBA MARU CRETICI. Duftiaer oder Filz-Dosten, Pfefferkraut. *Herbe de Maru.* — *Origani Maru* L. (Cl. cet. praec.), fruticuli Orientis, habitu Teucrii Mari (p. 131.), Foliola ovato-subrotundata, albo-tomentosa, cum spiculis capitatis, paucifloris, albidis colligenda; tota grate aromatica, fragrantia. — Apud nos non adhibetur.

HERBA MASTICHINAE, Mari mastichinae vel vulgaris, Majoranae silvestris Hisp. Mastix-Thymian. *Herbe de Thym cilié, de Marjolaine sauvage.* — *Thymi mastichinae* L. (Cl. cet. praeced.), fruticuli Hispaniae, Folia parva, breviter petiolata, oblongo-lanceolata, utrinque attenuata, obsolete serrata, glabra, cum Floribus verticillatis capitatisque, parvis, albis colligenda; odore et sapore forti, grate aromatico. — Apud nos non adhibetur.

HERBA cum FLORIBUS MATRICARIAE. Mutterkraut, Mettram. *Herbe de Matricaire.* — *Pyrethri Parthenii* Sm. (*Matricariae Parthenii* L. — Fl. Bad. III. 478. — Cl. cet. v. Flores Chamomillae p. 64.), plantae perennis in ruderatis, ad muros, sepes crescentis et hortensis, caule erecto ramoso, sulcato-striato, firmo, superne pubescente, Folia radicalia et caulina inferiora subbipinnatifida, laciniis latis, oblongis, inciso-serratis, pubescentia vel glabriuscula, laete viridia, cum Floribus (Calathiis) corymbosis, chamomillarum similibus, sed radio breviori, disco subplano, receptaculo (anthoclinio) nudo hemisphaerico, solido, colligenda; (Flores in hortis saepe pleni occurrunt) odore forti chamomillino, sed ingratiori, sapore acri-aromatico, peramaro. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus:* ut Chamomillarum. — Hodie autem raro adhibetur. — *Praep.:* Oleum aethereum, Aqua, Extractum, Syrupus.

HERBA MEDICAE. Gemeiner Schneckenklee, Lucerner, blauer Klee. *Herbe de Sainfoin.* — *Medicaginis sativae* L. (Fl. Bad. III. 247. — Cl. cet. v. Hb. Meliloti v. sequens), plantae perennis indigenae et cultae, caule erecto vel adscendente, ramoso, glabriusculo, floribus axillaribus, racemosis, pedunculatis, coeruleo-violaceis et purpureis, Folia petiolata, ternata, foliolis oblongo-obovatis, antice denticulatis, mucronatis, superne obscure viridia, glabra, subtus glaucescentia, villosa, stipolata; sapore nauseoso-amaro, salso, subacerbo. — Hodie obsoleta.

HERBA cum SUMMITATIBUS MELILOTI. Steinklee. *Herbe de Melilote officinal.*

Synon: Herba Trifolii odorati, Meliloten- oder Honig-Klee.

Meliloti officinalis Willd.. (*Trifolii Meliloti* L., pro parte; Fl. Bad. III. 218. et IV 563.), e cl. Diadelphia, ord. Decandria, fam. Leguminosarum, plantae biennis indigenae, ad vias, agrorum margines, in pratis, pascuis cet. passim frequentis, caule erecto, ramoso, glabro, duriusculo, ramis patentibus, Folia petiolata ternata, oblongo-lanceolata vel lineari-oblonga, elongata, subtruncata, remote dentato-serrata, mucronulata, glabra, saturate viridia, stipulata, stipulis parvis setaceis, integris, cum Summitatibus florentibus, racemos axillares terminalesque, erectos, longos, laxiusculos, subsecundos florum parvorum saturate luteorum, vexillo fusco-striato, exhibentibus, colligenda. Recens herba fere inodora, siccata autem odore praedita forti, grate aromatico, Fabarum de Tonco simili, sapore amariusculo, subirritante, salso. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium extractivum amarum et Acidum benzoicum. — *Vis:* resolvens, emolliens, anodina.

Sit Herba siccata obscure viridis, cum floribus luteis, stipitum crassiorum expers, odore fragrante; inodora autem rejiciatur. — Cave confundas cum Meliloto altissimo, qui multo major est et Meliloto vulgari, floribus albis, qui ambo leguminibus submonospermis, odoris plerumque expertes sunt.

Usus: In pulvere, infuso, decocto, interne raro, plerumque externe, ad cataplasmata, lotiones, balnea cet. — *Praep.:* Emplastrum (olim Oleum coctum, Aqua). — Species quoque ingreditur varias, e. g. resolventes, emollientes.

HERBA cum FLORIBUS MELILOTI COERULEAE, Trifolii odorati Aegyptiaci, Loti odorati. Blauer Steinklee, Schabziegenklee, Siebengezeit. *Herbe de Melilot bleu. Trefle musqué.* — *Meliloti coeruleae* Lam. (*Trifolii Meliloti coeruleae* L. — Fl. Bad. IV. 565. — Cl. cet. praeced.), plantae annuae, caule ramoso, erecto, patente, glabro, Folia petiolata, ternata, stipulata, foliolis oblongo-ellipticis crenulatis, glabris, cum Floribus laete coeruleis in racemos capitatos pedunculatos congestis, colligenda. Siccata planta odore forti, grate aromatico, acriusculo. — *Vires*: praecedentis; praestantiores etiam.

HERBA MELISSAE. Melissenkraut. *Herbe de Melisse.*

Synon.: Herba Melissae citratae seu hortensis, Citratae, Citronellae, Apiastri. Zitronenmelisse, Zitronenkraut, Mutterkraut, Bienenkraut.

Melissae officinalis L. (Fl. Bad. II. 449. — Cl. cet. v. Hb. Majoranae), plantae perennis speciosae, caule erecto, ramoso, obtuse 4-gono, sulcato, subpiloso, floribus albidis, ante anthesin flavescentibus, in verticillos dimidiatos subcymosos digestis, Folia speciosa, longe petiolata, cordato-ovata, obtusa, ramea minora, ovata, obtusiuscula, cuncta grosse crenato-serrata, superne pilis sparsis brevibus praedita, saturate viridia, subtus pallidiora, glabriuscula, rugoso-venosa, ante florum evolutionem colligenda celeriterque siccanda et in vasis optime clausis loco sicco asservanda; odore fragrante, suaveolente, citrino, sapore aromatico, amariusculo, subadstringente. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore nigro turbatur. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum, Principium adstringens et amarum. — *Vis*: nervina, exhilarans, antispastica, emmenagoga.

Sit Herba siccata viridis, stipitum expers, odore fragrante aromatico; fusca autem et fere inodora rejiciatur. — Cave confundas cum foliis Nepetae citriodorae et Catariae, quae canescentia, utrinque, praesertim subtus, lanato-pilosa.

Usus: In infuso. — *Praep.*: Aquae variae, Oleum aethereum, Spiritus, Aqua Carmelitorum cet. Syrupus, (Olim Extractum, Essentiae variae.)

HERBA MELISSAE CANARIENSIS. Canarischer Drachenkopf oder Canarische Melisse. *Herbe de Mélisse de Canarie.* — *Dracocephali Canariensis* L. (Cl. cet. praeced.), fruticuli insularum Canariensium, floribus subcapitatis magnis, coeruleis, corolla inflata, Folia ternata, foliolis oblongis serratis, lateralibus subbifidis; odore fragrante citrino. — Apud nos non adhibetur.

HERBA MELISSAE TURCICAE, Moldavicae, Cedronellae. Türkische Melisse, Moldauischer Drachenkopf. *Herbe de Melisse de Moldavie* — *Dracocephali Moldavicae* L. (Cl. cet. praec.), plantae annuae Moldavicae et Sibiricae, nobis hortensis, caule erecto, ramoso, floribus verticillatis sub-6-floris, magnis, coeruleis vel albis, corolla fauce inflata, bracteis magnis lanceolatis, crenato-serratis, Folia petiolata, anguste ovato lanceolata, profunde et grosse crenato-serrata, subtus punctata, cum Summitatibus colligenda; odore fragrantissimo citrino saporeque aromatico, amariusculo, subacerbo. Infusum aquosum ut Herbae Melissae reagit. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus*: ut Melissae officinalis. — *Praep.*: Aqua et Oleum. — Apud nos non praescribitur.

HERBA MELISSOPHYLLI, Melissae Tragi seu Plinii. Melissenblätteriges Immen- oder Honig-Blatt. *Herbe de Melitte à feuilles de Mélisse.* — *Melittis Melissophylli* L. (Fl. Bad. II. 655. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis speciosae Europae mediae passimque Germaniae, locis montosis silvaticis obviae, caule erecto subsimplici, 4-sulcato, subhirsuto, crassiusculo, floribus speciosis rubellis, albo et rubro variegatis, in verticillos 5—9-floros digestis, Folia cordata vel cordato-ovata, crenata, hirsuta, foliorum Melissae similia, sed majora; recentia odore nauseoso, siccata grate aromatico, sapore aromatico-amariusculo. — Olim ut nephriticum, emmenagogum laudabatur. — Hodie obsoleta.

HERBA MENTHAE ACUTAE seu ROMANAE, Menthastri. Spitze oder Römische

Münze. *Herbe de Menthe verte.* — *Menthae viridis* L. (Fl. Bad. II. 595. — Cl. cet. praec.), plantae perennis Europae mediae passimque Germaniae, locis humidis, et hortensis, habitu Menthae piperitae, sed spicis cylindricis gracilioribus, magis interruptis, pedunculis glabris, staminibus corolla plerumque longioribus, Folia subsessilia angusta, lanceolata, acuminata, argute serrata, utrinque glabra, saturate viridia; odore fragrante menthaceo haud ingrato. — *Part. const.*, *Vis* et *Usus*: ut Menthae crispae (v. infra), cum qua saepe confunditur, forsitan illius praestantiores.

HERBA MENTHAE AQUATICAE vel RUBRAE, Balsami palustris. Wassermünzen- oder Bachmünzenkraut, rothe Münze. *Herbe de Menthe aquatique.* — *Menthae aquaticae* L. (Fl. Bad. II. p. 598.), plantae perennis locis aquosis vulgaris, caule erecto ramoso, hirsuto vel glabriusculo, saepius rubello, floribus capitatis, verticillatis, pallide rubellis vel dilute purpureis, Folia petiolata, ovata, obtusa vel acuta, plus minus inaequaliter serrata, utrinque breviter pilosa, aspera vel glabriuscula, saturate viridia; odore fragrante plerumque ingrato menthaceo, subinde gratissimo, aurantiaco. Mentha citrata Ehrh., quae glabra, staminibus corolla brevioribus.— Planta polymorpha plura nomina apud scriptores gerit.— *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus*: ut sequentis.

HERBA MENTHAE AURICULARIAE L., Majoranae foetidae. Gehörmünze. *Herbe de Menthe auriculaire*, — plantae Indiae orientalis, Menthae silvestris (v. infra) similis, Folia sessilia, cordato-oblonga, acuta, serrata, utrinque molliter pilosa et subtus albido-tomentosa; odore forti nauseoso, menthaceo, sapore aromatico, amaro. — Contra surditatem et tumores commendatur, — Apud nos non adhibetur.

HERBA MENTHAE BALSAMINAE. Balsammünze, Basilienmünze, Edelmünzenkraut, Gartenbalsam. *Herbe de Menthe apparente.* — *Menthae gentilis* Auct. (Fl. Bad. II. p. 602. et IV. p. 439.), plantae Europae australis passimque Germaniae et hortensis, habitu Menthae arvensis et nisi subspecies, floribus plerumque verticillatis, purpureis, calycibus resinoso-punctatis, basi cum pedicellis glabris, staminibus plerumque corolla brevioribus, Folia petiolata, ovato-lanceolata, ad basin integerrima, apicem versus serrata, glabra, nitentia; odore fragrantissimo suaveolente, Basilici et Melissae simili. — *Vires* et *Usus*: sequentis et, ut veri est simile, praestantiora.

HERBA MENTHAE CRISPAE. Krausemünze. *Herbe de Menthe frisée.*

Menthae crispae Auct. plur. (Fl. Bad. II. 597.— Cl. cet. praeced.), plantae perennis hortensis, incertae originis, radice repente, caule retrorsum piloso, floribus terminalibus verticillato-spicatis, spicis oblongis, conicis, basi subinterruptis, calycibus cum pedicellis albido-pilosis, corollis pallide rubellis, Folia brevissime petiolata, subamplexicaulia, cordata, subrotunda vel oblonga, plus minus acuta, grosse dentato-serrata, margine plus minus undulato-crispa, utrinque molliter pilosa, subtus incana, rugosa, parallelo-venosa; odore et sapore fragrante balsamico-aromatico. *Part. const. praev.*: Oleum aethereum et Principium adstringens. — *Vis*: incitans, nervina, analeptica, carminativa.

Sit Herba siccata incano-viridis, maxime aromatica, stipitibus libera; herba nigrescens autem, insectis corrosa, vel multis stipitibus intermixta, odore debili, rejiciatur. Confusio cum aliis Menthis, foliis crispis praeditis, ex eorum descriptionibus hic datis patet.

Usus: In infuso, raro in pulvere.— *Praep.*: Aqua, Oleum aethereum, Spiritus, Syrupus, (Conserva, Extractum.)

HERBA MENTHAE CRISPAE VERTICILLATAE. Quirlförmige Krausemünze. *Herbe de Menthe frisée verticillée*, *Herbe de Menthe cultivée.* — Folia sunt Menthae sativae L. (Menthae aquaticae (v. supra) var. hortensis), varietatis crispatae; odore prioris suaviori. — Iisdem gaudentia virtutibus.

HERBA MENTHAE CRISPATAE Schrad. Schraderische Krausemünze. *Herbe de*

Menthe frisée de SCHRADER. — *Menthae viridis* (v, supra) varietatis, Folia latiora, inaequaliter dentato-serrata, amplexicaulia, crispata, glabra, saturate viridia. — Herba pariter aromatica, in multis regionibus, nomine Menthae crispae colligitur eodemque modo adhibetur.

HERBA MENTHAE EQUINAE, seu silvestris. Pferdemünze, Ackermünze, Feldmünze. *Herbe de Menthe des Champs.* — *Menthae arvensis* L. (Fl. Bad. II. 605.), plantae perennis, in agris humidiusculis, pratis cet. vulgaris, radice repente, ramoso, caule erecto vel basi decumbente, ramoso, diffuso, plus minus hirsuto, floribus verticillatis, Folia breviter petiolata, ovata vel cordato-ovata, acuta, basi integerrima, antice serrata, plus minus hirsuta, laete viridia, subtus venis parallelis praedita. Planta maxime variabilis pro loco natali; odore plerumque ingrato-menthaceo, subinde grate balsamico, praecipue varietas foliis glabris. — *Vis* et *Usus*: praecedentium. — Pro usu medicinali eligenda planta aromate praegnans. — Hodie perraro adhibetur.

HERBA MENTHAE PIPERITAE. Pfeffermünzenkraut. *Herbe de Menthe poivrée.*

Synon.: Herba Menthae piperitis, piperatae.

Menthae piperitae L. (Fl. Bad. IV. 436. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis Angliae, Graeciae, nobis hortensis, radice repente, caule erecto, subsimplici et ramoso, pilis brevibus retrorsum subhispido, floribus capitato-spicatis, densis, inferne interruptis, violaceo-purpureis, calycibus in basi glabris, dentibus fusco-purpureis, ciliatis, Folia petiolata, ovata, vel ovato-lanceolata, acuta, serrata, pilis sparsis subtus praecipue obsessa, saturate viridia, subtus pallidiora, parallelo-venosa; odore fragrantissimo aromatico et sapore summe aromatico fervido, frigoris sensum in ore reliquente. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum et Principium adstringens.

Sit Herba siccata viridis, fragrantissima; Herba decolor autem, stipitibus intermixta, aromatis egena, rejiciatur. — Cave confundas cum Herba Menthae acutae supra descriptae, vel Menthae silvestris aliisve Menthis, hic suo loco descriptis.

Usus: In infuso, raro in pulvere.— *Praep.*: Oleum aethereum, Aqua, Elaeosaccharum, Rotulae, Syrupus, Tinctura, (Conserva). Aliis quoque additur compositionibus, ut Speciebus aromaticis cet.

HERBA MENTHAE SILVESTRIS, longifoliae, Menthastri. Wilde Münze. Waldmünze, wilder Balsam. *Herbe de Menthe sauvage.* — *Menthae silvestris*, L. (Fl. Bad. II. 592.), plantae perennis locis aquosis frequentis, habitu Menthae crispae (p. 135), Folia sessilia vel brevissime petiolata, oblongo-ovata vel subcordata, plus minus acuta, argute serrata, utrinque villosa, rugosa vel superne saturate viridia, subglabra, subtus albido-tomentosa, parallelo-venosa (maxime variabilia); odore forti, ingrato, quandoque grate aromatico, Ocimi (p. 139.) simili (Mentha gratissima). — *Vis* et *Usus*: ut Herbae Menthae crispae. — Ad usum medicum ea varietas, quae odore distinguitur suaveolente, colligenda.

HERBA MENTHAE SILVESTRIS ROTUNDIORE FOLIO. Rundblättrige Münze, *Herbe de Menthe à feuilles rondes.* — *Menthae rotundifoliae.* L. Fl. Bad. II. 596.), plantae praecedenti simillimae, iisdem passim locis occurrentis, statura plerumque firmiore, caule divaricato, Folia sessilia vel subpetiolata, subrotunda vel ovalia, obtusa, semper rotundata, dentata, utrinque villosa, subtus magis albido-tomentosa, reticulato venosa, rugosa, firmiuscula; odore semper fragrante, grate aromatico, citrino. — *Vis* et *Usus*: praecedentium. — Planta maxime aromatica, hodie immerito vix adhibetur, sed quam maxime commendanda.

HERBA MERCURIALIS. Bingelkraut, Bengelkraut, Hundskohl, Kuhkraut, Speckmelde. *Herbe de Mercuriale.* — *Mercurialis annua* L. (Fl. Bad. III. 763.), e cl. Dioecia,

ord. Enneandria, fam. Euphorbiacearum; Planta annua, in oleraceis, vineis, agris cet. passim vulgaris, radice tenui fusiformi-fibrosa, caule erecto, ramoso, brachiato, glabro, foliis oppositis petiolatis, oblongo-ovatis vel lanceolatis, obtuse serratis, brevissime ciliatis, glabris, teneris, laete viridibus, nervosis, floribus parvis axillaribus flavescenti-viridibus, masculis longe pedunculatis, spicato-glomeratis, femineis solitariis, binis, ternis, subsessilibus vel inaequaliter pedunculatis, capsulis didymis scrotiformibus, pectinato-denticulatis; tota colligenda cum radice celeriterque siccanda (inter siccandum radix et subinde caulis colorem coeruleum assumit); trita odore nauseoso, sapore ingrato herbaceo, salso, post acriusculo, subamaro, praecipue radicis. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum proprium acre-amarum. — *Vis:* alvum movens, emetica (?), emolliens. — *Usus:* Planta recens praecipue adhibenda, in infuso et decocto. — *Praep.:* Succus expressus, Mel et Syrupus mercurialis, longae vitae. Aliis quoque additur compositionibus. — Cave confundas cum Herba Mercurialis perennis continuo describenda, Atriplicis silvestris (p. 96.) et patulae, Parietariae (p. 141.) et Balsaminae luteae (p. 97.)

HERBA MERCURIALIS MONTANAE, Cynocrambes. Ausdauerndes oder Wald-Bingelkraut, Rauchblatt-Bingelkraut oder Hundskohl. *Herbe de Mercurial de montagnes.* — *Mercurialis perennis* L. (Fl. Bad. III. 764.), Planta in silvis lapidosis, ad rudera arcium antiqua cet. passim, praecedentis simillima, differt autem radice repente perenni, caule simplici plerumque humiliore, inferne aphyllo, uti et folia brevi-villoso, scabriusculo, floribus masculis spicato-glomeratis, folio brevioribus; odore nauseoso et sapore acri. — Planta siccata tota facilius coerulescit. — *Vis:* drastica, emetica. — Hodie vix adhibetur.

HERBA MESEMBRYANTHEMI CRYSTALLINI L. Eiskraut, krystallenes Zaser- oder Mittagsblumen-Kraut. *Herbe de Glaciale, Crystalline.* — E cl. Icosandria, ord. Monogynia, fam. Ficoidearum, Planta annua promontorii Bonae Spei, nobis hortensis, caule ramosissimo diffuso, crassiusculo, cum foliis ovato-oblongis, undulatis, succulentis, undique vesiculis pellucido-crystallinis glaciei instar tectis, floribus axillaribus pedunculatis, mediocribus, albis, subrubellis; tota colligenda; inodora, sapore ingrato aquoso, salso. — *Vis:* refrigerans, resolvens, diuretica. — *Usus:* Succus expressus.

HERBA MILLEFOLII. Schafgarbe. *Herbe de Millefeuille.*

Synon.: Herba Achilleae vulgaris. Schafrippen-Garben-Kraut, Feldgarbe.

Achilleae Millefolii L. (v. Flores p. 68.), Folia oblongo-lanceolata, radicalia petiolata, caulina sessilia, bipinnata, pinnulis multifidis, laciniis subfiliformibus acutis, glabra vel plus minus pilosula, saturate viridia vel subcanescentia; odore debili, haud grate aromatico, sapore herbaceo, subsalso-amariusculo, subadstringente. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore atro-viridi turbatur. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum amarum et adstringens, Oleum aethereum. — *Vis:* nervina, tonica, discutiens. —

Usus: In infuso — *Praep:* Succus expressus, Aqua, Oleum aethereum, Extractum, (Syrupus, Tinctura.). Additur aliis quoque compositionibus.

HERBA MILLEFOLII NOBILIS. Edle Schafgarbe. *Herbe de Millefeuille noble.* (v. Flor. p.68.) Folia praecedentium simillima, plerumque autem breviora et latiora, subfirmiora, superiora subincana; odore et sapore magis aromatico. — *Vis* et *Usus.* eadem. — Herba efficax digna, quae magis adhibeatur.

HERBA MILLEFOLII PENNATI seu aquatici. Aehrenförmiges Federkraut. *Herbe de Volant d'eau à épi.* — *Myriophyllum spicatum* L. (Fl. Bad. III. 692.), e cl. Monoecia, ord. Octandria, fam. Halorageanum. — Planta perennis aquatica, in aquis stagnantibus vel lente fluentibus passim frequens, caule tenui articulato, sub aqua repente, ramoso, tunc adscendente fluitante, foliis verticillatis pinnatis, capillaceis, floribus terminalibus exiguis, spicato-verticillatis, interruptis, superioribus aphyllis, rubris, masculis, inferioribus foemineis, infimis foliosis; tota superior plantae pars colligenda. — Hodie obsoleta.

HERBA MOLUCCELLAE. Trichterkelch- oder Molucell-n-Kraut. *Herbe de Molucelle.* — *Moluccellae laevis* L. (Cl. cet. v. Hb. Menthae), plantae annuae Asiae minoris, Syriae, caule glabro, spinis superioribus axil-

laribus palmatis, floribus verticillatis, calyce campanulato, amplissimo, membranaceo, margine 5-spinuloso, Folia petiolata subrotundo-ovata, grosse serrata, glabra, foliorum Marrubii nigri (p. 132.) similia; odore fragrantissimo et sapore amaro. — Apud nos hodie non amplius adhibetur.

HERBA MONARDAE. Scharlachrothe Monarde. *Herbe de Monarde.* — *Monardae didymae* L. (Fl. Bad. IV. 12. — Cl. cet. v. Hb. Marrubii aquatici p. 132), plantae perennis Americae borealis, nobis hortensis, caule erecto, acute 4-angulo, saepe rubro; floribus capitatis verticillatisque, speciosis, coccineis, glabris, bracteis lanceolatis integerrimis, rubro-coloratis, Folia longius petiolata, cordato-oblonga, acuminata, serrata, parallele-nervosa, utrinque, praecipue ad nervos, pilis raris brevibus praedita, saturate viridia, subinde rubella; odore fragrante, suaveolente, sapore aromatico, camphorino. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* excitans, nervina. — *Usus:* Pro Thea, ad Balnea. — Planta efficax digna, quae magis praescribatur.

HERBA MONARDAE PUNCTATAE L. Getüpfelte Monarde. *Herbe de Monarde ponctuée.* — Plantae biennis item Americae borealis, caule brevissime piloso, floribus verticillatis flavis, rubro-punctatis, bracteis pallide rubellis, Folia petiolata, praecedentibus multo angustiora, lanceolata, remote serrata, basi integerrima, ciliata, pilosula, utrinque minutissime punctata; odore et sapore pariter aromatico.— *Vis* et *Usus:* praecedentium. — *Praep.:* Oleum aethereum. — In America ut medicamentum adhibetur.

HERBA MORSUS DIABOLI. Teufels-Abbiß-Kraut. *Herbe de Mors du Diable.* — *Scabiosae succisae* L. (*Succisae pratensis* MOENCH, v. Radix), caule erecto simplici, vel superne ramoso, piloso, floribus terminalibus in capitulum subrotundum densum congestis, saturate violaceo-coeruleis, corollulis aequalibus regulariter 4-fidis, Folia radicalia in cespitem congesta, petiolata, ovata vel ovato-lanceolata, integerrima vel subserrata, breviter pilosa, scabriuscula, saturate viridia; sapore amaro, subadstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA MORSUS RANAE; Nymphaeae minoris. Froschbiß. *Herbe de Morene grenouillete.*— *Hydrocharidis Morsus ranae* L. (Fl. Bad. III. 766), e cl. Dioecia, ord. Enneandria, fam. Hydrocharidearum. — Plantae perennis aquaticae in aquis stagnantibus et lente fluentibus passim frequentis, caulibus longioribus articulatis submersis, floribus niveis, masculis 2-5-aggregatis, pedunculatis, spathaceis, femineis solitariis, Folia mediocria, congesta, natantia, longe petiolata, reniformi-orbiculata. — Hodie obsoleta.

HERBA NASTURTII AQUATICI. Brunnen-Kresse, Wasser-Kresse. *Herbe de Cresson d'eau.* — *Nasturtium officinale* R. BR. (*Sisymbrium Nasturtium* L. — Fl. Bad. III. 59. — Cl. cet. v. Hb. Cardamines p. 103.). Planta perennis in rivulis, ad scaturigines, passim frequens, tota glabra, caule decumbente radicante, tunc adscendente, ramoso, sulcato, succulento, foliis impari-pinnatis, foliolis ovatis, vel subrotundis, impari majori subcordato vel ovato-orbiculari, cunctis plus minus obtuse repandis, floribus parvis albis, siliquis brevibus gibbosis, longius pedunculatis, subdeclinatis; tota colligenda, trita odore acri-lepidino, sapore acri-amariusculo. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum acre. — *Vis:* irritans, antiscorbutica. — *Usus:* Herba non nisi recens adhibenda uti Cochlearia cet., ad Acetaria. — *Praep.:* Succus expressus, Conserva, Aqua, Spiritus, Syrupus.— Cave confundas cum Herba Cardamines amarae, et pratensis aliisque Sisymbriis cet. supra descriptis.

HERBA NASTURTII HORTENSIS. Garten-Kresse, Sommer-Kresse. *Herbe de Cresson Alénois.* — *Lepidii sativi* L. (Fl. Bad. III. 19.— Cl. cet. v. Hb. Cochleariae p. 110.), Plantae annuae hortensis, caule erecto ramoso, glabro, pruinoso, floribus racemosis parvis, albis, siliculis orbiculatis compressis emarginatis, Folia pinnata et pinnatifida, suprema 3-partita, pinnis et laciniis angustis, lineari-lanceolatis, obtusis, integerrimis; odore et sapore grate acri, volatili. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus:* praecedentis. — *Praep.:* Aqua.

HERBA NASTURTII INDICI. Indianische-Kresse, Kapuciner-Kresse. *Herbe de Cresson des Indes de Capucin.* — (v. Flor. p. 68), Folia longe petiolata peltata, orbicularia, obtuse emarginata, superne glabra, saturate viridia, subtus glauca, pilosula, succulenta, sapore grate acri-nasturtiino.— *Vis* et *Usus:* praecedentium, — Folia *Tropaeoli minoris* L. quae minora, nervis margine mucronatis praedita, eodem modo adhiberi solebant.

HERBA NASTURTII PETRAEI, Chrysosplenii, Saxifragiae aureae, Goldmilz, Steinkresse. *Herbe de Dorine.* — *Chrysosplenium alternifolium* L. (Fl. Bad. II. 214.), e cl. Decandria, ord. Digynia, fam. Saxifragearum, Plantula perennis in silvis humidis, ad scaturigines rivulosque frequens, caule tenero 3-quetro, superne dichotomo-ramoso, foliis parvis, radicalibus in orbem congestis, caulinis alternis, cunctis petiolatis, reniformi-subrotundis, crenatis, pilis raris obsessis, laete viridibus, nitentibus, floribus aureis in corymbum terminalem planum digestis, apetalis, primario decandro, calyce 5-partito, lateralibus 8-andris, calyce 4-partito; tota florens colligenda, sapore acri-nasturtiino.— *Vis:* emetica, alvum movens, diuretica, subadstringens (?). — Hodie obsoleta. — Ejus loco etiam Chrysosplenium oppositifolium L., Planta iisdem locis passim occurrens, praecedenti simillima, sed minor, caulibus 4-gonis et foliis caulinis oppositis, — adhiberi solebat.

HERBA NEPETAE, Catariae, Menthae Catariae. Katzenmünze. *Herbe aux Chats, Cataire.* — *Nepetae Catariae* L. (Fl. Bad. II. 588. — Cl. cet. v. Hb. Menthae), plantae perennis indigenae, in ruderatis, ad vias cet. passim, caule erecto, ramoso, piloso, plane tetragono, floribus verticillato-corymbosis, in racemos interruptos subsecundos digestis, corolla parva albida vel rubella, intus rubro-punctata, staminibus tubo corollae longioribus, Folia longius petiolata, cordata, obtusa, vel acuta, grosse serrata, utrinque molliter brevi-pilosa, subtus incana, subtomentosa, rugosa; odore

fragrante, haud grate aromatico, menthaceo et sapore aromatico camphorino, amariusculo. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore obscure viridi imbuitur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium adstringens. — *Vis:* nervina. incitans, stomachica. — *Usus:* In infuso, externe pro balneis.

HERBA NEPETAE CITRIODORAE STEINII. Citronen-duftende Katzenmünze. *Herbe de Cataire citriodore.* — Plantae praecedentis simillimae, iisdem passim locis occurrentis et hortensis, quae solummodo differt caulibus tetragonis profunde sulcatis, staminibus tubo corollae aequantibus et odore gratissimo citrino, Folia, quae passim Hb. Melissae (p. 134.) substituuntur. — Similibus quoque, ut verisimile est, praedita virtutibus.

HERBA NEPETAE SCORDOTIS L. Gamanderartige Katzenmünze, fruticis Cretensis Africaeque borealis, Folia cordato-ovata, albo-tomentosa; odore aromatico, alliaceo. — Apud nos non adhibetur.

† HERBA NICOTIANAE, Tabaci, Peti, Hyoscyami Peruviani. Tabakskraut. Der Blätter. *Herbe de Tabac.* — *Nicotianae Tabaci* L. (Fl. Bad. I. 509. - Cl. cet. v. Hb. Hyoscyami p. 125.). plantae annuae speciosae Americae meridionalis, apud nos cultae, Folia grandia, oblongo- vel ovato-lanceolata, integerrima, petiolata vel sessilia, decurrentia, saturate viridia, subtus pallidiora, nervis lateralibus parallelis cum costa media angulum acutum formantibus, ad nervos pubescentia, subglutinosa; odore forti nauseoso-narcotico, sapore acri-amaro, ingrato. — *Part. const. praev.:* Nicotium. — *Vis:* acri-narcotica, incidens, emetica, purgans, errhina. — *Usus:* In pulvere, infuso, interne cautissime parva dosi et externe ad lotiones, pro clysmate, ad fumigationes. — *Praep.:* Extractum, Spiritus, Tinctura, Vinum, Acetum, Syrupus, Oxymel, Oleum, Emplastrum, Unguentum. — Aliis quoque additur compositionibus. — Nicotianae Tabaci loco etiam Folia Nicotianae macrophyllae Spr. et Nic. rusticae L. adhiberi licet.

HERBA NUMMULARIAE, Centummorbiae. Pfennigkraut, Egelkraut, Schlangenkraut *Herbe de Numulaire.* — *Lysimachiae Nummulariae* L. (Fl. Bad. I. 455. — Cl. cet v. Hb. Lysimachiae lut. p. 130.), plantae perennis in pascuis humidis, silvaticis, ad fossas aquaticas cet. vulgaris, caule repente, floribus axillaribus solitariis, majusculis, luteis, Folia opposita, breviter petiolata, orbicularia, ovalia vel subcordato-oblonga, acutiuscula, integerrima, glabra, subpunctata; inodora, sapore subacerbo. — *Vis:* vulneraria, antiphthisica (?).— Hodie obsoleta.

HERBA seu SUMMITATES OCIMI GRATISSIMI L. Wohlriechendes Basilicum. *Herbe de Basilic le plus odorant* — (Cl. cet v. Hb. Basilici p. 98.), plantae suffruticosae Indiae orientalis, ramis teretibus piloso-tomentosis, floribus verticillato-spicatis parvis albis, Folia ovato-lanceolata, dentata, subinde purpurascentia, cum Summitatibus florentibus colligenda; odore fragrantissimo suaveolente. — In Java ut medicamentum adhibetur. —

† HERBA OENANTHES AQUATICAE, Filipendulae aquaticae. Röhriges Rebendoldenkraut *Herbe d'Oenanthe fistuleuse.* — *Oenanthes fistulosae* L. (Fl. Bad. I. 615. — Cl. cet v. Hb. Cicutae p. 108.), radice stolonifera repente, articulata et filipendula, caule flexuoso, ramoso, striato, glabro, fistuloso, umbellis terminalibus mediocribus albis vel rubellis, involucro subnullo, umbellulis hemisphaericis, radiantibus, involucellis polyphyllis albidis, fructibus majusculis turbinatis, inaequaliter obtusangulis, calyce coronatis, Folia mediocria, ima bipinnata, foliolis cuneato-lobatis, obtusis, superiora pinnata, pinnulis linearibus, acutis, brevibus, in unum latus versis, cum petiolis fistulosis; cuncta glabra. — *Vis:* venenata. — Caute adhibenda, apud nos hodie obsoleta.

† HERBA OENANTHES SUCCO CROCEO. Safrangelbes Rebendoldenkraut, gelber Wasserfilipendel. *Herbe d'Oenanthe crocée.* — *Oenanthes crocatae* L., plantae perennis aquaticae Europae meridionalis, habitu Conii maculati (p. 108.), caule rubro-fusco maculato, umbellis terminalibus mediocribus albis, involucris et involucellis polyphyllis, fructibus oblongis obtuse costatis, Folia bipinnata glabra, nitentia, saturate viridia, pinnulis ovato-cuneatis, incisis. Tota planta, si vulneratur, succum croceum exsudat, odore nauseoso.— *Vis:* maxime toxica, deleteria. — Cautissime adhibenda.

HERBA ONOBRYCHIDIS. Esparsette, rother spanischer oder türkischer Klee, Süßklee. *Herbe d'Esparcette.* — *Onobrychidis sativae* LAM. (*Hedysari Onobrychidis* L. Fl. Bad. III. 212. — Cl. cet. v. Hb. Meliloti p. 133.), plantae perennis indigenae et cultae, caule adscendente et erecto, ramoso, glabro, floribus speciosis roseis et purpureo-venosis, in spicas longe pedunculatas, cylindrico-ovatas, congestis, Folia impari-pinnata, foliolis oblongis, integerrimis, mucronatis, subtus villosulis, glaucescentibus. — Hodie obsoleta.

HERBA ONONIDIS, Restae Bovis. Hauhechelkraut, Ochsenbrechkraut. *Herbe d'Arrête boeuf.* — *Ononidis spinosae* W. (v. Radix), caule erecto, spinoso, bifariam villoso, floribus axillaribus solitariis, leguminibus calyce longioribus, Folia inferiora ternata, superiora simplicia, foliolis oblongis, obtusis, basi attenuatis, serratis, glabriusculis; recentia odore sub-hircino, sapore herbaceo, subadstringente. — Hodie obsoleta. — Ejus loco etiam Folia Ononidis repentis L., quae late ovalia, serrata, magis villosa, glandulosa, odore fortiori, colligebantur.

HERBA OPHIOGLOSSI. Schlangenzunge, Natterzünglein Otterzunge *Herbe d'Ophioglosse, de Langue de Serpent.* — *Ophioglossi vulgati* L., Planta perennis, e cl. Cryptogamia, fam. Ophioglossearum, in pascuis silvaticis et pratis humidis passim occurrens, fronde stipitata, basi amplexicauli, ovato-lanceolata, obtusa, glabra, arcte reticulata, crassiuscula, spica fructifera longius pedunculata, simplici, lineari-articulata, disticha, capsulis connatis transverse dehiscentibus; inodora, sapore subadstringente, dulcisculo.— Hodie obsoleta.

HERBA OPHRYOS BIFOLIAE. Breitblätterige Ophrys, oder Zweiblatt *Herbe d'Ophrys double feuille.* — *Distomeae cordatae* SPENN. (*Ophryos cordatae* L. (Fl. Bad. III. 569.— Cl. cet. v. Hb. Helleborines latifoliae p. 125.), plantae perennis in pratis, praesertim montosis, pascuis silvaticis vulgaris, radice fasciculato-fibrosa, caule erecto glabro, floribus viridi-flavicantibus in spicam laxam digestis, Folia bina, speciosa, in medio caule sessilia, opposita, amplexicaulia, late ovata, nervosa. — Hodie obsoleta.

HERBA OREOSELINI, Apii montani. Kleine Bergpetersilie. Grundheil. *Persil de Montagne.* — *Peucedani Oreoselini* MOENCH. (*Selini Oreoselini* SCOP. *Athamantae Oreos.* L. Fl. Bad. I. 647. — Cl. cet. v. Hb. Cicutae p. 108.), plantae perennis indigenae, locis siccis asperis passim frequentis, caule erecto, ramoso, striato, glabro, umbellis terminalibus magnis, convexo-planis, albis, involucro et involucellis polyphyllis, Folia 3-plicato-pinnata, divaricata, glabra, pedicellis subinfractis, foliolis plus minus incisis vel pinnatifidis, laciniis inaequalibus; odore ac sapore grate aromatico. — Hodie exolevit.

HERBA seu SUMMITATES ORIGANI. Dosten.
Herbe d'Origan.

Synon.: Herba Origani vulgaris, Cunilae, Bulbulae. Gemeine Dosten, Dostenkraut, Frauendosten, Wohlgemuth, Orant, wilder Majoran.

Origani vulgaris L. (Fl. Bad. II. 641. — Cl. cet. v. Hb. Majoranae p. 130.), plantae perennis ad vias, sepes cet. vulgaris, caule erecto ramoso, villoso, saepius purpurascente, Folia mediocria petiolata, late ovata, integerrima vel obsolete sinuato-denticulata, superne saturate viridia, subtus pallidiora, plus minus pubescentia, venosa, pellucido-punctata, cum Summitatibus florentibus, corymbos terminales confertos, e spicis parvis subrotundo-oblongis, florum plerumque pallide purpureorum, calyce tubuloso 5-dentato bractearumque violaceo-purpurearum, glabrarum exhibentibus, colligenda. Planta polymorpha, pro loco natali plus minus glabra vel villosa; variat porro spiculis plus minus elongatis, bracteis viridibus, corollis albis cet. Odor est fragrans, grate aromaticus, Majoranae similis, sapor aromaticus, subsalsus, amariusculus, subadstringens. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore atro-viridi turbatur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium adstringens. — *Vis:* nervina, resolvens, carminativa, tonica.

Usus: In infuso, immerito raro interne pro thea, externe ad fomentationes, balnea. — *Praep.:* Oleum aethereum, Aqua. Additur variis quoque speciebus, e. g. resolventibus.

HERBA seu SUMMITATES ORIGANI CRETICI. Kretischer Dosten oder Wohlgemuth, Spanischer Hopfen. *Herbe d'Origan de Crète.* — Hoc nomine Summitates florentes Origani Smyrnaei L., plantae perennis orientalis plerumque prostant. Stipites sunt ramosi, brevissime pilosi, straminei, rigidi, cum foliis parvis, ovatis, integerrimis, hirsutis, canescentibus, punctatis et spiculis plerumque ternis, parvis, oblongo-ovatis, 4-gonis, colore sordide griseo-flavescente, hirsutis, bracteis arcte imbricatis, ovatis, subacutis, calycibus depresso-bilabiatis, labio superiori obcordato, indiviso, inferiori obsoleto, fere nullo, corollis albidis; odore fragrantissimo suaveolente, Origani vulgaris simili et sapore aromatico, pungente, amariusculo. — *Part. const. praev.* et *Vis:* ut praecedentis, sed, dum recens, praestantior. — *Usus:* In substantia, infuso. — *Praep.:* Oleum aethereum.

HERBA ORNITHOPODII, Pedis Avis. Kleiner Vogelfuß. *Herbe de Pied d'Oiseau delicat.* — *Ornithopus Perpusillus* L, (Fl. Bad. III. 209.— Cl. cet. v. Hb. Meliloti p. 133.), Plantula annua, locis sabulosis sterilibus passim crescens, caulibus decumbentibus, villosis, foliis impari-pinnatis, foliolis minutis ovalibus, integerrimis, sericeis, floribus umbellatis parvis, ochroleucis, rubro-venosis, leguminibus arcuatis, articulatis, pedem avis parvae simulantibus; tota colligenda. — Hodie obsoleta. — Uti et

HERBA ORNITHOPODII HISPANICI. Spanischer Vogelfuß. *Herbe de pied d'Oiseau d'Espagne.* — *Ornithopi scorpioidis* L. (Cl. cet. praeced.), plantae annuae Europae australis, caule erectiusculo glabro, pedunculis aphyllis, sub-4-floris, Folia ternata, glauca, carnosa, impari maximo, oblongo, lateralibus stipulaceis, subrotundis.

HERBA ORONTII, Antirrhini arvensis majoris. Feld-Orant oder Dorant, Hundskopf, Todtenkopf-kraut. *Herbe de Muflier rubicond.* — *Antirrhini Orontii* L. (Fl. Bad II. 697. — Cl. cet. v. Hb. Antirrhini major. p. 94.), plantae annuae, in arvis, vineis frequentis, habitu Antirrhini majoris, sed in omnibus partibus minoris et floribus axillaribus solitariis, lobis calycinis digitatis, lineari-lanceolatis, corolla purpurascente vel albida multo longioribus, Folia angusta, lineari-lanceolata pubescentia; sapore amariusculo, subadstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA PANDI-PAVE. Pavári oder aurkenartiges Balsamapfel-Kraut *Herbe de Panpangaye.* — *Momordicae Charantiae* L. (Cl. cet. v. Cucumis p. 55.), plantae annuae Indiae orientalis, Folia magna, palmato-7-loba, dentata, subtus aspera; foetida, amara. — Ut anthelminthicum usurpatur. — Apud nos non adhibetur.

† HERBA PAPAVERIS RECENTIS. Mohnkraut, Mohnblätter. *Herbe de Pavot.* — *Papaveris somniferi* L. (v. Opium), Folia speciosa amplexicaulia, repando-incisa, obtuse dentata, glaucescentia, glabra, carnosa, lactescentia; odore nauseoso et sapore subsalso, amaro, acriusculo. — *Vis:* narcotica (v. Opium). — *Praep.:* Extractum. — Additur quoque Unguento Populeo cet.

† HERBA PAPAVERIS CORNICULATI. Gehörnter Mohn. *Herbe de Pavot cornu.* — *Glaucii lutei* Scop. (*Chelidonii Glaucii* L. — Fl. Bad. II. 473. — Cl. cet. praeced.), plantae biennis Europae mediae passimque Germaniae. caule divaricato ramoso, glabro, floribus axillaribus solitariis speciosis, luteis, siliquis longissimis hirsutis, capitulo 3-gono, Folia inferiora pinnatifida, dentata, superiora amplexicaulia, cordata, sinuato-lobata; omnia subhirsuta, glauca, crassiuscula; vulnerata succo croceo lactescunt — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus:* ut Hb. Chelidonii (p. 107.). — Hoc nomine etiam Folia Glaucii phoenicei Sm. (Chelidonii corniculati L. — Fl. Bad. IV. 400.), plantae iisdem passim locis occurrentis, praecedenti simillimae, sed floribus minoribus. rubris sumuntur, — iisdem gaudentia virtutibus.

† HERBA PARIDIS. Wolfsbeer- oder Paris Kraut. *Herbe de Parisette.* (v. Bacc. p. 16.), Folia speciosa, versus caulis simplicis erecti apicem sessilia quaterna. ovata, integerrima, 3-nervia, glabra, saturate viridia; odore narcotico, fumi simili, sapore nauseoso, subdulci. — *Vis:* narcotica, emetica. — *Usus:* Interne caute, praecipue externe ut resolvens adhibebatur. — Hodie, immerito, fere exolevit.

HERBA PARIETARIAE MAJORIS, Helxines. Glaskraut, Wandkraut, Mauerkraut, Tag und Nachtkraut, St. Peterskraut *Herbe de Parietaire.* — *Parietariae erectae M. et K.* (*Parietariae officinalis W.* — Fl. Bad. III. 783.), e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Urticearum, plantae perennis ad vias, muros, in ruderatis cet. passim frequentis, caule erecto subsimplici vel breviter ramoso, striato, pilosulo, floribus exiguis axillaribus, verticillato-glomerato-cymosis, apetalis, incano-viridibus, inferioribus foemineis, intermediis hermaphroditis et superioribus masculis, Folia petiolata, oblongo-ovata vel lanceolata, utrinque attenuata, integerrima, 3-plinervia, utrinque breviter pilosa, aspera, subadhaerentia, saturate viridia, pellucido-punctata; inodora, sapore herbaceo, subsalso, amariusculo, subadstringente. — *Vis:* diuretica. — *Usus:* In infuso, decocto. — *Praep.:* olim Succus, Aqua; aliis quoque addi solebant compositionibus. — Hodie vix adhibetur. — Hujus loco etiam Folia Parietariae diffusae M. et K. (Par. officinalis L.), plantae iisdem passim locis provenientis, praecedenti simillimae, sed caule diffuso procumbente, ramosissimo, quae minora, latiora, ovata, tenuiora, colliguntur. — Cave confundas Herbam Parietariae cum Herba Atriplicis (p. 96.), Mercurialis (p. 136.) et Circaeae lutetianae (p. 110.).

HERBA PATCHOULI. Stinkender Hahnensporn. *Herbe de Patchouli.* — *Plectranthi graveolentis* R. Br., e cl. Didynamia, ord. Gymnospermia, fam. Labiatarum, plantae Novae Hollandiae, floribus verticillatis, longius pedicellatis, Folia ovata, crenata, villosa, rugosissima; odore forti graveolente. — Nuper ut medicamentum commendabatur; apud nos nondum adhibetur.

HERBA PATIENTIAE. Geduldkraut, GeduldAmpfer, Gemüse-Ampfer, Englischer Spinat. *Herbe de Patience.* — *Rumicis Patientiae* L. (Fl. Bad. II. 94. — Cl. cet. v. Hb. Acetosae p. 90.), plantae perennis speciosae Europae australis, nobis hortensis, caule erecto, superne ramoso, sulcato, saepius rubro, floribus verticillato-racemosis, bracteatis, valvulis calycinis integerrimis vel subdenticulatis, una granulifera, Folia magna petiolata, ovato-lanceolata, acuminata, glabra, succulenta; sapore acerbo-acido. — Hodie obsoleta.

HERBA PECTINIS VENERIS, Scandicis, Venuskerbel, Venuskamm. *Herbe de Peigne de Venus.* — *Scandicis Pectinis* L. (Fl. Bad. II. 695. — Cl. cet. v. Hb. Cicutae p. 108.), plantae annuae, in agris, vineis cet. passim frequentis, caule erecto, superne hirsuto, ramoso, umbellis parvis paucifloris, radiantibus, albis, fructibus longissimis rostratis, Folia 3-plicato-pinnata, foliolis linearibus abbreviatis, multipartitis, rariter pilosis; sapore acriusculo, subdulci. — Hodie obsoleta.

HERBA PEDICULARIS AQUATICAE. Sumpfläusekraut. *Herbe de Pediculaire des Marais.* — *Pedicularis palustris* L. (Fl. Bad. II. 684. — Cl. cet. v. Hb. Euphrasiae), Planta perennis indigena, palustris, glabra, caule erecto, ramoso, foliis sparsis subsessilibus, pinnatis, obtusis, pinnis oblongis linearibus, pinnatifidis, crenato-dentatis, floribus axillaribus spicato-racemosis, speciosis, pallide purpureis, calyce magno ventricoso, bilabiato, lobis obtusis crispis; tota florens colligenda; odore ingrato et sapore nauseoso-acri. — *Vis:* diuretica, toxica, acris (?). — *Usus:* Interne cautissime, externe Succus expressus et Decoctum, contra fistulas et ulcera sordida commendabatur. — Hodie exolevit. — Uti et

HERBA PEDICULARIS MINORIS. Kleines oder Waldläusekraut *Herbe de Pediculaire de Bois.* — *Pedicularis silvatica* L., Planta ad silvarum marginalia humida, praecedentis similis, sed minor, caulibus ex radice pluribus subsimplicibus, repandis vel adscendentibus, foliis minoribus, floribus paucioribus, calycibus inaequaliter 5-fidis, cristatis.

HERBA PEDIS ANSERINI SECUNDI. Unächter oder Bastard Gänsefuß, stechapfelblättriger Gänsefuß, Schweinemelde, Schweinstod. *Herbe de Patte d'Oie batarde.* — *Chenopodii hybridi* L. (Fl. Bad. I. 568. — Cl. cet. v. Hb. Botryos mexicanae p. 100.), plantae annuae in ruderatis cet. vulgaris, caule erecto ramoso, glabro, spicato-angulato, floribus racemoso-paniculatis, divaricatis, nudis, Folia longe petiolata, cordato-acuminata, angulato-dentata, glabra, foliorum Stramonii (p. 156.) similia, sed minora et multo teneriora, glabra; odore nauseoso, subnarcotico et sapore ingrato, salso. — *Vis:* narcotica (?). — Hodie vix adhibetur.

HERBA cum FLORIBUS PEDIS CATI, Gnaphalii seu Elichrysi montani, Hispidulae. Katzenpfötchen oder Hasenpfötchen, zweihäusiges oder rothes und weißes Ruhrkraut. *Herbe de Pied de Chat.* — *Gnaphalium dioicum* L. (Fl. Bad. III 409. — Cl. cet. v. Flor. Stoechad citr. p. 71.), Planta perennis, in campis aridis, ericetis, graminosis, montosis, passim frequens, sarmentis procumbentibus foliatis, caulibus simplicibus erectis, albo-tomentosis, floriferis, foliis radicalibus spathulatis, caulinis lineari-lanceolatis, cunctis integerrimis, pilosis, subtus tomentosis, floribus (calathiis) fasciculato-corymbosis, tomentosis, dioicis, masculis subglobosis albidis, foemineis magis cylindricis, plus minus rubellis vel purpureis; tota colligenda. — Hodie obsoleta.

HERBA PENTAPHYLLI, Quinquefolii majoris, Potentillae. Fünffingerkraut, kriechendes Fingerkraut *Herbe de Quintefeuille.* — *Potentillae reptantis* L. (Flor. Bad. II. 451. — Cl. cet. v. Hb. Argentinae p. 95.), plantae perennis locis humidis vulgaris, caulibus reptantibus, filiformibus, geniculatis, pubescentibus, floribus axillaribus solitariis, longe pedunculatis, majusculis, aureis, Folia stipulata, petiolata digitata, sub-5-nata, foliolis cuneiformi-oblongis, argute serratis, laete viridibus, subtus subpubescentibus; sapore dulciusculo adstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA PENTAPHYLLI AQUATICI, Comari palustris. Sumpffingerkraut, rothes Fingerkraut, Siebenfingerkraut, Blutauge *Herbe de Potentille rouge.* — *Potentillae palustris* Scop. (*Comari palustris* L. — Fl. Bad. II. 462. — Cl. cet praeced.), plantae perennis indigenae paludosae, caule basi radicante, adscendente, ramoso, fusco-rubello, floribus axillaribus terminalibusque solitariis, pedunculatis, speciosis, obscure purpureis, petalis angustis calyce minoribus, Folia stipulata, inferiora petiolata, subseptenata, superiora subsessilia, 3-nata, foliolis elliptico-lanceolatis, serratis, laete viridibus, subtus glaucescentibus; sapore adstringente. — Hodie exolevit.

HERBA PEPLION. Meerstrands-Wolfsmilch. *Herbe de Peplion.* — *Euphorbiae Pepli* L. (Cl. cet. v. Hb. Esulae p. 117.), plantae annuae maritimae, caule procumbente ramosissimo, floribus axillaribus solitariis, Folia stipulacea semicordata, obtusa, integerrima, colorata, subcarnosa. — Planta acerrima jam a veteribus pro medicamento usurpabatur; — apud nos non adhibetur.

HERBA PERCEPIER. Acker-Sinau. *Alchemilla Aphanes* Leers. (*Aphanes arvensis* L. Fl. Bad. I. 3. — Cl. cet. v. Hb. Alchemillae p. 92.), Plantula annua arvensis, habitu Alchemillae vulgaris, sed multo minor floribusque monandris. — Olim ut medicamentum, praecipue lithontripticum, adhibebatur. — Hodie exolevit.

HERBA PERFOLIATAE. Durchwachskraut, rundblätteriges Hasenohr. *Herbe de Percefeuille.* — *Bupleuri rotundifolii* L. (Fl. Bad. I. 608. — Cl. cet. v. Hb. Auriculae Leporis p. 96.), plantae annuae arvensis, caule erecto gracili, superne subramoso, floribus umbellatis luteis, involucellis ovatis acuminatis, lutescentibus, flosculis majoribus, Folia perfoliata ovato-subrotunda, integerrima, glabra, glaucescentia, multinervia; inodora et fere insipida. — Hodie obsoleta.

HERBA PERSICARIAE ACIDAE. Wasserknöterig, Wasser- und Erd-Flohkraut. *Herbe de Renouée amphibie.* — *Polygoni amphibii* L. (Fl. Bad. II. 168. — Cl. cet. v. Hb. Centumnodii p. 106.), plantae perennis indigenae aquaticae et terrestris, prioris caule subsimplici monostachyo, posterioris ramoso polystachyo, spicis confertis speciosis, amoene rubris, floribus pentandris, semidigynis, Folia petiolata, prioris oblongo-obtusiuscula, serrulata, glabra, firma, natantia, posterioris lanceolata, acuminata, aspera; ambo sapore acerbo. — Hodie obsoleta. — Uti et

HERBA PERSICARIAE MITIS. Mildes Flohkraut oder Flohknöterig. *Herbe de Renouée Persicaire.* — *Polygoni Persicariae* L. (Fl. Bad. II. 172.), plantae annuae, locis humidis vulgaris, caule adscendente geniculato, ramoso, glabro, saepe rubello, spicis pluribus axillaribus terminalibusque, oblongo-cylindricis, densiusculis, dilute rubellis vel albis, floribus hexandris, pedunculis glabris, ochreis stipulaceis ciliatis, Folia breviter petiolata lanceolata, utrinque attenuata, glabra, margine et costa adpresse pilosa, saepius macula nigra notata; sapore subadstringente, miti. — Ejus loco saepius quoque Polygonum lapathifolium L., planta praecedenti simillima, iisdem locis occurrens, colligitur, quae folia habet latiora, ochreas muticas, pedunculos asperos et flores plerumque viridescente-albos.

HERBA PERSICARIAE ACRIS seu URENTIS, Hydropiperis. Brennendes Flohkraut, Wasserpfeffer, Mückenkraut, Bitterknöterig. *Herbe de Renouée acre, de Poivre d'eau, de Curage.* — *Polygoni Hydropiperis* L. (Fl. Bad. II. 173.), Planta annua locis humidis, ad fossas aquaticas, paludes cet. vulgaris, praecedenti simillima, sed caule tumido-geniculato, foliis petiolatis plerumque angustioribus, lanceolatis, utrinque attenuatis (vel ellipticis), subundulatis, ochreis ventricosis, breviter ciliatis, floralibus submuticis, spicis filiformibus interruptis, nutantibus, floribus albidis vel rubellis, glanduloso-punctatis, tota florens colligenda; sapore acri-urente. — *Part. const praec.:* Principium proprium acre volatile. — *Vis:* diuretica, antiscorbutica, rubefaciens, discutiens. — *Usus:* Herba recens solummodo adhibenda; praecipue externe praescribitur. — Hodie immerito vix adhibetur. Cave confundas cum praecedentibus plantis vel Polygono dubio Steinii (P. laxifloro Weihe) habitu fere omnino Polygoni hydropiperis, sed foliis basi rotundatis, minime attenuatis, spicis erectiusculis, incrassatis, et floribus eglandulosis, quae omnia saporem habent mitem, subadstringentem, minime acri-urentem.

HERBA PETROSELINI. Petersilien- Peterling-Kraut. *Herbe de Persil.* — *Petroselini sativi* Hoffm. (*Apii Petroselini* L. — Fl. Bad. I. 730. — Cl. cet. v. Hb. Cicutae p. 108.), Plantae biennis Italiae, apud nos cultae, caule erecto, striato, ramoso, ramis longis, tenuibus, umbellis terminalibus longius pedunculatis, viridescenti flavicantibus, involucro subnullo, involucellis polyphyllis filiformibus, petalis obcordatis cum lacinula inflexa, fructibus solidis oviformibus, a latere compressis subbicoccis, 5-costatis, costis filiformibus aequalibus, valleculis 1-vittatis, Folia radicalia longe petiolata, 3-plicato pinnata, foliolis ovato-cuneatis, 3 fido-dentatis, caulina superiora minus composita, brevius petiolata, foliolis lineari-lanceolatis, integris, omnia glabra, laete viridia; odore et sapore grate aromatico, dulciusculo. — *Part. const. praec.:* Oleum aethereum camphorinum. — *Vis:* incitans, diuretica, resolvens. — *Usus:* diaeteticus. — Herba recens solummodo abhibenda. — *Praep.:* Aqua, Oleum. — Cave confundas cum Herba Cicutae et Cicutae minoris. (p. 108 et 109.)

HERBA cum FLORIBUS PHALANGII, Phalangii ramosi. ästiges Zaunblumen-, Erdspinnen-Kraut *Herbe d'Antheric rameux.* — *Anthérici ramosi* L. (*Phalangii ramosi* Tourn. — Fl. Bad. II. 46. — Cl. cet. v. Hb. Graminis Ossifragi p. 122.), planta perennis locis siccis, apricis passim, scapo ramoso, floribus paniculatis mediocribus, albis, erectis foliisque planis linearibus, gramineis, tota colligenda; inodora,

sapore fatuo, mucilaginoso. — Olim ut antidotum veneni scorpionum, aranearum cet., adhibebatur. — Hodie obsoleta. — Uti et

HERBA cum FLORIBUS PHALANGII NON RAMOSI. Lilienzaunblume, astloses Erdspinnenkraut *Herbe d'Antheric graminée.* — *Antherici Liliaginis* L. (Fl. Bad. II. 48.), scapo simplici, floribus majoribus, albis, pistillo declinato, foliis latioribus.

HERBA PHELLANDRII. Wasserfenchel, oder Roßfenchel-Kraut. *Herbe de Phellandre aquatique.* (v. Semen), Folia 3 plicato-pinnata, divaricata, foliolis parvis ovatis, inciso-dentatis, glabra, laete viridia; odore ac sapore aromatico, nauseoso. — Hodie obsoleta.

HERBA PHYLLANTHI NIRURI L. Weißer Phyllanthus, Traumkraut, et Herba Phyllanthi Urinariae L., Fruchttreibender Phyllanthus, e cl. Monoecia, ord. Monadelphia, fam. Euphorbiacearum, plantarum annuarum Indiae orientalis, Folia pinnata florifera, quorum prioris foliola elliptico-obtusa Foliorum Sennae (p.79.), similia, posterioris autem subrotundo-ovata, acutiuscula. — In patria ut diureticum cet. maxime laudantur.

HERBA PHYTOLACCAE, Solani racemosi. ermesbeerblätter *Herbe de Phytolaque.* — *Phytolaccae decandrae* L. (v. Baccae p. 17.) Folia magna, ovato lanceolata, integerrima, glabra, saturate viridia, e planta florente colligenda; sapore nauseoso-acri. — Folia recentia et succus expressus interne et externe contra carcinomata commendatur.

HERBA PIMPINELLAE, Sanguisorbae. Welsche Biebernell, oelbleinskraut, Blutkraut *Herbe de Pimprenelle des prés.* — *Sanguisorbae officinalis* L. (v. Radix), plantae habitu subsequentis, sed capitulis plerumque majoribus, oblongis, atropurpureis, floribus hermaphroditis, tetrandis, Folia pinnata subsequentium similia, plerumque autem majora, firmiora, foliolis substipulaceis, cordato-oblongis, crenato-serratis, semper glaberrima, subtus tenerrime reticulato-venosa, glauca; odore herbaceo, subacri, sapore subacri, adstringente. — Hodie obsoleta. — Uti et

HERBA PIMPINELLAE, Saxifragae majoris, Bimbinellae. Weiße Biebernell, Bockspeterlein, oder Steinpeterleinkraut. *Herbe de Pimprenelle Saxifrage, de Boucage à feuilles pimprenelle.* — *Pimpinellae Saxifragae* L. (v. Radix), caule erecto ramoso, umbellis terminalibus pedunculatis, mediocribus, albis, involucro et involucellis destitutis, Folia pinnata praecedentium similia, foliolis radicalibus et caulinis inferioribus ovatis vel cordato-ovatis, obtuse inciso-dentatis, caulinis superioribus linearibus, omnia glabra vel plus minus pubescentia; odore et sapore ingrato aromatico, acri.

HERBA PIMPINELLAE HORTENSIS vel ITALICAE MINORIS. Gemeines ederblumenkraut. Gartenbiebernell, italienische schwarze Bibernell, Megelkraut, Nagelkraut *Herbe de Pimprenelle commune.* — *Poterii Sanguisorbae* L. (Fl. Bad. III. 695.), e cl. Monoecia, ord. Polyandria, fam. Rosacearum, plantae perennis indigenae et hortensis, caule ramoso, floribus terminalibus, in capitula subrotundo-ovata congestis, parvis, viridibus, superioribus foemineis, inferioribus masculis, Folia pinnata, foliolis subrotundis, subreniformibus, superiorum oblongis, grosse serratis, plus minus, ut tota planta, pubescentia, in hortis fere glabra, subtus glaucescentia; trita, odore grate aromatico et sapore aromatico, amariusculo, subadstringente. — *Usus*: Herba recens praescribitur. — *Praep.*: Aqua, Syrupus, Conserva. — Hodie vix pro medicamento adhibetur. — Cave confundas cum Sanguisorba officinali et Pimpinella saxifraga (v. antecedentes).

HERBA PINGUICULAE. Fettkraut. *Herbe de Grasette.* — *Pinguiculae vulgaris* L. (Fl. Bad. I. 47.), e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Lentibulariarum, plantae perennis indigenae, locis montosis, turfosis praecipue crescentis, scapo erecto, unifloro, flore specioso, coeruleo-violaceo, calcarato, calcari cylindraceo, recto, floris longitudine, Folia radicalia in rosulam congesta, oblongo-ovata, margine convoluta, carnosa, superne setis sparsis pellucidis mollibus obsita, subglutinosa; inodora, sapore subacri-amariusculo. — Herba suspecta, olim in phthisi pulmonali, ut vulnerarium praecipue adhibebatur. — Hodie obsoleta.

HERBA PLANTAGINIS ANGUSTIFOLIAE seu LANCEOLATAE, Quinquenerviae minoris. **Spitzer Wegerich.** ***Herbe de petit Plantain.*** **—** ***Plantaginis lanceolatae*** **L. (Fl. Bad. I. 360.), e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Plantaginearum, plantae vulgatissimae, scapo anguloso, spica ovato-oblonga, floribus albis, bracteis nigrescentibus, Folia radicalia lanceolata, utrinque attenuata, sub 7-nervia, remote et obsolete denticulata, pilis sparsis subhirsuta, laete viridia, rigidiuscula; inodora, sapore herbaceo, dulciusculo, subacri. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope non alteratur, tinctura vero gallarum turbatur. —** ***Part. const. praev.:*** **Principium extractivum proprium (?). —** ***Vis:*** **febrifuga (?), vulneraria. —** ***Usus:*** **In infuso, Succus expressus; externe praecipue herba recens adhibetur. —** ***Praep.:*** **olim Conserva, Syrupus, Aqua, Extractum, Unguentum.**

HERBA PLANTAGINIS AQUATICAE. Wasserwegerich, Froschlöffelkraut *Herbe de Plantain d'eau.* — *Alismatis aquaticae* L. (Fl. Bad. II. 25.), e cl. Hexandria, ord. Polygynia, fam. Alismacearum, plantae perennis indigenae aquaticae, scapo 3-gono verticillato-ramoso, floribus verticillatis albis et rubellis, in paniculam compositam digestis, Folia speciosa, longe petiolata, subcordato-ovata, acuta, 5—7-nervia, glabra, laete viridia, firma; sapore acri. — Folia recentia, ad cutem irritandam, ulcera sananda, adhibebantur. — Hodie apud nos obsoleta.

HERBA PLANTAGINIS LATIFOLIAE, seu MAJORIS, Arnoglossi, Septemnerviae. **Großer breiter Wegerich, Sauohr.** ***Herbe de grand Plantain.*** **—** ***Plantaginis majoris*** **L. (Fl. Bad. I. 357. — Cl. cet. ut Plant. lanceolatae), plantae pariter vulgaris, scapo tereti, spica longa cylindrica, basi saepe interrupta, floribus albis, bracteis albidis adpressis, Folia radicalia petiolata, late ovata vel ovali-elliptica, obtusa, remote subdenticulata, plerumque 7-11-nervia, glabriuscula vel subpubescentia, rigida, subcoriacea; inodora, sapore herbaceo, subsalso, amariusculo. —** ***Part. const. praev., Vis*** **et** ***Usus:*** **ut Herbae Plantaginis angustifoliae.**

HERBA PLANTAGINIS MEDIAE L. **Mittlerer Wegerich.** ***Herbe de Plantain moyen.*** **(Fl. Bad. I. 369.), plantae non minus frequentis, quam praecedentes, scapo tereti,**

striato, adscendente, foliis multo longiore, spica oblonga, conferta, floribus albis odoratis, filamentis longis, rubris, Folia terrae adpressa, breviter petiolata, late elliptica, subintegerrima, breviter pilosa, hirsuta, sub-7-nervia, rigidiuscula; sapore herbaceo, sub-salso, amariusculo; Virtutibus praecedentium gaudentia.

HERBA PNEUMONANTHES. Blauer Wiesen-Enzian, Lungen-Enzian. *Herbe de Gentiane Pneumonanthe* — *Gentianae Pneumonanthes* L. (v. Flor. p. 69.) Folia opposita sessilia, angusta, linearia vel lineari-lanceolata, stricta, margine subrevoluta, apice obtusa, integra, glabra, saturate viridia; sapore amaro. — Hodie obsoleta.

HERBA PODAGRARIAE. Gemeiner Geissfuss, Giersch, Gerhardskraut. *Herbe de Pied Aigle, de Gerard.* — *Aegopodii podagrariae* L. (*Sisonis Podagrar.* SPR. — Fl. Bad. I. 733. — Cl. cet. v. Hb. Cicutae p. 108.), plantae perennis vulgaris, radice maxime repente, caule ramoso, umbellis magnis albis, uniformibus, grate odoratis, involucris et involucellis nullis, fructibus oblongis solidis, 5-costatis, costis filiformibus aequalibus, valleculis evittatis, Folia speciosa, radicalia petiolata, biternata, caulina vaginantia, sessilia, superiora simpliciter ternata, foliolis majusculis, ovato-oblongis, acuminatis, basi inaequali, duplicato-serratis, glabra; inodora, sapore herbaceo-amariusculo. — Olim contra podagram adhibebatur. — Hodie exolevit.

HERBA POLII seu TEUCRII CRETICI, Hb. Rorismarini Stoechadis facie. Cretischer Polen oder Gamander. *Herbe de Polium de Crète.* — *Teucrii cretici* L. (Cl. cet. v. Hb. Chamaedryos p. 106.), fruticuli Cretae, Aegypti cet., Folia lineari-lanceolata, margine revoluta, integerrima, subtus albo-tomentosa, Hb. Anthos (p. 94.) similia, cum Summitatibus florentibus virgatis et floribus laxe racemosis, violaceis calyceque tomentoso, colligenda; odore fragrante aromatico et sapore aromatico, peramaro. — Apud nos non adhibetur.

HERBA POLII LUTEI, seu montani Gallorum. Polen-Gamander, französischer Gamander. *Herbe de Polium jaune ou de Montagne français.* — *Teucrii Polii* L. (Cl. cet. praeced.), fruticuli Europae australis et Asiae, caule procumbente adscendente, albo-tomentoso, Folia parva lineari-lanceolata, obtusa, crenata, cum floribus luteis vel albidis, in capitula, conferta albo-tomentosa, congestis, colligenda; odore grate aromatico et sapore aromatico, amaro. — Apud nos non adhibetur.

HERBA POLII MONTANI ANGLORUM. Englischer Berg-Polen, Kopfgamander. *Herbe de Polium de Montagne des Anglais.* — *Teucrii capitati* L. (Cl. cet. praec.), fruticuli erecti Europae australis et Orientis, Folia lineari-lanceolata, revoluta, crenata, albo-tomentosa, cum Capitulis terminalibus, aphyllis, albo-tomentosis floribusque flavescentibus vel rubellis, colligenda; odore fragrante aromatico et sapore aromatico amaro, et

HERBA POLII MONTANI GERMANORUM. Berg-Gamander, Berg-Polen. *Herbe de Polium de Montagne des Allemands.* — *Teucrii montani* L. (Fl. Bad. II. 582.), suffruticis parvi Europae mediae passimque Germaniae, in pascuis sterilibus, collibus aridis obvii, caulibus basi decumbentibus, lignescentibus, villosis, Folia lineari-lanceolata, integerrima, margine revoluta, subtus albide tomento a, firmiuscula, cum Floribus corymbosis albidis, siccati lutescentibus, colligenda; quae pariter aromatica, amara. — Apud nos utraque herba obsoleta.

HERBA POLYGALAE AMARAE cum RADICE. Bitteres Kreuzblumen-Kraut mit Wurzel. *Herbe de Polygala amère avec la racine.*

Synon.: Kreuzwurz-, Milchblumen-Kraut.

Polygala amara L. (Fl. Bad. III. 150. et IV. 533.), e cl. Diadelphia, ord. Octandria, fam. Polygalearum, Plantula perennis indigena, in pratis, pascuis udis et siccis, praecipue montosis passim, radice tenui fibrosa, superne nodosa, plerumque multicipite, albida, lignosa, caulibus pluribus digitalibus et majoribus, procumbentibus et adscendentibus, glabris, foliis radicalibus majoribus in rosulam congestis, plerumque obovatis, obtusis, subpetiolatis, caulinis alternis, apicem versus gradatim angustioribus, lanceolatis linearibusque et minoribus, omnibus integerrimis, glabris, laete viridibus, firmiusculis, floribus terminalibus racemosis, breviter pedunculatis, parvis, laete coeruleis vel albis aut rubellis, cristatis, tota florens colligenda. Planta pro solo natali maxime polymorpha, radice calamum stramineum et ultra crassa vel subfiliformi, foliis radicalibus passim plus minus acutiusculis vel rotundatis, subemarginatis cet.; sapor autem semper peramarus, subirritans. — *Part. const. praev.*: Principium

extractivum amarum. — *Vis:* tonica, stomachica, incidens, pectoralis, aperiens.

Sit Herba florens, colore laete viridi, sapore peramaro. Cave confundas cum Herba Polygalae vulgaris postea describenda et Herba Centumnodii (p. 106.).

Usus: In pulvere, electuario, infuso, decocto. — *Praep.:* Extractum.

HERBA POLYGALAE VULGARIS L. seu Amborvalis. Gemeines Kreuzblumen-Kraut. *Herbe de Polygala commun.* — (Fl. Bad. III. 149.), plantae perennis, in pratis, pascuis cet. vulgaris, praecedenti simillimae, sed plerumque omnibus partibus majoris, caulibus magis erectis, passim spithameis et majoribus, Folia radicalia et caulina inferiora superioribus minora, ovato lanceolata, acuta, superiora anguste lanceolata vel lineari-lanceolata, omnia integerrima, glabra, laete viridia et firmiuscula, cum floribus majoribus, saturatius coeruleis, violaceis, purpureis vel albis, in racemos terminales, laxos digestis, colligenda. Planta aeque ac praecedens polymorpha, subinde tanta gaudet similitudine, ut vix ab ea distingui possit, unde passim solummodo pro varietate habetur. Sapor autem semper non nisi amariusculus magisque irritans. Ceterum *Vires* habet analogas, forsitan plus pectorales, eodemque modo, sed rarissime adhibetur. Planta medicis magis commendanda (v. etiam Radix.).

HERBA POLYGONI COCCIFERI. Ausdauernder Knäuel, Blutkraut. *Herbe de Gnavelle vivace.* — *Scleranthus perennis* L. (Fl. Bad. II. 228.), e cl. Decandria, ord. Digynia, fam. Sclerantbearum, Plantula perennis, locis apricis lapidosis vulgaris, caule decumbente ramosissimo, ramis oppositis, foliis minutis oppositis et subfasciculatis, connatis, lineari-subulatis, pallidis, floribus parvis, glomeratis, apetalis, perigonio incano, margine albido, post anthesin clausis. — Hodie obsoleta.

HERBA POLYPODII LONCHITIS L. (Aspidii Lonchitis W.). Milz-, Schild- oder Tüpfel-Farrn *Herbe de Polypode Lonchite.* — Filix montana, stipite paleaceo, fronde pinnata, pinnis lanceolato-falcatis, mucronatis, duplicato-spinuloso-serrulatis, subtus sparse paleatis, basi sursum acute auriculatis, truncatis, soris biserialibus, postremo confluentibus. — Hodie obsoleta.

HERBA POLYTRICHI AUREI, seu Adianti aurei, Hepaticae terrestris. Hygrometrisches Dreh- oder Sternmoos, Wettermoos. *Funaria hygrometrica* HEDW. (*Mnium hygrometricum* L.). Muscus frondosus locis umbrosis passim frequens, caule brevissimo simplici, foliolis ovato-oblongis, mucronatis, integerrimis, concavis, pellucidis, laxe reticulatis, nervo excurrente, seta flexuosa incurva, capsula piriformi, profunde sulcata, peristomio duplici, dentibus 16 externis obliquis, apice cohaerentibus, internis membranaceis, oppositis, operculo non admodum prominente. — Hodie obsoleta. (Confer. p. 91.)

HERBA PORRI Gemeiner Lauch, Winterlauch *Herbe de Porreau.* — *Allii Porri* L. (Fl. Bad. II. 11., e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Liliacearum, plantae perennis Europae meridionalis, Helvetiae passimque Germaniae, quae frequenter colitur, caule tereti foliato, umbella speciosa, globosa, alba, vel purpurascente, capsulifera, Folia plana, lanceolata, acuta, graminea, subglauca, crassiuscula, succulenta; odore et sapore aromatico, alliaceo. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum acre. — *Usus:* diaeteticus.

HERBA PORTULACAE. Gemeiner oder Gemüse-Portulack, Burzelkraut. *Herbe de Pourprier commun.* — *Portulacae oleraceae* L. (Fl. Bad. II. 343.), e cl. Dodecandria, ord. Monogynia, fam. Portulacearum, plantae annuae indigenae, locis sabulosis et cultae, caule prostrato, in hortis magis erecto, ramoso, glabro, succulento, floribus terminalibus, sessilibus, solitariis et aggregatis, luteis, Folia spathulata, integerrima, glabra, nitentia, crassa, succulenta; inodora, sapore subsalso, herbaceo. — *Part. const. praev.:* Calcaria malica. — *Vis:* refrigerans, diuretica, antiscorbutica. — *Usus:* Herba recens praescribitur praecipue usui diaetetico; ad acetaria cet. inservit.

HERBA POTENTILLAE, Anserinae seu Argentinae. Gänserich-Fingerkraut, Gänsekraut *Herbe d'Anserine vulgaire.* — *Potentillae Anserinae* L. (Fl. Bad. II. 441. — Cl. cet. v. Hb. Argentinae p. 95.), plantae locis humidis, pascuis, ad vias, fossas cet. vulgaris, caule prostrato, radicante, filiformi, floribus axillaribus, solitariis, longe pedunculatis, speciosis, aureis, Folia prostrata petiolata, stipulata, interrupte pinnata, pinnis majoribus oblongo-ovatis, argute subinciso-serratis, pinnulis minoribus sub-3-dentatis; omnia superne laete viridia, subtus sericea; inodora, sapore herbaceo-adstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA PRIMULAE VERIS, Paralyseos. Schlüsselblumen-Kraut *Herbe de Prime vère.* — *Primulae officinalis* JACQ. (v. Flor. p. 69.), Folia radicalia, speciosa, ovato-oblonga, in petiolum decurrentia, denticulata, rugosa, laete viridia, subtus pubescentia, e viridi-cinerea, venosa; inodora, sapore amariusculo. - Hodie obsoleta.

HERBA cum FLORIBUS PRUNELLAE, Brunellae, Consolidae minoris. Gemeine Prunelle, Brunelle, Braunheil, Gottheil, Selbstheil *Herbe de Prunelle.* — *Prunellae vulgaris* L. (Fl. Bad. II. 661. — Cl. cet. v. Hb. Basilici p. 98.), plantae perennis parvae, in pratis, pascuis, ad vias cet. vulgaris, caule digitali, palmari, basi decumbente, adscendente, simplici vel ramoso, Folia petiolata, ovato oblonga, integerrima vel subdentata, trinervia, hirsuta, cum Summitatibus florentibus, spicas verticillatas, ovato-oblongas, bracteatas, exhibentibus, bracteis rotundato-acuminatis, venosis, hirsutis, plerumque violaceo-fuscis, corolla calyce duplo longiori, colligenda; inodora, sapore subadstringente, amariusculo. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore atro-viridi turbatur. — *Vis:* adstringens, vulneraria. — *Praep.:* olim Succus, Syrupus. — Hodie vix adhibetur. — Hoc nomine etiam Prunella grandiflora L. (Fl.

Bad. II. 662.), sumitur, planta praecedentis simillima, iisdem passim locis, praecipue montosis obvia; differt autem caulibus plerumque demissioribus, simplicibus, corollis speciosioribus, calyce quadruplo longioribus.

HERBA PTARMICAE. Weißer Bertramkraut *Herbe de Ptarmique.* — *Achilleae ptarmicae* L. (v. Flor. p. 69.), Folia sessilia, semiamplexicaulia, lineari-lanceolata, acuta, argute serrata, saturate viridia, glabra. subtus passim pilosula; inodora, sapore acri-mordante. — Apud nos non adhibetur.

HERBA PULEGII. Polen-Münze, gemeiner Polen, Flohkraut. *Herbe de Pouliot.* — *Menthae Pulegii* L. (Fl. Bad. II. 607. — Cl. cet. v. Hb. Menthae piper. p. 136.), plantae perennis indigenae, in pascuis, pratis humidis, depressis passimque siccioribus crescentis, caule procumbente radicante, postremo adscendente, ramosissimo, breviter piloso, rubescente, Folia parva, brevius et longius petiolata, ovalia, vel subrotunda, obsolete serrata, passim integerrima, subtus punctata, ad nervos plus minus pilosa, cum Floribus verticillatis, verticillos speciosos, globosos, densissimos, bracteis quatuor petiolatis, obovatis, apicem versus serratis, reflexis, suffultis, exhibentibus; calyce post inflorescentiam villis clauso, corolla pallide violaceo-rubella, vel albida, lobis omnibus integris, colligenda; odore fragrante, maxime aromatico-menthaceo, sapore aromatico, pungente, subadstringente, amariusculo, frigoris sensum in ore relinquente. Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati colore obscure viridi praecipitatur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium adstringens. — *Vis:* excitans, nervina, emmenagoga. — *Usus:* In infuso, interne et externe pro balneis cet. ut Hb. Menthae piperitae. — *Praep.:* Aqua, Oleum aethereum, Spiritus, Essentia, aliis quoque additur compositionibus. Planta efficacissima hodie nimis neglecta. — Cave confundas cum Herba Menthae equinae (p. 136.).

* HERBA PULEGII CERVINI. Hirschmünzenkraut. *Herbe de Pouliot au Cerf.* — *Menthae cervinae* L., plantae perennis Galliae meridionalis, praecedenti similis, Folia parva, lanceolata, subintegerrima, glabriuscula, punctata, foliorum Satureiae (p. 151.), similia, cum Summitatibus florentibus, praecedentium similibus, sed bracteis palmatis, et floribus pallide violaceo-rubellis, colligenda; odore fragrante, grato menthaceo et sapore aromatico, pungente. — Apud nos non adhibetur.

HERBA PULICARIAE, Conyzae Pulicariae, Flohkraut, Floh-Alant. *Herbe de Pulicaire.* — *Inulae Pulicariae* L. (Fl. Bad. III. 460. — Cl. cet. v. Hb. Conyzae mediae p. 112.), plantae annuae locis humidis, ad vias, cet. passim frequentis, caule erecto vel adscendente, ramosissimo, pubescente, floribus (calathiis) terminalibus, numerosis, parvis, sordide flavis, radio brevissimo, Folia parva oblonga, semi-amplexicaulia. margine undulata, denticulata, villosula, subhirsuta; odore forti, ingrato. — Olim ut antidysentericum cet. adhibebatur. — Hodie exolevit.

HERBA PULMONARIAE, Pulmonariae maculatae, Symphyti maculosi. Gemeines oder geflecktes Lungenkraut. *Herbe de grand Pulmonaire.* — *Pulmonariae officinalis* L. (Fl. Bad. I. 423. — Cl. cet. v. Hb. Borraginis p. 100.), plantae perennis, indigenae, nemorosae, caulibus erectis, simpliciusculis vel subramosis, hirsutis, foliis ovato-oblongis sessilibus obsessis, floribus terminalibus corymboso-racemosis, secundis, speciosis, primo purpureis, postremo coeruleis, fauce corollae pervia, barbata, Folia radicalia majuscula, longe petiolata, cordata, petiolo superne alato, pilis brevibus hirsuta, superne saturate viridia et saepius maculis albidis picta, subtus pallide viridia, siccata pallidiora, subtus albida, magis hirsuta, subpungentia; inodora, sapore herbaceo, submucilaginoso, subadstringente. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore viridi imbuitur. *Part. const. praev.:* Principium adstringens et Mucilago. *Vis:* pectoralis, vulneraria. — *Usus:* In pulvere, decocto — *Praep.:* Succus. — Hodie, forsitan immerito, perraro adhibetur. Cave confundas cum foliis radicalibus Pulmonariae angustifoliae L. et P. mollis Wolf., quae oblongo-lanceolata, prioris hirsutiora, posterioris molliora, et Herba Pulmonariae Gallorum deinceps describenda.

HERBA PULMONARIAE GALLORUM, seu Auriculae muris majoris. Französisches Lungenkraut, großes Mausöhrlein, Mauer-Habichtskraut *Herbe de Pulmonaire de François, d'Epervière des murailles.* — *Hieracii murorum* L. (Fl. Bad. III. 320. — Cl. cet. v. Hb. Auriculae muris p. 96.), plantae speciosae perennis, ad muros, vias cet. vulgaris, caule erecto, superne paullum ramoso, oligophyllo, subnudo, vel folioso, paucifloro, floribus majusculis flavis, Folia radicalia longe petiolata, sub-cordata, vel ovato-lanceolata, praecipue ad basin plus minus remote et inaequaliter dentata, villosa, subaspera, vel glabriuscula, superne laete viridia, subtus pallidiora, saepius fusco-rubro maculata; inodora, sapore herbaceo, subadstringente, amariusculo. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore intense obscure viridi praecipitatur. — *Vis:* tonica (?) — Planta pro loco natali maxime polymorpha, caule plus minus ramoso, folioso et floribus, foliis glaucescentibus, magis hirsutis cet. et sub pluribus nominibus occurrit. — Apud nos non adhibetur.

† HERBA PULSATILLAE, Pulsatillae nigricantis seu minoris. Wiesen-Küchenschelle, schwarze Küchenschelle. *Herbe d'Anemone de prés, de Pulsatille noire.* — *Anemones pratensis* L. (Fl. Bad. IV. 411. — Cl. cet. v. Hb. Flammulae Jovis p. 118.), plantae perennis, Germaniae borealis, apud nos rarissimae, in graminosis siccis arenosis, montosis, pedunculo radicali villoso, unifloro, involucrato, involucro 3-phyllo, foliolis laciniatis villosis, post floris evolutionem sensim remotiore, flore praecoce, specioso, nutante, campanulato, perigonio 6-phyllo, apicibus reflexo, atro-violaceo-fusco, externe villoso, caryopsidibus caudatis, plumosis, Folia radicalia, statim post inflorescentiam colligenda,

petiolata, bipinnatifida, pinnis multipartitis, laciniis angustis linearibus, subfalcatis, villoso hirsuta; fere inodora, trita autem vapores acerrimos pungentes edentia, sapore acerrimo mordaci, corrodente. — *Part. const. praev.:* Principium acri-volatile oleo-aethereum et camphorinum (Anemonium), aëris aditu facile destructibile, hinc inter siccandum herba omnem fere acrimoniam amittit. — *Vis:* maxime irritans, vellicans. — *Usus:* In substantia; herba recens praecipue adhibenda, in infuso cet. — *Praep.:* Succus, Aqua, Extractum, Tinctura. — Herba omnis acrimoniae expers rejiciatur. — Apud nos ejus loco praecipue sumitur

† HERBA PULSATILLAE VULGARIS, seu majoris. Gemeine, große Küchenschelle, Pulsatillwindblumen-, Osterblumen-Kraut. *Herbe de Coquelourde.* — *Anemones Pulsatillae* L. (Fl. Bad. II. 508.), plantae perennis locis clivosis, siccis, lapidosis, silvaticis cet. passim frequentis, praecedenti simillimae, sed floribus majoribus, erectis vel subnutantibus, campanulatis, patentibus, apicibus non reflexis, pallidioribus, violaceo-rubris vel rubellis, Folia praecedentium simillima, sed minus villoso-hirsuta, laciniis angustioribus, linearibus, erectis. — Ceterum iisdem virtutibus praedita.

HERBA PYROLAE, Limonii Cordi. Wintergrün, Wald- oder Holz Mangold. *Herbe de Pyrole majeure.* — *Pyrolae rotundifoliae* L. (Fl. Bad. II. 209. — Cl. cet. v. sequens), plantae perennis silvaticae, scapo nudo erecto, floribus terminalibus racemosis, albidis, corolla patente, staminibus styloque declinato-adscendentibus, corolla duplo longioribus, Folia radicalia in orbem congesta, longe petiolata, subrotunda, plana, subcrenulata, glabra, nitentia, firmiuscula; inodora, sapore acerbo, amaro. — Olim contra diarrhoeam, ut vulnerarium adhibebatur. — Hodie obsoleta.

HERBA seu FOLIA PYROLAE UMBELLATAE L. (Chimophilae umbellatae Nutt.) Doldenblüthiges Wintergrün. *Herbe de Pyrole ombellée.* Fl Bad. II. 211.) E cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Ericearum, fruticuli elegantis sempervirentis Europae, Asiae et Americae borealis passimque Germaniae, in pinetis sabulosis, radice filiformi repente, caule adscendente tenui, non admodum ramoso, fusco, lignoso, Folia sparsa, lanceolato-cuneiformia, remote serrata, margine subrevoluta, glabra, superne saturate viridia, subtus pallidiora, coriacea, cum floribus terminalibus in umbellam pauciflioram, apice deflexam, congestis, amoene rubellis, itemque radice et caule, unde tota planta colligenda; inodora, sapore dulciusculo, irritante, post amariusculo. In usum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore fusco viridi turbatur. — *Part. const. praev.:* Principium proprium extractivum et adstringens. — *Vis:* diuretica, febrifuga, mundificans. — *Usus:* In pulvere, infuso, decocto. — *Praep.:* Extractum, Tinctura. — Planta recentiori tempore contra hydropem cet. maxime laudabatur. — Eundem in finem

HERBA PYROLAE MACULATAE L. Chimophilae maculatae Pursh. Geflecktes Wintergrün. *Herbe de Pyrole tachetée,* — fruticuli Americae borealis, praecedenti simillimi, Folia lanceolata, acuta, albo-maculata, cum reliquis plantae partibus adhibeatur.

HERBA QUAMOCLIT. Federwindekraut. *Herbe de Quamoclit,* — *Convolvuli Quamoclit* Spr. (*Ipomeae Quamoclit* L. — Cl. cet. v. Hb. Convolvuli p. 111.), plantae annuae volubilis utriusque Indiae, floribus sclaratinis, Folia pinnata, lineari-angustissima, glaberrima. — Hodie obsoleta.

† HERBA RANUNCULI ACRIS L., Ranunculi pratensis. Scharfer Hahnenfuß, gemeiner Wiesenranunkel, kleines Schmalzblumen Kraut *Herbe de Renoncule acre.* — (Fl. Bad. II. 548. — Cl. cet. sequentis), plantae perennis in pratis cet. vulgatissimae, caule erecto subgracili, ramoso, striato, plus minus pilis adpressis piloso, multifloro, floribus terminalibus solitariis, mediocribus, luteis, calyce patente, pedunculis filiformibus, teretibus, caryopsidibus nudis, Folia radicalia et caulina inferiora petiolata, palmato-sub-5-partita, multifida, incisa, plus minus villosula, cum floribus colligenda; inodora, sapore acri-mordicante. — *Vis:* acris, vesicans, venenata. — Herba recens ut irritans, vesicans, externe adhiberi potest. — Hodie vix usurpatur.

HERBA RANUNCULI ALBI, Weißer Waldhahnenfuß. *Herbe d'Anemone sauvage.* — *Anemones nemorosae* L. (v. Flor. p. 70.), Folia radicalia longe petiolata, ternata, palmata, foliolis lanceolatis 5-fidis, inciso-dentatis, caulina (involucra) similia brevius petiolata, omnia glabra, vel subpubescentia; inodora, trita autem vapores acerrimos, pungentes, spargentia, sapore acerrimo mordicante. — *Part. const. praev.* — *Vis* et *Usus:* Ut Florum.

† HERBA RANUNCULI AQUATILIS L. Wasserhahnenfuß, Wasserhähnlein *Herbe de Renoncule aquatique.* (Fl. Bad. II. 554.). Planta perennis, aquatica, vulgaris, foliis submersis capillaceis, emersis subpeltatis, subreniformibus, orbiculato-lobatis, floribus solitariis albis (Variat magnopere pro loco natali; in aquis stagnantibus folia omnia saepius sunt capillacea, laciniis divergentibus, in rivulis fluviisque foliis gaudet capillaceis dichotomis, longissimis), tota colligenda. — Acris est planta ut fere omnes Ranunculi. — Hodie obsoleta.

† HERBA RANUNCULI ARVENSIS L. Acker-Hahnenfuß, Stachelranunkel *Herbe de Renoncule des Champs.* — (Fl. Bad. II. 551.), plantae annuae inter segetes passim frequentis, habitu fere Ranunculi acris, sed floribus minoribus et caryopsidibus majoribus, compressis, sublanatis, aculeato-echinatis, Folia decomposita, radicalia et caulina inferiora petiolata, laciniis angustis, lineari-lanceolatis, glabriuscula e flavescente-viridia; sapore acerrimo

† HERBA RANUNCULI BULBOSI L. Knolliger Hahnenfuß. *Herbe de Renoncule bulbeux.* — (v. Bulbi p. 28.), plantae habitu Ranunculi acris, sed caule magis piloso, pilis pubescentibus, pedunculis

sulcatis et calycibus reflexis, Folia radicalia petiolata, palmata, ternata, foliolis sub-3-fidis, dentato-serratis, hirsuta; acerrima.

HERBA cum FLORIBUS RANUNCULI DULCIS seu MITIS. Kriechender oder milder Hahnenfuß oder Ranunkel *Herbe de Renoncule rampante.* — *Ranunculi repentis* L. (Fl. Bad. II. 546.), plantae perennis in pratis, oleraceis cet. vulgatissimae, habitu praecedentis, sed radice fibrosa, sarmentis repentibus et radicantibus, caule glabriusculo, plerumque diffuso. Folia radicalia et caulina inferiora petiolata, composita, glabra, vel paullum villosa, saturate viridia, cum floribus luteis, calyce patente, non reflexo, et pedunculo sulcato, colligenda; sapore miti herbaceo vix acriusculo. — Hodie omnes exoleverunt.

+ HERBA RANUNCULI FLAMMEI MAJORIS. Großer Sumpfhahnenfuß oder Ranunkel *Herbe de Renoncule langue, Herbe de grande Douwe.* — *Ranunculi Linguae* L. (Fl. Bad. II. 535.), plantae perennis palustris, omnium Ranunculorum indigenorum maximae, caule erecto subsimplici, vel ramoso, crassiusculo, subpiloso, cavo, floribus terminalibus solitariis, speciosis, luteis, splendentibus, Folia magna sessilia lanceolata, subensiformia, subdenticulata, glabra, firmiuscula; sapore acerrimo, caustico. — Apud nos non adhibetur.

† HERBA RANUNCULI PALUSTRIS, seu AQUATICI, Herba Sardoae. Gifthahnenfuß, böser Ranunkel, Froscheppich, Feigblättereppich *Herbe de Renoncule des marais.* — *Ranunculi scelerati* L. (Fl. Bad. II. 539.), plantae annuae, in pratis paludosis, turfosis, aquis stagnantibus passim frequentis, radice verticillatim fasciculata, fibrosa, caule erecto, crassiusculo, ramoso, glabro, fistuloso, floribus terminalibus, solitariis, parvis, flavis, caryopsidibus confertis nudis, post inflorescentiam in spicam cylindrico-conicam elongatis, Folia radicalia et caulina inferiora petiolata, 5 loba et 3-loba, lobis 3-fidis, obtuse dentatis, caulina 3-partita, laciniis linearibus inciso-dentatis et integris, omnia glabra, nitentia; inodora, trita autem vapores acerrimos noxios emittentia, sapore acerrimo, caustico. — *Part. const. praev.:* (ut fere omnium Ranunculorum praecedentium) Principium acre volatile, facile destructibile, Anemonio (p. 147.) simile. — *Vis:* caustica, inflammans, vesicans, interne maxime toxica. — *Usus:* externe ut herba recens, vesicans. — Succus expressus interne cautissime, multa aqua dilutus. Hodie vix adhibetur.

Praeter has descriptas et aliae Ranunculi species indigenae similibus gaudent virtutibus ut Ranunculus polyanthemos L., R. Thora L., R. aconitifolius L. cet., quas eodemque modo adhibere licet.

Plantae hae, plus minus medicorum attentione dignae.

HERBA RESEDAE ODORATAE L. Wohlriechende oder Garten-Resede *Herbe de Resede odorifère.* — (Fl. Bad. II. 319. — Cl. cet. v. Hb. Luteolae p. 130f), plantae annuae Africae borealis, nobis hortensis, Folia integra, lanceolata, obtusa et 3-loba, subundulata, glabra, cum floribus terminalibus, spicato-racemosis, pallide flavescentibus antherisque rufis, colligenda; odore suavissimo, sapore amariusculo, subaromatico. — Hodie obsoleta.

HERBA RESEDAE VULGARIS. Gemeine oder gelbe Resede, gelber Wau *Herbe de Maure, de Resede jaune.* — *Resedae luteae* L. (Fl. III. 318.), plantae annuae et biennis, indigenae, in agris, ad ruderata, vias cet. vulgaris, praecedenti similis, Folia inferiora pinnatifida, superiora 3-fida, undulata, glabra, cum Floribus laxe racemoso-spicatis, sulphureis, colligenda; inodora, subadstringentia. — Hodie obsoleta.

HERBA RORELLAE, Roris Solis. Sonnenthau *Herbe de Rossolis.* — *Droserae rotundifoliae* L. (Fl. Bad. I. 761), e cl. Pentandria, ord. Pentagynia, fam. Droseracearum, plantae annuae parvae, locis turfosis, paludosis passim frequentis, scapo erecto, nudo, fusco, floribus terminalibus racemoso-spicatis, secundis, parvis, albidis, Folia radicalia in rosulam congesta, orbicularia, margine et disco superne pilis longis, rubellis, glandulosis, apice guttula hyalina, quasi rore, obsessa, subtus nudiuscula, in petiolum longum, pilosum, attenuata; inodora, sapore acri-amariusculo, subadstringente. — *Vis:* acris, vesicans (?), toxica (?). — *Usus:* Olim interne contra phthisin, hydropem, epilepsiam, externe Succus ad delendas verrucas. Hodie obsoleta. — Hoc nomine etiam Drosera longifolia L. et Drosera anglica HUDS., plantae praecedenti simillimae, iisdem passim locis occurentes, sed foliis spathulatis, sumuntur.

HERBA RUTAE. Rauten-Kraut. *Herbe de Rue.*

Synon.: Herba Rutae hortensis seu vulgaris. Gartenrauten- oder Weinrauten-Kraut.

Rutae graveolentis L. (Fl. Bad. II 198.), e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Rutacearum, suffruticis Europae australis, Asiae et Africae borealis passimque Germaniae, quae frequenter colitur, caule glabro, inferne lignoso, superne herbaceo, pruinoso, floribus terminalibus, corymbosis, luteis, centrali primario praecoce 5-petalo et decandro, lateralibus 4-petalis et 8-andris, Folia mediocria longius petiolata, decomposito-bipinnata, pinnis inaequalibus, ad basin majoribus, apicem versus decrescentibus, pinnulis integris, vel pinnatifidis, laciniis ovatis obtusis, foliolo terminali latiore, obovato-cuneiformi, omnibus antice subtilissime crenulatis, in tenera aetate laete viridia, in provectiore superne obscure viridia, subtus pallidiora, punctata, utrinque opaca, glaucescentia, cras-

siuscula; odore forti nauseoso-aromatico, siccata obscure canescenti-viridia, odore gratiore aromatico, subrósaceo, sapore peramaro, aromatico, pungente. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium extractivum amarum. — *Vis:* excitans, nervina, stomachica, anthelmintica, antihysteriea.

Sit herba siccata viridis, stipitibus expers, fragrans; flavescens autem vel fusca, fere inodora, rejiciatur. Cave confundas cum Herba Rutae murariae, deinceps describenda.

Usus: Herba recens passim interne praescribitur, siccata in pulvere raro, in infuso, et externe. — *Praep.:* Succus expressus, Aqua, Oleum aethereum et coctum, Acetum; Extractum. Olim Conserva, Mel, Spiritus, Essentia et Sal.) Additur aliis quoque compositionibus.

HERBA RUTAE MURARIAE, Adianthi albi, Paronichiae MATH. Mauerraute, Mauerstrichbarn, weißes Frauenhaar. *Herbe de Rue de murailles.* — *Asplenium Ruta muraria* L. (Cl. cet. v. Hb. Capillorum Veneris p. 103.). Filix exiguus, muris, rupium fissuris adhaerens, radice fibrillosa, stipite tenui, glabro, viridi, fronde praecedentis herbae simili, inferne duplicato-pinnata, apice pinnata, foliolis rhomboideis, vel obovatis, antice denticulatis, superne saturate viridi, subtus soris linearibus, primum albidis, post fusci, confertissimis, tecta; inodora, sapore amariusculo, subadstringente. — Olim ut pectorale adhibebatur. — Hodie exolevit.

HERBA SABBATIAE ANGULARIS PURSH. (Chironiae L.) Eckiges Sabbatien- oder Chironien-Kraut. (Cl. cet. v. Hb. Centaurii minoris p. 105.), plantae Americae borealis, Erythraeae Centaurii (l. c.) simili, caule erecto, 4-gono-subalato, Folia ovato-oblonga, amplexicaulia, cum Summitatibus florentibus, corymbos confertos ex floribus purpurascentibus exhibentibus colligenda; odore subaromatico et sapore peramaro. — In America uti Hb. Centaurii minoris adhibetur.

† HERBA, SUMMITATES seu FOLIA SABINAE. Sevenbaum-Kraut. *Herbe de Sabinier.*

Synon.: Herba Savinae vulgaris, Juniperi tamariscifoliae, Sadebaum-, Stink-Wachholder-Kraut.

Juniperi Sabinae L. (Fl. Bad. III. 769. — Cl. cet. v. Bacc. Juniperi p. 15.), fruticis Europae australis et Orientis passimque Germaniae, nobis cultae, ramis diffusis, curvatis, adscendentibus, Folia minuta, acerosa, quadrifariam imbricata, arcte adpressa, decurrentia, obtusa, dorso depresso, vel plus minus patula, longiora, acuta, sed non pungentia, saturate viridia et glaucescentia, cum ramulis junioribus, quibus insident, colligenda; siccata magis flavescente-viridia et folia patula subpungentia; odore gravi nauseoso, juniperino et cuminino, diu adhaerente, sapore nauseoso, resinoso-balsamico, amaro. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium adstringens. — *Vis:* incitans, sanguinem movens, emmenagoga, facile abortiva, violenta, toxica.

Sit herba siccata viridis, maxime odorata; fuscescens autem vel pallida, paullum odorata, rejicienda. — Cave confundas cum Herba Juniperi virginianae, vel communis (p.127.) et Lycopodio complanato quod pallidius, mollius, inodorum et insipidum est.

Usus: In pulvere, electuario, infuso, decocto, interne in exigua dosi cautissime, et externe. — *Praep.:* Oleum aethereum, Aqua, Spiritus, Tinctura, Conserva, Unguentum, Extractum (inepte). — Additur aliis quoque compositionibus.

HERBA SALICORNIAE. Glaskraut, krautartiger Glasschmelz. *Herbe de Salicorne herbacée.* — *Salicornia herbacea* L., e cl. Monandria, ord. Monogynia, fam. Chenopodiearum, Planta annua littoralis ad scaturigines salsas passim occurrens, caule erecto, vel prostrato, glabro, succulento, ramoso, articulato, aphyllo, ramis oppositis, patentibus et divaricatis, caule angulosis, geniculis compressis, superne incrassatis, emarginatis, fuscescenti viridibus, floribus minutis oppositis, spicatis, flavis, spicis apicem versus attenuatis, tota colligenda; inodora, sapore salso, irritante. — *Part. const. praev.:* Salia natronata. Herba recens ut antiscorbuticum et ad acetaria passim adhibetur. — Praecipue ad parandam Sodam usurpatur.

HERBA SALSOLAE, Kali majoris, Vitri. Soda-Salzkraut, langblätteriges Salzkraut *Herbe de Soude commune.* — *Salsola Soda* L. (Cl. cet. v. Hb. Betae p. 99.), Planta perennis littoralis, caule divaricato-ramoso, glabro, foliis praelongis, 3-quetro-teretiusculis, submucronatis, carnosis, glabris, floribus axillaribus parvis, apetalis, calycibus fructiferis, turbinatis, appendiculatis; tota colligenda. — Similibus gaudet virtutibus ac praecedens, eodemque modo adhibetur. — Ad parandam Sodam aliae quoque Salsolae species adhibentur, e. gr. Salsola Kali L. et Salsola sativa L., quae optimam praebent Sodam, nomine Barille notam.

HERBA SALVIAE. Salbey. *Herbe de Sauge.*

Synon.: Herba seu Folia Salviae hortensis, sive minoris. Gemeine oder Garten-Salbey, Edel-Salbey.

Salviae officinalis L. (Fl. Bad. IV. 15. — Cl. cet. v. Hb. Anthos p. 94.), suffruticis Europae australis, nobis hortensis (Flores v. p. 71.), Folia petiolata, oblonga, integra, crenulata, rugosa, villosa, firmiuscula. Distinguuntur: Herba Salviae latifoliae, breitblätterige Salbey, quae lata, ovato-oblonga, obtusa, ad basin saepius appendiculata, minus villosa; et Herba Salviae angustifoliae, schmalblätterige Salbey, quae angustiora, ovato-lanceolata, vel lanceolata, acutiuscula, magis villosa, incana. Odor Salviae fortis balsamico-aromaticus, sapor aromaticus, amariusculo-adstringens. — Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore nigro-viridi imbuitur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium extractivum amarum et adstringens. — *Vis:* incitans, nervina, roborans, adstringens.

Sit herba siccata incano-viridis, vel albicans, neque vero fusca; sit porro stipitum expers, fragrans. Herba vetusta, ab insectis corrosa, vel multis stipitibus intermixta, rejiciatur. — Cave confundas cum Herba Hormini pratensis (p. 124.).

Usus: In pulvere, infuso, interne et externe. — *Praep.:* Aqua, Oleum, Conserva, Extractum, Sal. Multis aliis quoque additur compositionibus.

HERBA SALVIAE SILVESTRIS, seu **AGRESTIS**, Scorodoniae. Wald-Salbey, wilder Gamander, falsches Scordienkraut. *Herbe de Sauge sauvage, de Scordium faux.* — *Teucrii Scorodoniae* L. (Fl. Bad. II. 577. — Cl. cet. v. Hb. Chamaedryos p. 106.), plantae perennis speciosae, in dumetis, ericetis cet. passim frequentis, caule erecto, ramoso, villoso, floribus racemosis secundis, ochroleucis, staminibus rubris, Folia speciosa petiolata, cordato-oblonga, crenata, plus minus breviter villosa, saturate viridia; odore ingrato-aromatico, alliaceo, sapore peramaro, subaromatico-adstringente. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore atro-viridi turbatur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium amarum et adstringens Olim ut tonicum, incitans, emmenagogum et vulnerarium adhibebatur. — Hodie (immerito) exolevit.

HERBA SAMOLI. Samoskraut, Valerands-Pungen *Herbe de Samole valerande.* — *Samoli Valerandi* L. (Fl. Bad. I. 486. — Cl. cet. v. Hb. Lysimachiae p. 130.), plantae biennis uliginosae et littoralis, caule erecto simpliciusculo vel ramoso, glabro, floribus terminalibus racemosis, parvis, albidis, Folia radicalia in orbem congesta, obovata, integerrima, in petiolum decurrentia, glaberrima, laete viridia; inodora, sapore amaro. — Hodie obsoleta.

HERBA SANGUINARIAE MINORIS, seu **PARONYCHIAE**. Glänzendes Knorpelblumen-Kraut. *Herbe de Paronique argentée.* — *Paronychiae hispanicae* Dec. (Illecebri Paronychiae L.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Paronychiearum, plantae annuae Europae australis, caule procumbente ramoso, Folia oblonga, utrinque attenuata, cum stipulis et bracteis magnis, scariosis, lanceolatis, basi latis, elongatis, et floribus terminalibus parvis, albidis, in capitulos congestis, bracteis obvolutis, colligenda. — Apud nos non adhibetur.

HERBA SANICULAE, Diapensiae. Sanikel, Bruchkraut, Heil aller Schäden. *Herbe de Sanicle.* — *Saniculae europaeae* L. (Fl. Bad. I. 605. — Cl. cet. v. Hb. Cicutae p. 108.), plantae perennis nemorosae, caule erecto simplici, vel subramoso, glabro, sulcato, umbellis terminalibus 3-5-radiatis, umbellulis subcapitatis, floribus rubellis polygamis, fructibus solidis ecostatis, hamato-setosis, Folia radicalia speciosa, longe petiolata, reniformi-palmata, profunde 5-loba, lobis latis cuneiformibus, 3-fidis, muricato-serrata, saturate viridia; siccata obscure griseo-viridia; fere inodora, sapore amariusculo, acerbo, subacri. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope obscure viride coloratur. — *Vis:* resolvens, subadstringens, vulneraria. — *Usus:* In pulvere, infuso. — Nonnullis quoque adhibetur compositionibus. — Hodie non nisi in arte veterinaria passim praescribitur.

HERBA seu SUMMITATES SANTOLINAE, Abrotani foeminei seu montani. Heiligenpflanzen-, Garten-Cypressen-Kraut *Herbe d'Aurone femelle, de Garderobe.* — *Santolinae Chamaecyparissi* L. (Cl. cet. v. Hb. Balsamitae p. 97.), fruticuli sempervirentis Europae australis, nobis hortensis, ramis junioribus tomentosis, Folia parva, passim fasciculata, petiolata, angusta, lineari-cuneiformia, quadrifariam obtuse dentata, apice ciliata, incana, vel saturate viridia, glabra, cum floribus (calathiis) solitariis longius petiolatis, capitulos speciosos, subglobosos, ochroleucos, exhibentibus, colligenda; odore fragrante, grate aromatico, sapore aromatico-amaro. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium amarum. — *Vis:* nervina, stomachica, anthelmintica. — *Usus:* In pulvere, infuso. — Hodie apud nos vix adhibetur — uti et

HERBA SANTOLINAE FRAGRANTISSIMAE Forsk. Starkriechendes Heiligenpflanzen-Kraut *Herbe de Santoline d'une odeur penetrante*, - suffruticis Orientis, Folia lanceolata, crenulata, cum floribus (calathiis) flavescentibus in corymbos compositos digestis, colligenda, — quae in patria externe ad discutiendos tumores, et Succus ejus expressus in ophthalmia chronica applicatur.

HERBA SAPONARIAE. Seifenkraut, Waschkraut. *Herbe de Saponaire.* — *Saponariae officinalis* L. (v. Radix), caule erecto ramoso, glabro, ramis brachiatis, floribus speciosis, terminalibus, fasciculato-corymbosis, rubellis, caryophylleis, Folia opposita subsessilia, subconnata, ovato-lanceolata, 3-nervia, glabra, firmiuscula; siccata pallide viridia; inodora, sapore irritante, gutturali. — *Part. const. praev.* et *Vis:* ut radicis. — *Usus:* idem, sed raro adhibetur. — Cave confundas cum foliis Lychnidis dioicae, quae latiora et pilosa sunt.

HERBA SATUREIAE SATIVAE seu hortensis, Cunilae sativae. Saturei, Bohnenkraut, Wurstkraut, gemeines Pfefferkraut, wilder Ysop. *Herbe de Sarriette des jardins.* — *Satureia hortensis* L. (Fl. Bad. II. 585. — Cl. cet. v. Hb. Hyssopi p. 126.), planta annua Europae australis et Orientis, nobis hortensis, caule erecto, brachiato, ramosissimo, deorsum brevissime piloso, floribus axillaribus solitariis vel laxe cymosis, parvis, pallide violaceis vel rubellis, Folia parva, angusta, lineari-lanceolata, in petiolum brevem attenuata, integerrima, pilis raris retrorsum spectantibus, articulatis obsessa, subciliata, subtus punctata, crassiuscula, cum Summitatibus florentibus colligenda; odore fragrante grate aromatico, sapore aromatico pungente. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore obscure viridi turbatur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium adstringens. — *Vis:* excitans, pectoralis (?) — *Usus:* In infuso. — *Praep.:* olim Oleum, Aqua, Tinctura. — Hodie raro ut medicamentum usurpatur.

HERBA SATUREIAE CAPITATAE idem quod Herba Thymi cretici (p. 158.).

HERBA SAXIFRAGIAE ALBAE. Weißes Steinbrech-Kraut, Hunesgre-entraut, Keilkraut. *Herbe de Saxifrage.* — *Saxifragae albae* L. (v. Flor. p. 71.) Folia radicalia et caulina inferiora longe petiolata, reniformia, lobato-crenata, villoso-hirsuta; inodora, sapore herbaceo, acidulo. — Hodie obsoleta.

HERBA SCABIOSAE. Scabiosen- oder Apostem-Kraut. *Herbe de Scabieuse.* — *Scabiosae arvensis* L. (*Tricherae arvensis* Roem. et Schult. — Fl. Bad. I. 321.), e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Dipsacearum, plantae perennis speciosae, in pratis siccis, ad vias, agrorum margines, passim frequentis, caule erecto simplici, vel paullum ramoso, pilis deorsum directis, hirsuto, inferne tuberculis rubro-fuscis plus minus obsesso, floribus terminalibus violaceo-rubellis in capitulum speciosum planiusculum aggregatis, flosculis exterioribus plerumque radiantibus, Folia radicalia et caulina inferiora oblongo-lanceolata, integra plus minus uti et caulina superiora inciso-pinnatifida, hirsuta, pallide-viridia; inodora, sapore amariusculo, subadstringente. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore obscure viridi imbuitur. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum adstringens et amarum. — *Vis:* pectoralis, antipsorica, vulneraria. — *Usus:* In decocto. — *Praep.:* Succus, Aqua. — Hodie vix adhibetur. — Cave confundas cum Herba Centaureae Scabiosae, quae magis incisa et pinnatifida et subbipinnatifida, minus autem hirsuta et sapore amariore, subsalso praedita est.

HERBA SCANDICIS ITALICAE. Südlicher Nadelkörbel, Italiener Körbel *Herbe de Cerfeuil italien.* — *Scandicis australis* L. (Cl. cet. v. Hb. Pectinis Veneris p. 141.), plantae Europae australis et Asiae minoris, Folia decomposita, foliolis inferioribus linearibus, incisis, superioribus fasciculatis, filiformibus; odore ac sapore grate aromatico. — Apud nos non adhibetur.

HERBA SCHOENANTHI, Squinanthi, Junci odorati, Foeni Camelorum seu Graminis orientalis. Kameel-Heu oder Stroh, wohlriechende Binse. *Herbe de Jonc odorant.* — *Andropogon Schoenanthus* L. (*Cymbopogon Schoenanthus* Spr. — Cl. cet. v. Hb. Graminis p. 122.), Gramen perenne Indiae orientalis et Arabiae. - Advehitur siccatum in fasciculis, culmos stramineos, spithameos cum foliis latis rigidis pungentibus obsessos, passimque paniculis ferrugineis ex spiculis aggregatis, basi lanatis et

rachi incano-tomentosa, intermixtos, exhibentibus; odore suavissimo aromatico et sapore acri-aromatico, amariusculo. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium extractivum amarum. — *Vis:* excitans stomachica. — *Usus:* In Oriente in infuso cet. — *Praep.:* Oleum aethereum. — Apud nos exolevit.

HERBA SCOLOPENDRII, Linguae cervinae, Lonchitidis, Phyllitidis. Hirschzungen. *Langue de Cerf.* — *Scolopendrium officinarum* W. (*Asplenium Scolopendrium* L. — Cl. cet. v. Hb. Capillorum Veneris p. 103.). Filicis perennis Europae mediae passimque Germaniae, in silvis montosis, rupibus obviae, Frons speciosa, stipitata, simplex, late lineari-lanceolata, vel linguiformis, cordata, laete viridis, subtus soris linearibus, oblique parallelis, primo indusio albido tectis, post nudis, fuscis praedita; inodora, trita autem odorem nauseoso-oleosum emittens, sapore subdulci, adstringente, herbaceo. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore ob cure viridi-fusco imbuitur. — Hodie exolevit.

HERBA SCORDII, **Scordii nostratis**, **Chamaedryos aquaticae**. Lachen-Knoblauch, Knoblauch-Gamander-Kraut. *Herbe de Germandrée d'eau.* — *Teucrii Scordii* L. (Fl. Bad. II. 579. — Cl. cet. v. Hb. Chamaedryos p. 105.), plantae perennis indigenae, in pratis paludosis passim, Teucrii Chamaedryos (v. supra) similis, sed radice repente, articulato, caule graciliore adscendente, flavescente-piloso, Folia sessilia oblonga, foliis Chamaedryos paullo longiora et angustiora, utrinque plus minus tenerrime villosa, grosse serrata, subrugosa, opaca vel subincana, tenuiora, cum Summitatibus caulium tenuibus floribusque axillaribus binis, ternis, brevissime pedunculatis, albide rubellis, pilosis, colligenda; odore forti aromatico, alliaceo, sapore aromatico, subsalso, post peramaro. Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati ope colore atro viridi imbuitur. Herba celeriter siccanda et in vasis optime clausis loco sicco asservanda. — *Vis:* resolvens, nervina, tonica, diaphoretica, pectoralis, anthelmintica, antigangraenosa. — *Usus:* In pulvere, infuso. — *Praep.:* Extractum, Essentiae variae, Aqua, Acetum, Syrupus, Conserva, Electuarium, Sal. — Hodie perraro praescribitur. — Herba fusca, mucida, ab insectis corrosa, vel stipitibus rigidis nimis intermixta, fere inodora, rejiciatur. — Cave confundas cum Herba Salviae silvestris (p. 150.) et Herba Chamaedryos (p. 105.). — Nomine

HERBAE SCORDII CRETICI. Kreti oder Lachenknoblauch. *Herbe de Scordium de Crète*, olim ex Oriente planta siccata advehebatur, odorata, allium redolens, saporis amaricantis, — quae hodie exolevit.

HERBA SCORODONIAE AMERICANAE. Knoblauchstrauch-Kraut *Herbe de Petivere alliacée.* — *Petiveriae alliaceae* L., e cl. Heptandria, ord. Monogynia, fam. Phytolaccearum, fruticis Indiae occidentalis, floribus terminalibus minutis, albis, in spicas laxas, filiformes, digestis, Folia speciosa, ovato lanceolata, integerrima, glabra vel villosula; odore alliaceo. — Ut febrifugum in patria usurpatur. — Apud nos nondum adhibetur.

HERBA SCORODOTHLASPEOS. Knoblauch-Täschel-Kraut *Herbe de Thlaspe à odeur d'Ail.* — *Thlaspeos alliacei* L. (Cl. cet. v. Hb. Bursae pastoris p. 101.), plantae annuae Europae mediae et australis passimque Germaniae, caule erecto gracili, floribus racemosis minutis, albis et siliculis parvis, subovatis, ventricosis, retusis, Folia radicalia longe petiolata, spathulata, repanda, vel sublyrata, caulina sessilia, sagittata, obtusa, omnia glabra; odore alliaceo, sapore acri, haud ingrato. — Apud nos non adhibetur.

HERBA SCROPHULARIAE, Scrophulariae vulgaris. Braunwurzel oder Kropfwurzel-Kraut. *Herbe de Scrophulaire noueuse.* — *Scrophulariae nodosae* L. (Fl. Bad. II. 698. — Cl. cet. v. Hb. Digitalis p. 114.), plantae perennis speciosae, locis humidis, ad fossas, vias cet. vulgaris, caule erecto tetragono, ramoso, glabro vel pilosulo, floribus terminalibus, dichotomo-racemoso-paniculatis, parvis, viridescentibus, apice fuscis, Folia speciosa, petiolata, cordata vel cordato-ovata, subduplicato-serrata, glabra, saturate viridia, subtus pallidiora, nervosa, reticulato-venosa; odore forti nauseoso, sapore ingrato herbaceo, acri-salso-amaro. — *Vis:* anodyna, vulneraria, antiscrophulosa, emetica ?)— Olim contra scrophulos, bronchoceles, scabiem cet. laudata; hodie (forsitan immerito) exolevit. — Ne confundas cum sequenti specie.

HERBA SCROPHULARIAE AQUATICAE, Betonicae aquaticae, Ficariae aquaticae, Castrangulae. Wasser-Braunwurz- oder Kropfwurz-Kraut. Wasser-Feigwarzen-Kraut. *Herbe de Scrophulaire aquatique.* — *Scrophulariae aquaticae* L. (Fl. Bad. II. 699.), plantae perennis locis paludosis, in rivulis, ad fossas, cet. passim frequentis, praecedenti simillimae, sed caule crassiore, quadrialato, glabro, floribus majusculis, apice sanguineis, Folia majora, lata, subcordato-ovata, obtusa, serrata, per petiolum decurrentia, glabra, venoso-reticulata; odore praecedentium, simili sed debiliore et sapore nauseoso-salso, amariusculo-acri. — *Vis et Usus:* praecedentium, praecipue ut vulnerarium externe et interne adhibebatur. Odorem ac saporem nauseosum foliorum Sennae (p. 79.) corrigere credebatur (?). — Hodie obsoleta.

HERBA SCUTELLARIAE LATERIFLORAE L. Seitenblüthiges Helmkraut *Herbe de la Toque à fleurs laterales.* — (Cl. cet. v. Herba Tertianariae p. 157.), plantae perennis Americae borealis, caule ramosissimo, Folia petiolata, ovata et cordato-oblonga, profunde serrata, glabra, cum floribus coeruleis florum Scutellariae galericulatae p. 157.) similibus sed minoribus, in racemos laterales digestis, colligenda; odore subaromatico, sapore amariusculo, subacri. — Planta haec in patria contra hydrophobiam maxime laudatur; apud nos autem nondum adhibetur.

HERBA SEDI MAJORIS, seu **Sempervivi**. Großer Hauslauch, Hauswurzkraut, Donnerkraut. *Herbe de grande Joubarbe.* — *Sempervivi tectorum* L. (Fl. Bad. II. 344.), e cl. Dodecandria, ord. Dodecagynia, fam. Crassulacearum, plantae perennis indigenae, ad muros, rupes, in tectis pagorum passim, caule florente pulchro, erecto, superne patente ramoso, squamis foliaceis rubellis tecto floribusque cymoso-racemosis, secundis, speciosis, purpurascentibus, propaginibus patentibus, Folia in rosulas aggregatas densas congesta, lanceolata, ciliata, convexo-plana, crassa, succulenta, glabra, laete viridia, apice fusco-rubra, cum mucrone; inodora, sapore acerbo-acidulo, subsalso, refrigerante. — *Part. const. praev.:* Calcaria malica. — *Vis:* re-

frigerans, mundificans, incidens. — *Usus:* Succus expressus interne et externe ad detergendas aphthas, labiorum fissuras, ambusta cet. — *Praep.:* Syrupus. — Hodie raro adhibetur.

HERBA SEDI MINORIS ACRIS, Sedi minimi, Sempervivi minoris, Illecebri, Vermicularis. Scharfes Sedum, Mauerpfeffer, Katzenkräutlein, kleine Hauswurz. *Herbe de Vermiculaire brûlante, Poivre de Murailles.* — *Sedi acris* L. (Fl. Bad. II. 278. — Cl. cet. v. Hb. Crassulae p. 112.), plantulae perennis, locis siccis, apricis, lapidosis, ad muros, vias, passim frequentis, caule basi repente, ramoso, tunc erecto, floribus terminalibus parvis luteis, in cymas sub-bifidas, patentes, foliatas, paucifloras digestis, Folia sparsa imbricata, minuta, brevia, rotundato-ovata, acutiuscula, basi soluta, rotundata, in dorso gibboso-convexa, glabra, succulenta, ante inflorescentiam colligenda; inodora, sapore primo refrigerante herbaceo, post nauseoso, acri-urente, diu adhaerente. — *Part. const. praev.:* Calcaria malica et Principium proprium acre. — *Vis:* emetica, purgans, antepileptica, externe inflammans, vesicans. — *Usus:* Herba recens et Succus expressus externe et interne adhibetur uti et Pulvis. Herba tunc cautissime et celeriter siccanda, statimque in pulverem redigenda, qui in vasis optime clausis asservandus. — Additur etiam Unguento Populeo cet. — Cave confundas cum Sedo sexangulari, iisdem passim locis occurrente eique simillimo, quod discrepat foliis tenuioribus, longioribus, cylindricis, magis divergentibus, sexfariam imbricatis et cyma sub-3-chotoma; ceterum caret sapore acri.

HERBA SEDI MINORIS ALBI. Weißes Sedum, weiße fette Henne, Tripmadam, Würstlein *Herbe d'Orpin à fleurs blanches.* — *Sedi albi* L. (Fl. Bad. II. 277. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis parvae, ad muros, tecta, saxa, cet. passim vulgaris, floribus cymosis elegantibus albis, staminibus purpureis, Folia sparsa, praecedentibus majora, patentia, cylindrica, obtusa, saturate viridia, glabra, succulenta; inodora, sapore refrigerante, subacerbo. — Olim contra suppurationes putridas et contra ipsum cancrum adhibebatur. — Hodie obsoleta. — Uti et

HERBA SEDI MINORIS FLORE FLAVO. Zurückgebogenes Sedum, auch Tripmadam. *Herbe d'Orpin réfléchi.* – *Sedi reflexi* L. (Fl. Bad. II. 276.), plantae perennis iisdem passim locis ac praecedentes occurrentis, Sedi acris et Sedi sexangularis similis, sed majoris, floribus cymosis, numerosioribus, majoribus, luteis, ramis recurvis, Folia sparsa, patentia, ante inflorescentiam praecipue inferiora recurva, cylindrico-subulata, glabra, glauco-viridia, carnosa; sapore herbaceo-mucilaginoso; — quae ut antiscorbuticum et oleraceum in acetariis passim adhibetur. — Simili consilio

HERBA SEDI RUPESTRIS L. Felsen-Sedum *Herbe d'Orpin des roches.* — (Fl. Bad. IV. 318.), plantae perennis saxatilis, praecedenti saepius minoris, floribus speciosis aureis, Folia quinquefariam et sexfariam dense imbricata, erecta, subulata, basi subcomplanata, glauca, — usurpatur.

HERBA SELAGINIS v. Muscus catharticus.

HERBA SENECIONIS seu Erigerontis. Gemeiner Baldgreis, Kreuzkraut, Spey-Kreuzkraut, Grindwurzkraut, Goldkraut, gelbes Vogelkraut. *Herbe de Seneçon ordinaire.* — *Senecio vulgaris* L. (Fl. Bad. III. 433. — Cl. cet. v. Hb. Jacobaeae p. 127.), Planta annua vulgatissima, caule erecto, subsimplici vel plus minus ramoso, glabro vel subvilloso, fistuloso, succulento; foliis amplexicaulibus, inferioribus in petiolum attenuatis, superioribus sessilibus, sinuato-pinnatifidis, denticulatis, lobis latiusculis, obtusis, glabris vel villis sparsis praeditis, laete viridibus, succulentis; floribus terminalibus, solitariis, laxe vel fasciculato-corymbosis, parvis, luteis, radio destitutis; tota florens colligenda; inodora, trita autem odorem debilem nauseosum edens, sapore nauseoso, subsalso amariusculo, post subacri. — *Vis:* antarthritica, antiscorbutica, antihysterica, antispasmodica, anthelmintica, emetica (?), vulneraria. *Usus:* Herba recens solummodo et Succus ejus expressus, sed hodie rarissime, adhibetur.

HERBA SERPYLLI. Quendel. *Herbe de Serpolet.*

Synon.: Wilder Thymian, Feldthymian, Hübnerklee oder Hühnerkohl.

Thymi Serpylli L. (Fl. Bad II 645. et IV. 443. – Cl. cet. v. Hb. Menthae p. 135.), plantae perennis locis siccis, apricis, vulgaris, caule decumbente, adscendente et erectiusculo, ramosissimo, basi sublignoso, Folia parva, sessilia, ovata, obtusa, integra, superne laete viridia, subtus pallidiora, punctata, una cum Summitatibus florentibus, verticillos et capitula conferta ex floribus parvis, plerumque rubellis exhibentibus, colligenda. Planta quam maxime polymorpha, plus minus grate odora, hinc varietatem citriodorum quae dicitur, in colli-

bus apricis praecipue occurrentis, statura majori, Foliis majusculis, latis, subglabris, basi ciliatis, floribus subspicatis parvis, staminibus inclusis; odore gratissimo citrino et sapore aromatico, amariusculo, adstringente, colligenda. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore atro-viridi-coeruleo turbatur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium adstringens et amarum. — *Vis:* excitans, nervina.

Sit herba siccata adspectu recentis, stipitum crassiorum expers, fragrans; pallida autem vel stipitibus nimis intermixta et odore debili rejiciatur.

Usus: In substantia, ad cataplasmata, fomentationes, in infuso, ad balnea cet.; interne (immerito) raro adhibetur. — *Praep.:* Aqua, Oleum, Spiritus. — Additur aliis quoque compositionibus; e. g. Speciebus aromaticis cet.

HERBA SERRATULAE. Blaue Scharten. Farbedistel. Gilbkraut *Herbe de Sarrette.* — *Serratulae tinctoriae* L. (Fl. Bad. III. 356. — Cl. cet. v. Hb. Cardui eriocephali p. 104.), plantae perennis indigenae in pratis humidis et locis montosis crescentis, caule erecto, plus minus ramoso, glabro, floribus terminalibus corymbosis, mediocribus, violaceo-purpureis vel albidis; Folia radicalia et caulina inferiora longe petiolata, superiora partim sessilia, oblonga, seu ovato-lanceolata, integra, argute serrata, vel plus minus incisa, lyrato-pinnatifida, superne glabra, saturate viridia, subtus pallidiora, pilis brevissimis sparsis praedita; inodora, sapore amaro, subadstringente, mucilaginoso. Infusum aquosum ope ferri muriatici oxydati colore imbuitur obscure viridi, ope aluminis et sacchari Saturni colore flavo turbatur. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum colorans amarum et adstringens. — *Usus:* In infuso. — Ut medicamentum hodie vix adhibetur.

HERBA SIDERITIDIS. Berufkraut, Beschreikraut, Gliedkraut, Abnehmkraut. *Herbe de Crapaudine.* — *Stachyos rectae* L. (Fl. Bad. II. 629. — Cl. cet. v. Hb. Basilic. p. 98.), plantae perennis locis asperis, saxosis, apricis, ad vias, silvarum margines, passim vulgaris, caule adscendente, recto, simplici vel ramoso, hirsuto, firmo. Folia mediocria, oblonga vel ovato lanceolata, obtusa, inferiora, in petiolum attenuata, superiora sessilia, omnia obtuse serrata, plus minus hirsuta, rugosa, superne saturate viridia, subtus pallidiora, flavescentia, firmiuscula, cum Summitatibus florentibus, spicas verticillatas, inferne interruptas, foliatas, florum ochroleucorum mediocrium exhibentibus, corolla calyce duplo longiore in ore et labio inferiore striis et punctis purpureis picta, bracteis minutis setaceis, colligenda; odore proprio haud grate aromatico; inter siccandum herba canescit et odor debilis amoenior evadit; sapore amariusculo, subadstringente, subgutturali. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore atro viridi imbuitur. — *Part. const. praev.:* Resina propria non admodum amara, Aroma et Principium adstringens (?) — *Vis:* resolvens, roborans, antarthritica, antiphthisica, contra atrophiam cet. — *Usus:* In infuso, praecipue ad balnea, lotiones. — Planta sane efficax a medicis hodie magis praescribenda. — Cave confundas cum plantis subsequentibus.

HERBA SIDERITIDIS HIRSUTAE. Rauhhaariges Glied- oder Berufkraut. *Herbe de Crapaudine à feuilles raboteuses.* — *Sideritidis hirsutae* L. (Cl. cet. praeced.), plantae perennis praecedenti similis, sed caulibus magis procumbentibus, ramosioribus, retrorso-hispidis, verticillis remotioribus, floribus ochroleucis et bracteis foliaceis reflexis, cordatis, dentato-spinosis, Folia obovato-oblonga, remote et obsolete serrata, hirsuta, rugoso-plicata, cum Summitatibus florentibus colligenda; odore debili aromatico et sapore dulciusculo, subadstringente, amariusculo. — Virtutibus praecedentis, ut verisimile est, gaudens atque eodem modo adhibetur.

HERBA SIDERITIDIS MINORIS. Kleines Berufkraut u. s. w. *Herbe de Crapaudine plus petite.* — *Stachyos annuae* L. (Fl. Bad. II. 632.), plantae annuae arvensis vulgaris, Stachi erectae simillimae, sed caule erecto ramosiore, graciliore, subglabro, floribusque in verticillos remotiores digestis, corolla albida, labio autem inferiore luteo punctisque purpureis maculata, Folia inferiora longius petiolata, latiora, elliptico-lanceolata, apice argute serrata, acutiuscula, superiora integerrima, omnia 3—5-nervia, non rugosa, subglabra, laete flavescenti-viridia. — Hodie obsoleta.

HERBA SIDERITIDIS SYRIACI L. Syrisches Berufkraut u. s. w. *Herbe de Crapaudine Syriaque,* (Cl. cet. praeced.), fruticuli Orientalis, Salviae facie, sed majoris, tomentosa, lanata, bracteis cordatis, acutis, integerrimis, floribus luteis, Folia lanceolata, obtusa, subcrenulata, dense lanata. — Ut emmenagogum commendabatur. — Apud nos non adhibetur.

HERBA SIEGESBECKIAE ORIENTALIS L. Ostindische Siegesbeckie. *Herbe de Siegesbeckia.* — (Cl. cet. v. Flor. Chamomillae p. 64.), plantae annuae Tauriae, utriusque Indiae cet., caule erecto, rotundo, subramoso, ramis floriferis bifidis, foliatis, floribus mediocribus flavis, calathio involucrato, radio paucifloro, receptaculo (anthoclinio) paleaceo, Folia opposita, in petiolum decurrentia, subcordato-ovata vel sub-3-angu-

laria, inaequaliter dentata, subincisa, hispidiuscula. — Monente Linné loco Herbae Acmellae (p. 90.) adhiberi licet.

HERBA SII FALCARIAE L. (Critami agrestis Besser.) Sichelmerkkraut. *Herbe de Berle faucilliere.* (Fl. Bad. I. 673. — Cl. cet. v. Hb. Cicutae p. 108.), plantae perennis arvensis, inter segetes passim, caule erecto ramosissimo, glabro, rotundo, striato, umbellis terminalibus, mediocribus, floribus minutis albis, Folia ternata, vel irregulariter decursive pinnatifida, foliolis lineari-lanceolatis, subfalcatis, argute serrulatis, glabra, glauco-viridia. — Hodie obsoleta. — Uti et

† HERBA SII NODIFLORI L. (Helosciadii nodiflori Koch.) Knotenblüthiger Wassermerk *Herbe de Berle nodifleure.* — (Fl. Bad. I. 670. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis indigenae et Europae australis, ad rivulos, in paludibus, aquis stagnantibus passim, caule procumbente, vel natante, ramosissimo, glabro, striato, fistuloso, umbellis axillaribus, subsessilibus, oppositifoliis, mediocribus, floribus viridescenti-albidis, Folia speciosa, pinnata, pinnis ovato-lanceolatis, obtusiusculis, obtuse duplicato-crenatis, glabra, — quae ut diureticum contra morbus cutaneos commendabatur. Planta suspecta.

† HERBA SII PALUSTRIS. Breitblätteriger Wassermerk. *Herbe de Berle à larges feuilles.* — *Sii latifolii* L. (Fl. Bad. I. 667. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis, speciosae, indigenae, palustris, caule erecto, ramoso, crasso, glabro, sulcato, fistuloso, umbellis terminalibus speciosis, convexis, floribus albis, Folia supra aquam eminentia, magna, pinnata, pinnis maju-culis, late ovato-oblongis, superiorum foliorum angustioribus, lanceolatis, omnibus argute serratis, glabra, saturate viridia. — Herba Berulae loco usurpatur — pariter suspecta et narcoticis praedita virtutibus.

HERBA SILAUS seu Seseleos pratensis. Silau, Roßfenchel *Herbe de Peucedane de Prés.* — *Silai pratensis* Bess. (*Peucedani Silai* L. (Fl. Bad. I. 651. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis in pratis passim frequentis, caule erecto ramoso, striato, glabro, umbellis terminalibus mediocribus, floribus sordide flavis, Folia ampla, 2—3-pinnata, pinnulis 3—5-partitis, laciniis brevibus anguste lineari-lanceolatis, nervosis, acutis, mucrone rubello, glabra, laete viridia; odore ac sapore debili aromatico. — Hodie obsoleta.

HERBA SISYMBRII AMPHIBII, seu Raphani aquatici. Land- und Wasser-kresse, Wasserrettig-kraut *Herbe de Sisymbre amphibe.* — *Nasturtii amphibii* R. Br. (*Sisymbrii amphibii* L. — Fl. Bad. III. 62. — Cl. cet. v. Hb. Nasturtii aquatici p. 138.), plantae biennis indigenae palustris, caule erecto, superne ramoso, glabro, floribus terminalibus racemosis luteis, corolla calyce duplo longiore, siliquis brevissimis declinatis, Folia oblonga, indivisa, serrata vel pinnatifida, glabra; odore et sapore acri-pungente. — Hodie obsoleta. — Uti et

HERBA SISYMBRII SILVESTRIS. Waldkresse, Waldrauke, Wassersenf. *Herba de Sisymbre sauvage.* - *Nasturtii silvestris* R. Br. (*Sisymbrii silvestris* L. — Fl. Bad. III. 60.), plantae perennis palustris vulgaris, caule debili adscendente vel erecto, ramoso, anguloso-striato, glabro vel subhirsuto, floribus parvis saturate luteis, corolla calyce duplo longiore, siliquis erecto- vel declinato-patentibus, tenuibus, cylindricis, praecedentium longioribus, Folia profunde pinnatifida vel pinnata, glabra, laete viridia passimque rubescentia. — Similibus ac praecedens gaudet proprietatibus.

† HERBA SOLANI NIGRI, Solatri nigri. Schwarzes Nachtschatten-Kraut, Schweinstod, Saukraut, Alpkraut. *Herbe de Morelle commune* ou *noire.* — *Solani nigri* L. (Fl. Bad. I. 519. — Cl. cet. v. Hb. Belladonnae p. 98.), plantae annuae in cultis, ruderatis cet. vulgaris, caule erecto, patente, ramoso, inermi, glabro vel piloso, floribus lateralibus umbellato racemosis, deflexis, parvis, albis, passim subviolaceis (Baccae v. p. 18. — Variat baccis luteis, miniatis et viridi-lutescentibus aquosis.), Folia mediocria, petiolata, late ovata, basi attenuata, repanda, obtuse anguloso-et inaequaliter dentata, passim integerrima; glabra vel plus minus villosula polymorpha; recentia subcarnosa, odore nauseoso, inter flaccescendum moschum redolentia; siccata vero inodora, sapore nauseoso, subsalso, amariusculo, subacri. — *Part. const. praev.:* Solanium. — *Vis:* anodyna, narcotica, toxica. — *Usus:* Herba recens externe applicatur; in decocto et interne adhibetur caute. *Praep.:* Succus, Extractum, Aqua, Oleum coctum, Emplastrum. — Additur aliis quoque compositionibus, — sed hodie immerito raro praescribitur.

HERBA SOLANI TUBEROSI. L. Kartoffelkraut. *Herbe de Pomme de terre.* — (Fl. Bad. I. 517.), plantae annuae America meridionali oriundae, apud nos tritissimae, Folia magna interrupte pinnata, foliolis integerrimis, basi inaequalibus, villosa; sapore nauseoso, sub acri. — *Vis:* narcotica (? . Similibus forsitan ac praecedens gaudet virtutibus, sed mitior ?). — *Usus:* Herba recens externe ut anodynum applicatur. — *Praep.:* Extractum. — Recentioribus temporibus Herba haec ut medicamentum commendabatur.

HERBA SOLDANELLAE, Brassicae marinae. Meerkohl, Seekohl, Meerstrands-Winde *Herbe de Soldanelle, Chou marine.* — *Convolvuli Soldanellae* L. (Cl. cet. v. Hb Convolvuli p. 111.), plantae annuae (?) littoralis, caule procumbente, non volubili, pedunculis unifloris, floribus speciosis, amoene rubellis, Folia longe petiolata, subreniformia, subangulata, mucronata, glabra; inodora, sapore amariusculo, salso. — *Vis:* purgans. — *Usus:* In pulvere, decocto. — Apud nos non adhibetur.

HERBA SOLIDAGINIS ODORAE Ait. Wohlriechende Goldruthe. *Herbe de Verge d'or odorée.* — (Cl. cet. v. Hb. Consolidae sarracenicae p. 111.), plantae perennis Americae borealis, caule villoso, floribus racemosis secundis, Folia lineari-lanceolata, integerrima, glabra; odore suavi. — In patria ut thea usurpatur.

HERBA SONCHI ASPERI et LAEVIS. Rauhe und glatte Gänsedistel, Kohlgänsedistel, Gemüse-Hasenkohl. *Herbe de Laiteron commune.* — *Sonchi oleracei* L. (Fl. Bad. III. 285 et 287. — Cl. cet. v. Hb. Auriculae muris p. 96.), plantae annuae in arvis, oleraceis cet. vulgatissimae, caule erecto, aspero et laevi, superne ramoso, fistulo-

so, floribus (calathiis) terminalibus, subumbellatis, fasciculatis vel solitariis, medio cribus, sulphureis, calyce communi (periclino) ventricoso-cylindrico, post inflorescentiam pyramidato, cum pedunculis glabro vel sub-lanuginoso. Folia radicalia lyrata vel runcinato-pinnatifida, caulina amplexicaulia similia, omnia inaequaliter sinuato-denticulata, dentibus mollibus vel pungentibus (Sonchus asper), suprema passim indivisa, hastato-lanceolata, cuncta glaberrima, laete viridia, subtus glaucescentia, tenera Sonchus laevis) vel utrinque nitentia, firmiuscula (S. asper), maxime polymorpha; lactescentia, inodora, sapore nauseoso-amaro; e planta florente colligenda. — *Vis:* anodyna, subnarcotica, resolvens. — Planta sane efficax hodie penitus neglecta.

HERBA SOPHIAE, Sophiae Chirurgorum, Thalictri. Sophien-Raucken-Kraut, großes Besenkraut. Wurmkraut. *Herbe de Sagesse, des Chirurgiens,* — *Sisymbrii Sophiae* L. (Fl. Bad. III. 71. — Cl. cet. v. Hb. Nasturtii aquatici p. 138.), plantae annuae speciosae, in ruderatis, ad vias passim frequentis, caule erecto ramoso, subpubescente, rotundo, fistuloso, floribus terminalibus racemosis, exiguis, viridescenti-flavis, siliquis erecto-patentibus, longis, tenuibus, obsolete 4-gonis, subtorulosis, glabris, Folia 2—3-pinnata, pinnulis laciniisque tenuibus, linearibus, acutis, pilosulis, subincana; trita odore nasturtiino, sapore acri-pungente. — *Vis:* stimulans, antiscorbutica, vulneraria. — *Usus:* In infuso; Succus expressus externe adhibetur ad ulcera detergenda. — Hodie fere exolevit.

HERBA SPIGELIAE ANTHELMIAE L. Wurmtreibendes Spigelienkraut *Herbe de Spigelie anthelminthique.* — (Cl. cet. v. Hb. Centaur. minor. p. 105.), plantae annuae Americae australis, caule erecto subramoso, tereti, floribus terminalibus et axillaribus, racemosis, secundis, parvis, rubellis, staminibus inclusis, Folia mediocria, inferiora opposita, petiolata, superiora sessilia, quaterna, omnia ovato-oblonga, utrinque attenuata, integerrima, glabra; odore nauseoso et sapore nauseoso amariusculo. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum proprium (?). — *Vis:* anthelmintica; narcotica, drastica, facile toxica (?). — *Usus:* In infuso. — Apud nos vix adhibetur. — Cave confundas cum Hb. Saponariae (p. 151.).

HERBA SPIGELIAE MARYLANDICAE L. Marylandische Spigelie. *Herbe de Spigélie de Marylande;* plantae perennis Americae borealis, praecedentis fere habitu sed majoris, caule erecto simplici, 4-gono, floribus majoribus externe coccineis, intus flavis, staminibus exsertis, Folia omnia opposita, praecedentium majora, ovato-lanceolata, acuminata, integerrima, saturate viridia, glabra; odore nauseoso et sapore ingrato amaro. — *Vires* praecedentis habet, sed praestantior esse creditur. — *Usus:* idem. — In America boreali ut medicamentum crebre adhibetur.

HERBA cum FLORIBUS SPILANTHI. Gemüse-Fleckblumen-Kraut, Parakresse. *Cresson de Para.* — *Spilanthi oleracei* L., plantae annuae Indiae orientalis et Americae australis, nobis hortensis, habitu Acmellae (p. 90. — Class. cet. idem), sed floribus calathiis) radio destitutis, Folia petiolata, cordato ovata, serrulata, glabra, 3-nervia, cum floribus luteis colligenda; odore neuseoso acri et sapore acerrimo-urente. — *Vires* et *Usus:* ut Herbae Acmellae. — *Praep.:* Spiritus. — In Hispania ut antiscorbuticum, odontalgicum et ophthalmicum, sed apud nos nondum adhibetur, quanquam medicorum attentione dignum.

HERBA SPINACIAE seu SPINACHIAE. Spinat-Kraut. *Herbe d'Epinard.* — *Spinaciae oleraceae* L. (Fl. Bad. III. 754.), e cl. Dioecia, ord. Pentandria, fam. Chenopodiearum, plantae annuae Arabia oriundae, apud nos tritissimae, caule erecto, ramoso, glabro, floribus exiguis, viridescentibus, masculis paniculatis, foemineis sessilibus aggregatis, fructibus inermibus (Spinacia inermis) vel spinosis (Spinacia spinosa), Folia sagittata vel oblongo-ovata, integerrima, glabra, nitentia, saturate viridia. — Externe herba recens ut refrigerans et emolliens applicatur.

HERBA SPLIT, seu SPLET, Fumariae luteae. Split-Taubenkropf, gelber Erdrauch *Herbe de Fumeterre à fleurs jaunes.* — *Corydalis luteae* PERS. (*Fumaria luteae* L. — Fl. Bad. IV. 526. — Cl. cet. v. Hb. Fumariae p. 119.), plantae perennis Europae mediae et australis passimque Germaniae ad muros antiquos, saxa cet., caule erecto ramosissimo, diffuso, glabro, floribus terminalibus spicato-racemosis, luteis, calcari brevissimo, curvato, in apice passim fusco-maculato, bracteis lineari-subulatis, pedunculo brevioribus, Folia bi-ternata, foliolis cuneiformi-3-fidis, glabra, glaucescentia; sapore peracri-irritante, amariusculo. — Hodie obsoleta.

HERBA STATICES. Gemeines Grasnelken-Kraut. *Herbe de Gazon d'Olympe.* — *Armeriae vulgaris* W. (*Statices Armeriae* L. — Fl. Bad. I. 753. — Cl. cet. v. Hb. Behen p. 98.), scapo simplici, floribus amoene rubris, in capitulum subrotundum congestis, involucri foliolis exterioribus acuminatis, interioribus obtusis, scariosis, Folia radicalia cespitem formantia, linearia, graminea, subciliata, glaucescentia, firma. — Hodie obsoleta.

†HERBA STRAMONII, Daturae, Solani maniaci. Stechapfelkraut, Stachelnußkraut, Tollkraut. *Herbe de Pomme épineuse, de Stramoine.* *Daturae Stramonii* L. (Fl. Bad. I. 504. — Cl. cet. v. Hb. Hyoscyami p. 125.), plantae annuae exoticae originis, nunc apud nos in ruderatis, arvis, ad vias cet. vulgaris, caule erecto, superne dichotomo ramoso, glabro, floribus solitariis, ex dichotomia caulis, magnis, niveis, breviter pedunculatis, capsulis magnis subovatis, spinosis, 4-locularibus, Folia speciosa longe petiolata, late ovato acuminata, inaequaliter sinuato dentata, superne saturate viridia, subtus pallida, nervosa-glabra, e planta florente colligenda; odore nauseoso-viroso, praesertim inter siccandum, sapore nauseoso-amaro-subsalso. — *Part. const. praev.:* Daturium. — *Vis:* narcotica, venenata. — *Usus:* In decocto

interne caule, et externe. — *Praep.:* Extractum, Faecula, Tinctura, Oleum coctum et Unguentum. — Herba fusca, mucida, inodora, rejicienda. — Cave confundas cum Herba Solani nigri p. 145. vel Herba Pedis anserini secundi (p. 141.).

HERBA TANACETI, Athanasiae. Rainfarrn- oder Rheinfarrnkraut, Wurmfarrnkraut. *Herbe de Tanaisie.* — *Tanaceti vulgaris* L. (v. Flores p. 72.), Folia speciosa, oblonga, lata, impari- et subinterrupte-pinnatifida, inferiora petiolata, superiora, sessilia, pinnis oblongo-lanceolatis, inciso-serratis vel pinnatifidis, obtusis et acutis, saturate viridia, glabra, superne punctata, in juventute partim subpubescentia; odore nauseoso aromatico et sapore ingrato-aromatico, amaro. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus:* ut Florum, sed inferioris sunt pretii.

HERBA TARAXACI, Dentis Leonis. Löwenzahn-, Pfaffenröhrlein-Kraut. *Herbe de Dent de Lion, de Pissenlit. Leontodontis Taraxaci* L. (v. Radix), Folia speciosa radicalia, in orbem congesta, petiolata, runcinata, lobis lateralibus parum recurvis, subglabra, vel pilis sparsis villosis plus minus obsessa, laete viridia, nitentia, aestate cum floribus (calathiis) speciosis luteis, scapo rotundo, glaberrimo, albido vel rubello, diaphano, fistuloso insidentibus, colligenda; sublactescentia, inodora, sapore herbaceo, subsalso-amaro. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus:* ut Radicum. — Herba recens praecipue adhibetur ad parandum Succum expressum et Mellaginem. — Si vis siccari, celeriter hoc fiat.

HERBA TERTIANARIAE, Trientalis. Gemeines Helmkraut, Schildkraut, Fieberkraut. *Herbe de Tertianaire, de Toque.* — *Scutellariae galericulatae* L. (Fl. Bad. II. 658. — Cl. cet. v. Hb. Basilici p. 98.), plantae perennis in pratis humidis, ad fossas aquaticas rivulosque passim frequentis, caule erecto vel adscendente, superne ramoso, 4-gono, pilis brevibus deorsum spectantibus, subaspero, floribus axillaribus, subsolitariis, brevissime petiolatis, secundis, speciosis, coeruleis passimque rubellis vel albidis, calyce fructifero operculo clauso, Folia mediocria, brevissime petiolata, subcordato-lanceolata, obsolete crenato-serrulata, saturate viridia, superne glabra, subtus ad nervos pilosula; recens odore debili alliaceo, sapore amariusculo subsalso. Infusum aquosum Ferri muriatici oxydati ope colore olivaceo imbuitur. — *Vis:* febrifuga (?), in febribus tertianis laudabatur.— Hodie fere exolevit. — (Confusio cum Herba Gratiolae v. p. 122.)

HERBA TEUCRII. Gelber Gamander. *Herbe de Germandrée jaune.* — *Teucrii flavi* L. (Cl. cet. praeced.), fruticis Europae australis et Africae borealis, floribus axillaribus, racemos ex verticillis dimidiatis exhibentibus, flavis, Folia ovata, integerrima, vel crenata, superne saturate viridia, subtus villosa, rigida; odore aromatico et sapore aromatico, amaro. — In Italia loco Herbae Chamaedryos (p. 106.) adhibetur.

HERBA TEUCRII VERI. Aechter strauchartiger Gamander *Herbe de Germandrée veritable.* — *Teucrii fruticantis* L. (Cl. cet. praecedentis), fruticis Europae australis et Africae borealis, ramis albo-tomentosis, floribus solitariis axillaribus, speciosis, pallide violaceis, calyce albo-tomentoso, Folia petiolata, oblongo-lanceolata, integerrima, superne obscure viridia, subtus albo-tomentosa; aromatica, amara. — Olim ut medicamentum adhibebatur, hodie exolevit.

HERBA THALICTRI FLAVI L. Rhabarbari pauperum. Gelbe Wiesenraute, unächte Rhabarber, Heilblatt. *Herbe de Rues des Prés.* — (Fl. Bad. II. 533. — Cl. cet. v. Herba Pulsatillae p. 146.), plantae perennis speciosae, caule erecto, superne ramoso, sulcato-striato, glabro, fistuloso, floribus terminalibus paniculatis, confertis, parvis, sulphureis, Folia bi-tri-pinnata, pinnulis parvis, lanceolato-acuminatis seu cuneiformibus, integris vel 2 — 3-fidis, terminali majore, glabra, superne obscure viridia, subtus pallidiora, glauca, nervosa; odore nauseoso et sapore nauseoso, dulciusculo, acri-amariusculo. — *Vis:* alvum movens, diuretica, vulneraria. — Olim Rhabarbari loco commendabatur. Hodie (forsitan immerito) exolevit.

HERBA THYMBRAE HISPANICAE. Spanisches Thymbrakraut *Herbe de Thymbre espagnol.* — *Thymbrae verticillatae* L. (Cl. v. Hb. Menthae p. 135.), fruticuli Europae australis et Orientis, Folia anguste lineari-lanceolata, punctata, ciliata, cum floribus verticillato-spicatis, purpurascentibus, colligenda; odore ac sapore forti aromatico. — In Hispania ut medicamentum adhibetur.

HERBA THYMBRAE VERAE. Candisches oder Cretisches Bohnenkraut *Herbe de Sarriette de Crête.* — *Satureiae Thymbrae* L. (Cl. cet. praeced.), fruticis sempervirentis Graeciae, Asiae minoris et Africae borealis, Folia parva spathulato-lanceolata, acuta, aspera, punctata, rigida, cum Summitatibus florentibus, ex verticillis densis florum rubrorum, basi foliatis constantibus, colligenda; odore et sapore aromatico fragrante, thymi simili. — Apud nos non adhibetur. — Ejus loco etiam Satureja Juliana L. usurpatur.

HERBA THYMI. Thymiankraut. *Herbe de Thym.*

Synon.: Herba Thymi hortensis seu vulgaris. Gemeiner oder Garten-Thymian.

Thymi vulgaris L. (Fl. Bad. II. 646. — Cl. cet. v. Hb. Serpilli p. 153.), fruticuli ramosissimi Europae australis, nobis hortensis, ramis junioribus brevissime pilosis, Folia exigua, brevi-petiolata, linearia vel ovato-oblonga, integerrima, margine revoluta, superne saturate viridia, foveolata, subtus albi-

do-grisea, tenerrime pilosa, punctata, firmiuscula, e planta florente cum Summitatibus florentibus, verticillos subspicatos bracteatos, florum parvorum, violaceo-rubellorum vel albidorum exhibentibus, colligenda; odore fragrante, grate aromatico, sapore aromatico pungente, camphorino. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* excitans, nervina, resolvens.

Herba vetusta, parum odora, vel stipitibus crassioribus nimis intermixta, rejiciatur.

Usus: In substantia raro, externe ad species, pro fomentatione, in infuso, ad balnea cet. — *Praep.:* Oleum, Aqua, Spiritus, Tinctura.

HERBA THYMI CRETICI. Cretischer Thymian *Herbe de Thym de Crête.* — Satureiae capitatae L. (*Thymi cretici* BROTERO. — Cl. cet. praeced.), fruticuli littoralis maris mediterranei, ramis tomentosis, Folia opposita et fasciculata, lineari-lanceolata, cannaliculata, ciliata, punctata, glabra, cum floribus capitatis, albis, parvis, bracteisque oblongis ciliatis, flore brevioribus, colligenda; fragrans, aromatica. — Apud nos non adhibetur.

HERBA TORMENTILLAE. Tormentillkraut. *Herbe de Tormentille.* — *Potentillae Tormentillae* SCHREB. (*Tormentillae erectae* L. v. Radix), plantae perennis indigenae, caule erecto vel plus minus patente, procumbente, filiformi, dichotomo-ramoso, pilosulo vel glabro, floribus axillaribus terminalibusque pedunculatis, parvis, luteis, calyce 8-fido et corolla 4-petala, Folia radicalia et caulina inferiora petiolata, superiora, sessilia ternata, (inferiora passim 5-nata) stipulata, foliolis obovatis et lanceolato-cuneiformibus inciso-serratis, subglabra, nitentia; sapore adstringente. — Hodie obsoleta.

HERBA TRIBULI TERRESTRIS L. Erdburzeldornkraut *Herbe de Tribule terrestre.* — E cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Zygophyllearum, plantae annuae Europae australis, Asiae et Africae, caule procumbente, piloso, floribus axillaribus, solitariis, flavis, Folia 6—7-juga, foliolis parvis, lineari-lanceolatis, subtus incano-villosa. — Hodie obsoleta.

HERBA TRIFOLII BITUMINOSI. Harzklee. *Herbe de Trèfle bitumineuse, Thé de Jesuites.* — *Psoraleae bituminosae* L. (Cl. cet. v. Hb. Meliloti p. 133.), fruticis Galliae australis et Italiae, floribus axillaribus, spicato-capitatis, longe pedunculatis, Folia ternata, foliolis ovato-oblongis, mucronatis, glabriuscula, bitumen redolentia. — Succus expressus contra cancrum interne passim commendabatur.

HERBA TRIFOLII FIBRINI. Fieberklee. *Herbe de Treflé d'eau.*

Synon.: Herba Trifolii aquatici, palustris, antiscorbutici. Bitterklee, Wasserklee, Bieberklee, Scharbockskee.

Menyanthis trifoliatae L. (Fl. Bad. I. 446.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Gentianearum, plantae perennis, in pratis turfosis, paludosis, passim frequentis, caule radiciformi repente, scapo nudo, floribus terminalibus racemosis, speciosis, pulcherrimis, externe pallide roseis, intus niveis; barbatis, Folia radicalia longe petiolata, ternata, foliolis magnis obovato-oblongis, obtusis, subrepando-crenatis, glabra, laete viridia; inodora, sapore peramaro, diu adhaerente. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum amarum. — *Vis:* tonica, mundificans, resolvens, febrifuga, antiscorbutica.

Usus: In pulvere, infuso et decocto. — *Praep.:* Succus expressus, Extractum, Tinctura, Syrupus, Conserva, Vinum, Spiritus. — Aliis quoque additur compositionibus.

HERBA (cum FLORIBUS) TRIFOLII LEPORINI seu Lagopi. Hasenklee oder Hasenfußklee Ackerklee. *Herbe de Pied de Lièvre.* — *Trifolii arvensis* L. (Fl. Bad. III. 229. — Cl. cet. v. Hb. Meliloti p. 133.), plantulae annuae arvensis, caule erecto, ramosissimo, pubescente, Folia ternata, foliolis parvis integerrimis, inferioribus cuneiformibus, emarginatis, superioribus angustioribus lineari-lanceolatis, tenerrime villosa, cum Floribus terminalibus, capitula oblongo-ovalia, aphylla, dense et longe pilosa, albida exhibentibus, colligenda; odore grate melleo et sapore herbaceo-subdulci, subadstringente. — Hodie obsoleta. — Uti et

HERBA (cum FLORIBUS) TRIFOLII PURPUREI seu PRATENSIS L. Gemeiner Wiesenklee oder Futterklee, rother 3-blättriger Klee *Herbe de Trèfle des prés*, — plantae pratensis vulgatissimae, caule adscendente simplici, vel subramoso, glabro, Folia petiolata, ternata, foliolis ovalibus, integerrimis vel subcrenatis, villoso-ciliatis, saturate viridia, superne saepius macula notata, cum Floribus capitula speciosa, globosa vel obtuse ovata, rubra, stipulis duobus magnis, membranaceis, diaphanis, venosis, et foliis ternatis involucri quasi loco praeditis, exhibentibus, colligenda; odore melleo, sapore amariusculo, subacerbo-acri.

HERBA UNIFOLII. Einblatt, Zweiblatt *Herbe de Muguet quadrifide*. — *Majanthemi bifolii* Dec. (*Convallariae bifoliae* L. — Fl. Bad. II. 58.), e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Smilacearum, plantulae elegantis perennis indigenae, silvaticae, caule simplici erecto, anguloso, glabro, floribus terminalibus parvis, niveis, in racemum ovatum digestis, corollulis 4-fidis suaveolentibus, Folia alterna bina, petiolata, cordata, integerrima, glabra, laete viridia, firmiuscula. — Olim ut alexipharmacum, vulnerarium cet. habebatur et nuper contra hydropem obiam commendabatur. Apud nos non adhibetur.

HERBA URTICAE MAJORIS. Großes Nesselkraut, große Brennnessel. *Herbe d'Ortie grande*. — *Urticae dioicae* L. (v. Flor. p. 73.), caule erecto, Folia petiolata, cordato-oblonga, acuminata, grosse serrata, saturate viridia, utrinque setis albidis, cavis, urentibus, obsessa; odore trifolii simili, sapore herbaceo, amariusculo. — Si manibus siccis vel alia cutis siccae parte tanguntur, pruritum et inflammationem dolorosam efficiunt. — *Part. const. praev.:* Principium proprium acre volatile (?). — *Vis:* stimulans, resolvens, diuretica. — *Usus:* Interne in infuso rarissime, externe planta recens ad flagellationem (Urticationem) in membris paralyticis, sed hodie (immerito) perraro, adhibetur.

HERBA URTICAE MINORIS. Kleine Brennnessel, Eiternessel. *Herbe d'Ortie mineure*. — *Urticae urentis* L., plantae annuae, pariter ac praecedens vulgaris, eique similis, sed minoris, floribusque similibus exiguis axillaribus, monoicis, in racemos breves erecto-ramosissimos digestis, Folia petiolata, minora, rhomboideo-ovalia, sub-5-nervia, inciso-serrata, utrinque setis rigidis urentibus obsessa. — *Vires* habet praecedentis et praestantior est, magis urens. — Eodemque modo adhibetur. — (Aliae Urticae species e. g. Urtica pilulifera, Dodarti, stimulifera, urentissima, cet. hunc in finem adhiberi possunt.

HERBA UVULARIAE, Hypoglossi, Bislinguae, Bonifacii, Lauri alexandrinae angustifoliae. Zapfenkraut, Zungenkraut, Zungen-Mäusedornkraut. *Herbe de Laurier alexandrin. Rusci Hypoglossi* L. (Cl. cet. v. Fol. Lauri alexandrin. p. 77.), fruticis sempervirentis Europae australis et Orientis, Folia elliptica, mucronata, integerrima, venosa, rigida coriacea, splendentia, superne in medio sub bractea parva linguaeformi, acuta, florifera, floribus pedunculatis parvis, flavescentibus; inodora, sapore subadstringente, dulciusculo, subirritante. — Hodie obsoleta.

HERBA UVULARIAE GRANDIFLORAE Nuttal. Großblumiges Zapfenkraut *Herbe d'Uvulaire à grandes fleurs*, — e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Asphodelearum, plantae perennis Americae borealis Convallariae Polygonati (v. Rad. Sigilli Salomonis) similis, Floribus flavis, Folia perfoliata, oblonga, acuta. — In patria ab incolis contra morsum serpentum venenatorum adhibetur.

HERBA VALERIANAE GRAECAE. Griechisches Baldriankraut, blaues Polemonienkraut Sperrkraut. *Herbe de Valeriane de Grèce*. — *Polemonii coerulei* L. (Fl. Bad. I. 464.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Polemoniacearum, plantae perennis Europae et Asiae borealis, passimque Germaniae, nobis hortensis, caule erecto, superne ramoso, glabro, vel pilis sparsis plus minus obsesso, sulcato, floribus terminalibus corymbosis, confertis, coeruleis, passim albis, Folia petiolata, impari-pinnata, pinnis elliptico-lanceolatis, integris, superne glabra, subtus plus minus villosula; odore valerianae et quodammodo tabaco simili, sapore amaro, subacri. — Hodie obsoleta.

HERBA VALERIANELLAE. Lämmer-Salat, Ackersalat, Töchterleinsalat. Sonnenwirbelein. *Herbe de Mache, de Blanchette*. — *Fediae carinatae* Lois. et *F. olitoriae* Vahl. (*Valerianae locustae* L. — Fl. Bad. I 72. et IV. 26. — Cl. cet. v. Rad. Valerianae), plantarum annuarum in cultis, arvis, vineis, cet. vulgatissimarum, caule debili dichotomo, glabro, floribus terminalibus cymosis, confertis, exiguis, albis vel pallide coeruleis, Folia radicalia in rosulam digesta, spathulata, caulina lanceolata, vel lanceolato-linearia, subintegerrima, glabra; dum recentia, inodora, siccata autem odore debili valerianino. — Hodie obsoleta.

HERBA VERBASCI. Wollkraut. *Herbe de Bouillon blanc*. — *Verbasci Thapsi* L. (v. Fl. p. 73.), Folia magna, radicalia oblongo-ovata, in petiolum attenuata, caulina superiora sessilia, plus minus decurrentia, oblonga vel ovato-lanceolata, omnia crenulata, utrinque tomentosa, plus minus incana, albida et lutescentia, crassa, mollia, odore nauseoso, subnarcotico, siccata odore debili haud ingrato, sapore amariusculo subacri. — *Vis:* pectoralis, emolliens (?). — *Usus:* Herba recens ulceribus inflammatis imponitur; siccata passim inter species, sed raro, praescribitur.

HERBA VERBENAE, Verbenae maris. Eisenhart, Eisenkraut, Taubenkraut. *Herbe de Verveine*. — *Verbenae officinalis* L. (Fl. Bad. I. 51. — Cl. cet. v. Folia Aloysiae p. 74.), plantae annuae et biennis ad vias, sepes, in ruderatis, vulgaris, caule erecto ramoso, 4-gono-sulcato, marginibus hirsuto, ramis erectis, floribus terminalibus parvis, rubellis, in spicas raras filiformes, paniculam exhibentes, digestis, Folia sessilia profunde 3-fida, vel sublyrata, lobis lateralibus patentibus parvis, terminali majori oblongo, omnibus inciso-serratis, basin versus cuneiformi-attenuatis, opaca, obscure incana, subrugosa, venosa, aspera; inodora, sapore subadstringente, amariusculo. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum adstringens et

amarum. — *Vis:* tonica, adstringens, anodyna, vulneraria (?). — Hodie (forsitan immerito) perraro adhibetur.

HERBA VERONICAE, Veronicae majoris, Vetonicae. Aechter officineller Ehrenpreis. *Herbe de Veronique officinale, Thé de l'Europe.* — *Veronicae officinalis* L. (Fl. Bad. I. 20. — Cl. cet. v. Hb. Beccabungae p. 98.), plantae perennis in nemoribus, fruticetis siccis, ad viarum marginalia, praecipue locis montosis passim frequentis, caule procumbente, adscendente rotundo, undique piloso, racemis lateralibus pedunculatis, subspicatis, floribus pallide coeruleis vel rubellis, passimque albidis, Folia mediocria, breviter petiolata, ovalia, vel obovata, obtusa, serrata, utrinque pilosa. laete viridia et flavescenti-subincana; recentia odore levi balsamico, siccata fere inodora, sapore balsamico-amaro, subadstringente. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore viridi imbuitur. — *Part. const. praev.:* Principium amarum et adstringens (?). — *Vis:* tonica, roborans, pectoralis. — *Usus:* In infuso. — *Praep.:* Succus, Extractum, Conserva, Syrupus, Essentia, Aqua. — Additur etiam interdum speciebus pectoralibus. — Hodie (immerito) raro adhibetur. Cave confundas cum Herba Chamaedryos spuriae, foeminae et maris (p. 107.).

HERBA VERONICAE SPICATAE L. Aehren-Ehrenpreis. *Herbe de Veronique en épi.* — Plantae perennis Europae mediae passimque Germaniae, in silvis montosis, gramineis, apricis passim, caule adscendente, floribus terminalibus spicatis coeruleis, corolla sublabiata, ore barbato, Folia ovato-oblonga, obtusiuscula, obtuse serrato-crenulata, rariter villosa. — Hodie obsoleta.

HERBA VINCAE PERVINCAE, Clematidis, Daphnoidis. Kleines Sinngrün, Wintergrün, Immergrün, Todtenmyrte, Kinderpalme. *Herbe de petite Pervenche.* — *Vincae minoris* L. (Fl. Bad. I. 555. — Cl. cet. v. Cort. Conessi p. 46.), fruticuli sempervirentis indigeni, locis umbrosis lapidosi, ad sepes cet. vulgaris, caulibus tenuibus reptantibus, radicantibus, florigeris erectis, floribus axillaribus solitariis, longe pedunculatis, speciosis, coeruleis, violaceis, purpureis et albis, Folia mediocria, petiolata, oblonga, integerrima, glabra, splendentia, coriacea; inodora, sapore peramaro, subadstringente. — *Vis:* tonica. — Hodie (forsitan immerito) obsoleta.

HERBA VINCAE PERVINCAE LATIFOLIAE seu MAJORIS. Grosses Sinngrün. *Herbe de grande Pervenche.* — *Vincae majoris* L., fruticuli Europae australis passimque Germaniae, nobis hortensis, praecedentis similis, sed in omnibus partibus majoris, caule erecto crassiore, Folia late ovata, glabra, nitentia, juniora subciliata. — Viribus praecedentis praedita.

HERBA VIOLAE MATRONALIS, seu DAMASCENAE, Hesperidis. Rothes Nachtviolenkraut. *Herbe de la Julienne, de Cassolete.* — *Hesperidis matronalis* L. (Fl. Bad. III. 80. — Cl. cet. v. Hb. Nasturtii p. 138.), plantae perennis Europae mediae, Sibiriae passimque Germaniae et hortensis, caule erecto firmo, retrorsum hispido, floribus terminalibus racemosis, speciosis, pallide violaceis, purpureis vel albis (in hortis saepius pleni occurrunt), grate odoratis, Folia magna petiolata, ovato-lanceolata, acuminata, hispida, obscure viridia, firma; trita odore nasturtiino, sapore herbaceo, acri-pungente. — Hodie obsoleta.

HERBA VIOLAE PEDATAE L. Gefingertes Violenkraut. *Herbe de Violette digitée.* — (Cl. v. Flor. Violar. p. 74.), plantae perennis Americae borealis, acaulis, Folia pedata, multipartita, laciniis subspathulatis, bidentatis, subtus (cum petiolo) glabra. — In America pro medicamento adhibetur.

HERBA VIOLARIAE. Veilen- oder Veilchenkraut. *Herbe de Violette de Mars,* (v. Flor. p. 74.) Folia radicalia longe petiolata, reniformi-cordata, saturate viridia, juniora pilosula, aetate provectiore glabriuscula, superne autem punctis elevatis cum pilis brevibus sparsis praedita, hinc subaspera; inodora, sapore herbaceo mucilaginoso, post subgutturali. — *Part. const.* et *Vires:* Florum, aromate autem carens. — Hodie vix adhibetur.

HERBA VISCAGINIS. Ohrlöffelkraut, Feldliebender Taubenkropf. *Herbe de Silène Otites.* — *Silenes Otites* PERS. (*Cucubali Otites* L. — Fl. Bad. II. 248.), e cl. Decandria, ord. Trigynia, fam. Caryophyllearum, plantae perennis indigenae, locis sabulosis, asperis passim, caule erecto geniculato, piloso, subglutinoso, subsimplici, floribus verticillatis, racemum terminalem interruptum formantibus, parvis, viridi-flavescentibus, Folia radicalia in orbem digesta, petiolata, spathulato-cuneiformia, obtusa, caulina opposita, sessilia, connata, lineari-cuneiformia, subconcava, omnia integerrima, pilosa, flavescente viridia, firmiuscula, sapore amariusculo, subadstringente. — Hodie obsoleta.

HERMODACTYLI, Radix Hermodactyli, Anime articulorum. Hermodatteln, fremde Zeitlosen-Wurzel. *Hermodattes, Racines d'Hermes.* — *Colchici variegati* L. (*Colchici Illyrici* (?) — Cl. cet. v. Flor. Colchici p. 65.), plantae perennis Europae australis et Orientis, radicum Bulbi. — Prostant mundati, cordati, vel ovato-cordati, convexo-complanati, hinc sulco excavati, Castaneis vescis (p. 28.) magnitudine atque figura quodammodo similes, externe sordide flavescentes, vel fuscescentes, intus albi, solidi, facile frangendi; farinosi, inodori, sapore debili, subgutturali. — *Part. const. praev.:* Amylum et Veratrium (?). — *Vis:* purgans, antarthritica, antirrheumatica. — *Usus:* In substantia. — *Praep.:* Decoctum antipodagricum Viennense (Confer. Rad Colchici). — Hodie vix adhibentur. — Plerumque enim vetusti, ab insectis corrosi, plane insipidi atque inertes occurrunt.

HERMODACTYLI SPURII. Falsche Hermodatteln. *Fausses Hermodattes.* — Tuberi oblongi, magnitudine nucis avellanae radicis Iridis tuberosae L. (Cl. cet. v. Rad. Iridis), plantae perennis iisdem passim locis ac praecedens crescentis.

HIRUDINES, Sanguisugae. Blutegel, Blutigel. *Sangsues.* — *Hirudo medicinalis* L. Vermes ex ord. Annulatorum, fam. Gymnodermatorum, in paludibus rivulisque lente fluentibus obvii, corpore subcylindrico, antrorsum attenuato, annulato. in dorso convexo, subtus plano, capite obtuso, ore 3-ungulari, labio membranaceo, adhaerescens in discum mutari apto, mandibulis dentatis, dentibus minutissimis acutissimis praeditis, oculis minutissimis 10, ano obtuso discoideo, dorso atrofusco, fasciis 6 longitudinalibus fusco-luteis picto, quarum duae intermediae subcatenatae, duae exteriores marginales; subtus sordide olivaceo, nigro-maculato (variat

in dorso colore obscure olivaceo, [interdum laete fusco et rubro-maculato] fasciis magis interruptis, et subtus subimmaculato corpore. Molles sunt vermes, lubrici, in aqua pura, minime sales calcareos continente caute asservandi sunt et aqua saepius renovanda est; vel asservari quoque possunt in argilla aut turfa, aqua humectata, loco umbroso. *Usus:* Ad sanguinem sugendum cuti applicantur. — Sint sanae, agiles, minime morbidae vel colore extraneo et corpore nodoso, aut sanguine repletae, quae rejiciendae. — Cave confundas cum Hirudine Gulone BRAUNII (*Hirud. Sanguisuga L.*), Pferdeegel, Roßegel, quae dicitur, eis simillima, sed discrepante colore in dorso plerumque viridescente-nigro, et fasciis longitudinalibus luteis carente, quorum loco passim in dorso punctis irregularibus praedita est, et lineis marginalibus pallide luteis, subtus colore viridi-flavicante, plerumque immaculata, oculis facilius conspicuis et mandibulis dentibus obtusis praeditis. Hinc cutem persecare et sanguinem exsuccare nequit.

HIRUNDINES. Schwalben *Hirondelles.* — *Hirundo rustica* L. et *Hirundo domestica* L., aves notissimae, ex ord. Oscinum, fam. Hiantium. — Olim exsiccabantur et comburebantur; porro earum Sanguis et Nidi adhibebantur — Praeterea ad parandam Aquam Hirundinum et sine et cum Castoreo usurpabantur.

HORDEUM. Gerste. *Orge.*

Synon.: Semen Hordei.

Hordei vulgaris L. Hordei distichi L., Hordei hexastichi L., aliarumque Hordei specierum (Fl. Bad. I. 279—282 — Cl. v. Amylum p. 6.) cerealium annuarum tritissimarum, Fructus. — Caryopsis plerumque tunicata, ovalis, utrinque attenuata, sulco longitudinali notata, gluma calycina 5-nervia, apice arista longissima, firma, aspera armata, tecta, colore plerumque sordide flavicante. (Plures autem sunt varietates.) Hordeum crudum, rohe Gerste, *Orge crue*, nominatur. Tunica per molendinam exuta, granula formans oblonga, vel plus minus globosa, alba et flavescentia, farinosa, et Hordeum mundatum, perlatum, Semen hordei mundati, geschälte Gerste, gerollte Gerste, Perlengraupen, *Orge monde (perlée)* audit. Inodora est et fere insipida. — *Part. const. praev.:* Amylum, Saccharum, Gummi et Materia glutinosa. — *Vis:* maxime nutriens, roborans, demulcens.

Cave ne sit ab insectis erosum vel ustilagine corruptum, aut Lolio temulento (vide Semen) intermixtum.

Usus: In decocto, additur speciebus. — *Praep.:* Farina praeparata, Saccharum hordeatum, (Cremor) Cerevisia. — Additur aliis quoque compositionibus.

INDIGO, Indicum, Color Indicus, Pigmentum Indicum. Indig, *Indigo, Inde.* — Paratur ex *Indigofera tinctoria* L., *Indigofera Anil* L., *I. argentea* L., e. cl. Diadelphia, ord. Decandria, fam. Leguminosarum, fruticibus utriusque Indiae, e Wrightia tinctoria R. BROWN (Cl. v. Cort. Conessi p. 46.), arbuscula Indiae orientalis, Isatide tinctoria L. (v. Herba Glasti p. 121.) et passim aliis plantis, praecipue leguminosis, maceratione vel digestione foliorum in aqua et conquassando aquam decantatam aëris aditu, dum pigmentum solutum in granula concrescat, quod subsidendo et edulcorando depuratur et siccatur. — Occurrit in cubis 2-3 pollicaribus vel frustulis irregularibus, levibus, compactis, sed friabilibus; colore obscure coeruleo; ungue si fricatur, nitorem assumit cupreum. Optimus censetur Indigo orientalis et Guatimalo. Insipidus est et inodorus; in aqua frigida, in spiritu vini, liquoribus alcalinis et acidis dilutis fere insolubilis et immutabilis; caloris ope partim avolat in vaporibus purpureis, qui refrigescentes, crystallos aciculares purpureo-cupreas, splendentes exhibent; igne aperto comburitur. Ope olei vitrioli fumantis solvitur, in solutione nigro-azurea Indigo quodammodo alterata est, ita ut in aqua pura solvi possit. Alcalia aquosa ope corporum desoxydantium, e. g. vitrioli martis, Indigo solvunt simulque decolorant, aëre admisso, solutio autem

colorem coeruleum recuperat atque Indigo regeneratum deponit. Chlorum aquosum et alcalia chlorosa colorem statim destruunt. uti et acidum nitricum calore adjuvante. — *Part. const. praev.:* Principium organicum sui generis azotum continens (Coeruleum indicinum, Indigotium, Indigotinum). — *Vis:* adstringens, febrifuga (?), contra icterum (?) — *Usus:* Ut medicamentum rarissime adhibetur. Ad tingendas varias species cet. passim usurpatur. — *Praep.:* Tinctura alcoholica, Tinctura acida, ut Reagens. — Sit aqua levior, colore nigro-azureo, in oleo vitrioli fumante penitus dissolubilis; frusta sordide coerulea, ungue si affricantur nitorem cupreum non assumentia vel mucida, graviora, in oleo vitrioli aegre et partim tantum solubilia, rejiciantur.

INDIGO IN TABULIS. Platt-Indig, Tafel-Indig. *Indigo en tablettes.* — Frusta tabulata, 4-gona, terrea, colore languido coeruleo. — Artefactum est ex Tinctura Indigo acida cum Creta vel Terra argillacea. — Ad tingendum passim adhibetur.

† JODUM. Jod. *Jodine.*

Synon.: Jodium, Jodinum; Jodine. Antalogen.

Obtinetur e muria Sodae fucinae (Kelp, Varec-Soda.) ope acidi sulphurici et mangani hyperoxydati destillando. — Lamellas exhibet micaceas squamiformes, et crystallos format rhombico-octaëdricas, colore nigro-griseo et nitore metallico, Graphiti (p. 85.) simili, in tenuissimis particulis colore rubro subdiaphanas, molles, friabiles; p. spec. 4,948, vim electricam non ducentes; odore gravi, chloro et fucis simili, sapore acerbo, maxime irritante. Jodum leni calore funditur et sub forma vaporum pulchre-violaceorum avolat, qui, refrigescentes, indurescunt et colorem Jodi supra memoratum recuperant. P. M. 789,145; pigmenta organica delet et omnia fere corpora organica colore fusco mox evanescente imbuit, cum Amylo autem mixtum azureum praebet; in aqua aegre, facile autem in alcohole vini et aethere solubile est. — *Vis:* maxime irritans, resorbens, antiscrophulosa, strumalis, emmenagoga, in majori dosi facile toxica.

Cave ne sit aqua irroratum, quae detegitur, si inter chartam bibulam premitur, vel Graphite, Antimonio crudo cet. inquinatum, quod facile caloris ope detegitur; jodum purum nempe penitus avolat, corpora aliena autem restabunt.

Usus: Interne cautissime in minutissima dosi, in multa aqua soluta, et externe. — *Praep.:* Tinctura alcoholica et aetherea, Acidum jodicum (ut Reagens) Acidum hydriodicum et hydriodosum, Sulphur jodatum, Kalium jodatum, Kali hydriodosum, (Kali jodicum), Arsenicum jodatum, Natrum hydriodicum, (Baryum jodatum), Calcium jodatum, Ferrum hydrojodicum, Hydrargyrum (Mercurius) jodatum et bijodatum, Syrupus Jodi, Unguentum jodatum, Joduretum Carbonei (?) — Aliis quoque additur compositionibus.

JUJUBAE, Baccae Jujubae seu Zizyphi. Brustbeeren, rothe. *Jujubes.* — *Zizyphi vulgaris* LAM. (*Rhamni Zizyphi* L. — Cl. cet. v. Baccae Spinae cervinae p. 18.), fruticis vel arbusculae aculeatae Europae australis passimque Germaniae, Africae borealis et Orientis, Fructus. — Drupae bacciformes, ellipsoideae, glabrae, rubrae, nitentes. Siccatae prostant rugosae, utrinque depressae, inferne rudimento calycis et pedunculo brevissimo praeditae, fuscescente-rubrae, variae magnitudinis; subpollicares, oblongae, Jujubae gallicae, französische Brustbeeren, vel subsemipol-

licares, subglobosae, **Jujubae italicae**, italienische Brustbeeren, quae dicuntur; inodorae, sub cortice tenui paululum tenaci, carnem albidam vel fuscescentem, subfarinoso-glutinosam, grate dulcem, mucilaginosam et pyrenam magnam, ovalem, rugosam, apice pungente, duram, bilocularem, plerumque monospermam includentes.— *Part. const. praev.:* Saccharum et Mucilago. — *Vis:* demulcens, pectoralis, nutriens. — *Usus:* In decocto. — *Praep.:* Pasta, Syrupus. — Aliis quoque additur compositionibus, praecipue Speciebus pectoralibus. — Sint recentes, carnosae, grate dulces; exsuccae autem et nimis corrugatae vel ab insectis erosae, rejiciantur.

JULI JUGLANDIS seu NUCIS. Welsche Nußbaumblüthe. *Jules de Noyer commun.* — *Juglandis regiae* L. (v. Cort. p. 48.), Flores masculini. Amenta speciosa, crassa, obscure viridia, facile nigrescentia, imbricato-squamosa, rigidiuscula, ex flosculis apetalis polyandris exhibentia. — Hodie obsoleta.

† KALI BORUSSICUM. Blausaures Kali. *Prussiate de Potasse.*

Synon.: Kali ferro-hydrocyanicum, Kali zooticum, K. siderozooticum, Borussias Potassae et Oxyduli Ferri, Prussias Lixiviae seu Potassae et Ferri, Hydrocyanas Potassae ferruginosus, Ferrocyanas Potassae, Cyanuretum Kalii et Ferri cum Aqua. Blausaures Eisenoxydul-Kali, Kalium-Eisencyanür wasserhaltiges, Blutlaugensalz, phlogistisirtes Kali. Hydrocyanate de Potasse ferruré, Cyanure de Potassium et de Fer.

Paratur plerumque in officinis peculiaribus, raro a pharmacopolo ipso, ustione corporum animalium, azotum continentium, e. g. sanguinis, cornuum cet. vel carbonum animalium, cum cineribus clavellatis, vel nitro et ferro, et admiscendo tunc lixivio sanguinis, hoc modo obtento, vitriolum martis quantum satis; uti et decomponendo Coeruleum berolinense ope liquoris kali caustici. Lixivium uno alteroque modo cum aqua obtentum evaporatione in crystallos redigitur, quae iterata crystallisatione depurandae. — Prostat in crystallis cohaerentibus pallide flavis, diaphanis, quadraticis, depressis, marginibus et passim angulis obliquis praeditis; p. sp. 1,832; sapore dulciusculo, subacerbo, parum salso. Facile est solubile in aqua. Solutio cum sale aliquo ferri oxydati commixta praecipitatum praebet coeruleum; insolubile est in spiritu vini. — *Part. const.:* Kali 2, Ferri oxydulati 1 et Acidi borussici 3 p. M. Temperatura ordinaria aëris aditu immutabile, leni calore autem in pulverem album, Kalium ferro-cyanatum, fatiscens, calore rubrocandente ferrum cyanatum decomponitur, gas azoticum exit et miscella e kalio cyanato et ferro cum carbone remanet. — *Vis:* narcotica, deprimens, (?) lithontriptica, facile toxica.

Sint crystalli purae, figura supra descripta. Solutio aquosa acido acetico acidulata, nec addita baryta muriatica, album, nec addito acido sulphurico diluto in frigore coeruleum praebeat praecipitatum.

Usus: Ut medicamentum rarissime. — Ad parandum Acidum borussicum praecipue adhibetur; inservit quoque ut Reagens.

KELP HYDRIODAS NATRI vel **Sodae impurus.** Varech-Soda, Wrack. *Soude de Varec.* Paratur incineratione variarum Algarum marinarum. — Soda est impura Jodum continens, quod praecipue ex ea obtinetur (v. supra.).

KIKEKUNEMALO, **Gummi seu Resina Kikekunemalo.** *Gomme Kikekunemalo.* — Hoc nomine resina ex America advehebatur, resinae Guajaci vel potius Carannae (p. 25.) similis; forsitan eadem secundum aliam descriptionem resina esse fertur Copalo albo (p. 41.) similis. Convenit fortasse partim cum Resina Dammar (ibidem)? — Ad suffitus olim adhibebatur. — Oleum aethereum quoque ex ea parabatur quod ut antarthriticum et antispasmodicum praescribere solebant. — Hodie exolevit.

KINO, **Gummi seu Resina Kino, sive Gambiense, Gummi rubrum, Adstringens Gambiensis seu Fothergilli.** Kino. *Kino, Gomme Kino ou de Gambie.* — Extractum seu Succus aëre induratus *Pterocarpi Senegalensis* Hook. (*Drepanocarpi Senegalensis* Nees ab Esenb. — Cl. cet. v. Folia Sennae p. 79.), arboris Senegalensis. — Occurrit in massis facile friabilibus; plerumque autem prostat in granis vel frustulis discretis, irregularibus, acutangulosis, splendentibus, colore rubro-nigro, margine puniceo-subdiaphanis, quae facile in pulverem pulchre fusco-rubrum redigi possunt. Inodorum est, sapore peradstringente, dulciusculo, haud ingrato, salivam colore violaceo tingit; in aqua frigida dimidia circiter ex parte, in aqua calida penitus fere solvitur. Solutio ope ferri muriatici oxydati colore atro-viridi, ope mercurii sublimati corrosivi colore carneo, ope sacchari saturni colore obscure sordide griseo-violaceo et ope tartari emetici statim colore laete fuscescente-rubro turbatur; in spiritu vini fere plane solubilis, solutio sanguinea apparet. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum adstringens. — *Vis:* tonica, roborans, styptica. — *Usus:* In pulvere, pilulis, mixturis. — *Praep.:* Tinctura, Syrupus. — Aliis quoque additur compositionibus. — Praeter hoc Kino Africanum genuinum aliae species in commercio sunt, minoris tamen pretii, v. g. 1) Kino orientale seu asiaticum, a Butea frondosa Roxb. (Cl. cet. praeced.) arbore Indiae orientalis derivatum. — Massas exhibet magis cohaerentes, colore obscuriore fusco; minus nitentes. 2) Kino americanum seu occidentale a Coccoloba uvifera L. (?) (Cl. cet. v. Hb. Centumnodii p. 106.), arboris Americae australis et Indiae occidentalis. — Prostat in glebis magnis, subnigris, fragilibus, fractura resinoso-splendentibus; sapore adstringente et amaro. Solutio aquosa ferri muriatici oxydati ope colore coeruleo-nigro imbuitur. 3) Kino australe seu Novae Hollandiae, ab Eucalypto resinifera Sm. (Cl. cet. v. Cort. Granator. p. 47.), arbore Novae Hollandiae, derivatum.— Frusta referens magna, fragilia, fractura splendentia, chocoladea, inaequaliter colorata, scoriis ferri similia; sapore adstringente amariusculo. Solutio aquosa fusca, vitrioli martis ope colore fusco-nigro imbuitur. — Species hae et aliae hoc nomine occurrentes, uti et Kino impurum, opacum, sapore alieno, in aqua calida et spiritu vini partim tantum solubile, rejiciantur.

LAC ASININUM. Eselsmilch. *Lait d'Ane.* — *Ab Equo Asino* L., animali notissimo. — Liquor notissimus, albus, grate dulcis. — *Part. const., Vis* et *Usus:* Ut Lac vaccinum (v. infra). Aegrotis, praecipue phthisicis, reconvalescentibus, nutriendi ergo ut remedium facillime concoctu commendatur.

LAC CAPRINUM, seu Caprillum. Geißmilch *Lait du Chèvre.* — A Capra, animali domestico notissimo. — Liquor praecedenti similis, sed odore quodammodo hircino, sapore autem grate dulci. — *Part. const.* et *Vis:* praecedentis — similique modo adhibetur.

LAC LUNAE, Agaricus mineralis, Marga saxatilis, Calcareus lactiformis. Mondmilch, Montmilch oder Bergmilch, Bremehl. *Lait de Lune, Lait de Montagne, Farine fossile, Agaric mineral.* — Reperitur in rimis et cavernis montium calcareorum Germaniae, Helvetiae cet. — Glebae amorphae, leves, passim spongiosae, albae vel lutescente-aut cinerascente-albae, opacae, tactu siticulae, inquinantes, linguae non admodum adhaerentes, friabiles. — Calcaria est carbonica impura. — Olim ut absorbens, ad lactis augmentationem (?) adhibebatur. — Hodie exolevit.

LAC VACCINUM. Kuhmilch. *Lait de Vache,*

Synon.: Lac bubulum.

A vacca (v. Butyrum p. 22.) producitur. — Liquor notissimus, albus, opacus, spissiusculus, lacte animalium supra memoratorum spissior; p. spec. circiter 1,03; inodorus fere, sapore grate dulciusculo; tempore in quiete cremorem in superficie deponit, et aëre adjuvante coagulatur, recens autem caloris ope per se non, sed addito acido vel salibus pluribus, stomacho vitulino cet. coagulatur et in caseum serumque secernitur. — *Part. const. praev.:* Butyrum (p. 22.). Caseus (p. 27.), Acidum lacticum, et Saccharum Lactis, multa cum Aqua mixtum. — *Vis:* maxime nutriens.

Sit recens, proprietatibus supra memoratis praeditum. Lac tenue, coerulescens, subdiaphanum, vel odore et sapore alieno, aut Lac coagulatum, rejiciatur.

Usus: diaeteticus. Praescribitur passim et interne et externe. — *Praep.:* Pulvis, Cremor, Serum, Butyrum, Saccharum. — Lac ebutyratum. Buttermilch. *Babeurre.* Liquor tenuis, albidus, grate

acidulus, subpinguosus, qui inter conficiendum butyrum obtinetur, passim ut refrigerans et nutriens commendatur.

LACCA, Gummi Laccae. Lack, Gummilack. *Laque, Gomme Laque.* — Substantia resinosa per *Coccum Laccam* L., insectum hemipterum, e fam. Coccorum, ramis *Ficus religiosae* L. et *F. indicae* L. aliarumque forsitan arborum Indiae orientalis insidens, producta. — Distinguuntur 1) Lacca in baculis, vel in ramulis, seu ramis. Stocklack. *Laque en bâtons.* Frusta ramulorum variae magnitudinis, quae obteguntur massa resinosa, 1 — 4 lineas crassa, fusco-rubro-lutescente, in superficie tuberculoso-rugosa, parum nitente, poris minutissimis perforata, fragili, intus cellulosa, splendente, subdiaphana; quae cellulae pupis oblongis, nigris, sapore adstringente, salivam colore purpureo-violaceo tingentibus passim repletae sunt. Lacca haec inodora et insipida est, leni calore partim tantum liquefit, et in alcohole ex parte solummodo solvitur. — 2) Lacca in granis. Körnerlack. *Laque en grains.* Frustula parva, seu grana discreta irregularia, gibbosa, colore laete vel obscure fusco, plus minus in rubrum vel luteum abiente, paullum nitentia, passim fragmentis ramulorum intermixta, ceterum eodem modo, quo praecedens sese habentia. — 3) Lacca in tabulis. Schellack. *Laque plate, Laque en masses* ou *en pains:* obtinetur e Lacca in granis seu in ramulis, colore suo privata, liquefaciendo caloris ope, exprimendo et colando partem liquefactam et effundendo in folium Musae cet. — Lamellas exhibet ½ — 1 lineam crassas, colore laete vel saturate flavo-fusco, subdiaphanas, nitentes, duras, sed fragiles, aliquantulum sonantes, inodoras et insipidas; quae leni calore facile funduntur, in aqua plane non, facile tamen et quidem penitus solubilis in alcohole vini. - *Part.* Laccae *const. praec.:* Resinae duorum generum et Principium extractivum rubro-colorans. — Lacca in tabulis autem Principio colorante et Resina cerea in alcohole vix solubili omnino fere privata est. — *Vis:* priorum specierum substyptica (?). — *Usus:* Interne et externe, sed raro, adhibetur. — *Praep.:* Tincturae variae. — Lacca in tabulis ad parandam Laccam sigillatam praecipue adhibetur.

LACCA COERULEA, Lacca musica, Laccae Muscus. Lackmus, blauer Lack. *Tournesol en pâte, en pain, en pierre.* — Paratur e *Rocella tinctoria* Ach. (*Lichene Rocella* L.) *Lecanora tartarea* Ach. (*Lichene tartareo* L.), quorum posterior Europae borealis passimque Germaniae, prior insularum Azoricarum incola, aliorumque Lichenum, maceratione harum plantarum conquassatarum cum cineribus clavellatis et urina, dum massa, aëre adjuvante, colorem coeruleum assumserit, quae admixta calcaria in taleolas secatur et siccatur. - Prostat in frustulis oblongo-tetragonis, terreis, odoris et saporis expertibus, quae, cum aqua vel spiritu vini macerata, tincturam praebent coeruleam, qui color, addito acido, statim in rubrum abit, addito autem aliquo alkali, coeruleum recuperat colorem. — Ad tingendum et ut Reagens adhibetur.

LACCA FLORENTINA. Florentiner Lack. *Lacque* ou *Laque fine de Florence.* — Ex residuo coccionellarum ad parandum Carminum adhibitarum cum terra aluminosa, vel e Ligno Fernambuci (p. 171.) cum Kali et Alumina paratur. — Prostat in commercio in conis minutissimis, pulchre rubris. — Olim ut adstringens et ad tingendos varios pulveres, praecipue dentifricios cet., adhibebatur. — Hodie merito exolevit.

LACCA IN GLOBULIS. Kugellack *Laque colombine, Laque en boules.* Globuli pollicares et ultra, dilute purpurei vel violaceo-rubri, friabiles, inquinantes; inodori et insipidi. — E Ligno Brasiliensi (p. 171.) cum Kali, Alumina et Creta conficiuntur. — Eodem modo ac praecedens adhibebantur. — Hodie exoleverunt. Inserviunt pictoribus et ad infucandum.

LACERTA AGILIS L. Gemeine Eidechse, graue oder Kupfer-Eidechse u. s. w. *Lezard gris, Lez. de murailles.* — Amphibium tetrapodum ex ord. Saurium, fam. Lacertarum, locis siccis apricis, saxis, muris, sepibus cet. vulgare, 5 — 7 pollicare, corpore longo, superne squamis minutis irregulariter tecto, abdomine et collo peltigero, capite parvo sub-4-gono, supra laminis paucis tecto, ossibus cranii supra oculos prominulis, dentibus parvis biserialibus, cauda longa fragili, squamis tecta, pedibus 5-digitatis, ungulis acutis praeditis; colore superne fusco, in lateribus, abdomine et pedibus viridi; plus minus nigro-maculatum et striatum est. Variat colore maculisque. — *Vis:* nutriens, antipsorica, antisyphilitica, diuretica, vulneraria. — *Usus:* Olim in substantia. — *Praep.:* Oleum coctum. — Hodie merito exolevit.

LADANUM, Gummi seu Resina Ladanum vel Labdanum, Ladan. Ladanum, Gummi-Ladanum. *Ladanum.* — Resina ex ramulis foliisque *Cisti cretici* L., *Cisti cyprii* Lam. passimque *Cisti ladaniferi* L. aliarumque Cisti specierum, e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Cistinearum, fruticum orientalium et Europae australis, exsudans, ab incolis ope flagellorum ex loris coriaceis pectinatim junctis constructorum aut a barba hircorum et caprarum inter Cistos pascentium, cui adhaeret, colligitur. — Prostant in commercio: 1) Ladanum in massis. Ladanum in Massen oder Broden. *Ladanum en masses.* — Glebae plerumque grandes, in vesicas inclusae, colore obscure rubro, subnigro, consistentia tenaci, picis instar,

glutinosae, fractura subgrisea, celeriter nigrescente; odore gratissimo, forti, balsamico, Ambrae (p. 4.) simili, sapore amaro balsamico, irritante; in spiritu vini maxima ex parte solubiles, insolubiles in aqua, facile inflammabiles. (Raro haec species genuina occurrit). Convenit cum eo Ladanum e Barba. 2) Ladanum in tortis. Gewundenes Ladanum. *Ladanum en tortis.* Usitatissima species. Spiras exhibet cereorum instar, sed complanatas, colore griseo-nigro, opacas, fragiles, digitis tractatae non mollescentes sabuloque intermixto conspicuas; odore et sapore praecedentis, minus autem inflammabiles et in spiritu vini minima ex parte tantum solubiles; quippe multa terra et arena relinquentes. Olim haec species purissima fuit. Duae modo descriptae ex Oriente, Graecia advehuntur. 3) Ladanum in baculis. Ladanum in Stangen oder Stöcken. *Ladanum en bâtons*, a Cisto ladanifero derivatum. — Ex Hispania adducitur in baculis succi liquiritiae similibus; odore minus grate balsamico. Pariter Resina est multa terra intermixta. 4) Ladanum liquidum. Flüssiges Ladanum. *Ladanum fluit.* — Ex America, Canada, a planta adhuc incognita oriundum. Massa est semifluida, colore atro-fusco; odore grate balsamico. — *Part.* Ladani *const. praec.*: Resina propria et Oleum aethereum. — *Vis:* irritans, nervina. — *Usus:* Interne hodie rarissime, externe ad suffitus. — *Praep.*: Tinctura. — Additur multis compositionibus, e. g. Laccae ad fornacem, Candelis et Pulveribus fumalibus cet. — Sit odore grate balsamico; arena autem et terra non nimis adulterata. — Cave confundas cum Ladano artificiali ex resinis variis alienis, oleis aethereis cet. facto, quod ex odore alieno praecipue cognoscitur.

LAPIDES seu OCULI CANCRORUM, sive Calculi Cancri, Lapilli Cancri, Concrementa Astaci fluviatilis. Krebsaugen, Krebssteine. *Pierres ou Yeux d'Ecrevisse.* — *Astaci fluviatilis* FABR. (p. 24) Concrementa lapidea, tempore, quo cancer crustam deponit, prope stomachum reperiunda, figura plano-convexa, cum margine in latere plano prominula, lentis ad cerasi magnitudine, colore albo, passim sub-rubello; modice dura, fragilia, ex lamellis concentricis constructa; inodora et insipida, in aqua, spiritu vini et liquoribus alcalinis insolubilia, in acido salis, nitri, aceti autem inter effervescentiam solubilia, lamellas diaphanas gelatinosas relinquentia; caloris ope nigrescentia, tunc in calcem ustam abeuntia. Praecipue ex Polonia, Bessarabia, Astrachan cet. advehuntur. — *Part. const.*: Calcaria carbonica et Membrana cellulosa. — *Vis:* absorbens. — *Usus:* In pulvere, electuario; mixturis quoque admiscetur. — *Praep.*: Lapides Cancrorum ppti. — Multis aliis etiam adduntur compositionibus. — (Cave ne artificiales emas, qui aut in acidis supra memoratis penitus solubiles, aut plane insolubiles sunt, nunquam autem lamellas gelatinosas relinquunt.

LAPIDES CARPIONUM. Karpfensteine. *Pierres de Carpe.* — *Cyprini Carpionis* L., piscis ex ord. Gasteropterygiorum, fam. Leptocephalorum, in fluviis et lacubus obvii, notissimi, carne sapidissimae; Ossicula basillaria, calvaria, complanata, 3-gona, altero latere convexa, altero subplana, cum linea in medio prominula, fab e minoris circiter magnitudine, lutescentia, subdiaphana, cartilaginea. — Uti et

LAPIDES PERCARUM. Pirsching-, Flußbarsch-Steine oder Knochen. *Pierres de Perches.* — Ossicula exigua *Badiani cernui* BL. (*Percae cernuae* L.), ex ord. Sternopterygiorum, fam. Ortostomatarum, piscis in fluviis vulgaris, Auditoria vix lentis magnitudine, ovalia, depressa, margine crenulata, uno latere linea exarata, alba, vel *Percae fluviatilis* L. (Cl. cet. praeced.), piscis fluviatilis praecedente majoris, Ossicula, similia sed majora, fabae vulgaris magnitudine, oblonga, subincurva, convexo-concava, in dorso linea longitudinali prominula vel duabus notata, margine crenata, alba, nitentia, dura. — Hodie merito exoleverunt.

LAPIS ACHATES. Achat. *Agate.* — Reperitur in montibus antiquioris aevi, conglomeratis (Mandelsteinarten), Porphyro, cet. Badarum, Palatinatus, Saxoniae, Silesiae, Bohemiae, Hungariae, Sibiriae, et in aliis terris. — Lapis durissimus, saepius in globulis obvius, multipliciter variegatus. Miscella est variorum lapidum siliceorum, e. g. Chalcedonii, Quarzii, Amethysti, Carneoli, Jaspidis cet. — Olim ut medicamentum adhibebatur. — Hodie merito exolevit.

LAPIS AETITES, seu Aquilae. Adler-Stein, Klapperstein, Teufelsbrod *Pierre d'Aigle.* — Reperitur in montibus stratificatis junioribus et alluvionibus, Germaniae, Italiae, praecipue Sienae cet. Globuli lapidosi subrotundi vel ovales, ovi gallinacei passim magnitudine, colore sordide fusco lutescente vel rubente, cavi, alium lapidem, quasi ut nucleum Callimum qui dicitur, laxe includentes, ita ut inter agitandum crepitent. — Est Ferrum oxydatum hydratum cum Argilla, geodae species, germanice quam vocant Schaaliger Thoneisenstein — Olim dementer ad partum promovendum adhibebatur. — Hodie merito exolevit.

LAPIS AMETHYSTUS. Amethyst *Ametiste.* — Reperitur in montibus primitivis et secundariis, fissuris, venis (Gänge quae dicuntur) vel in globis cavis achaticis, et dispersi in terra alluviali. — Crystallos format plerumque pyramidato-dodecaedricas, saepius autem dimidia tantum ex parte formatas; colore pulchre violaceo, raro rosaceo, pellucidas, splendentes, perduras. — Quarzii est species crystallisata. — Constat ex Silicia, pauxillo Mangani oxydati colorata. — Amethystus orientalis. Orientalischer Amethyst *Amethist orientale.* — Hoc nomine etiam Corundi species, colore pulcherrime violaceo, gemma durissima, pretiosissima, Ceylone occurrens, intelligitur (v. Lap. Sapphyrus). — Ceterum nomine Amethysti etiam spathum fluoris violaceum venditur, quod mollius, chalybe affrictum non scintillat. — Olim Amuleti instar ut antidotum contra ebrietatem gerebatur. — Hodie obsoleta.

LAPIS AMIANTHUS v. Alumen plumosum p. 4.

†LAPIS ARMENIUS, Coeruleum montanum, Cuprum Armenum. Armenierstein, Kupferlasur, Bergblau *Pierre d'Armenienne, Azur.* — Reperitur in montibus primitivis et secundariis cum aliis

cupri mineris passim.— Crystallos exhibet oblique rhombicas et inde derivandas, colore pulchre et saturate azureo, semipellucidas, nitentes, quae aggregatae globulos passim formant; ceterum et occurrit in massis racemosis, reniformibus, stalactideis, atque amorphis, subdiaphanis vel opacis, colore plus minus intense vel laete coeruleo. Fragilis est et passim friabilis; insolubilis in aqua, solubilis autem in acidis fortioribus inter effervescendum; ignitus cuprum oxydatum relinquens. — Est Cuprum oxydatum 2/3 parte carbonicum cum Aqua. — *Vis:* emetica, toxica. — Hodie exolevit.

LAPIS APATITES. Apatit, Spargelstein, Morerit, Phosphorit. *Pierre Apatite.* — Occurrit in montibus primitivis et secundariis, plerumque cum pluribus aliis mineralibus et aeribus, e. g. stanneis et ferreis, consociatus. Crystallos format prismaticas, regulariter hexaedras et inde derivandas. Occurrit in crystallis, massis crystallinis, racemosis, reniformibus et amorphis, colore albo-flavescente vel griseo-albo-flavo et fuscescente, vel pellucidis vel opacis, modice duris; p. spec. 3,2. In igne immutabilis est, solubilis autem in aqua forti, et quidem sine effervescentia. Est Calcaria 2/3 phosphorica cum parva quantitate Calcii chlorati vel fluorati mixta. — *Usus:* Adhiberi potest, si purus, pariter ac Cornu Cervi ustum album (p. 42.).

LAPIS BEZOARDICUS FOSSILIS, Bezoar fossile. Gegrabener Bezoar. — Hoc nomine lapis quidam subrotundus, vel irregularis, planus, diversa crassitudine, externe squamosus, colore albo vel cinereo, ex Europa meridionali et praecipue e nova Hispania adferebatur. — Verisimile est petrefactum esse ex Calcaria carbonica constans. — Ut sudoriferum adhibebatur. — Hodie exolevit.

LAPIS BUFONIUS seu BUFONITES, Batrachites, Brontias, Chelonites, Ichthyolithus Bufonites L. Krötenstein. *Pierre Crapaudine, Batrachite.* — Reperitur per terram dispersus praecipue in Dania cet. — Corpora lapidea, orbicularia, convexo-concava, lentis vitreae similes, nucis avellanae magnitudine, colore dilute-castaneo vel flavescente. Ossa palati esse feruntur fossilia Anarrhichatis Lupi L., quod tamen non probabile. — Praecipue ex Calcaria carbonica constat. — Hodie exolevit.

LAPIS CALAMINARIS, Cadmia fossilis. Galmei oder Gallmei. *Pierre Calaminaire, Calamine, Cadmie.* — Reperitur in montibus primitivis, transitivis et stratificatis, Badarum, Silesiae, Carinthiae, circa Aquisgranum, Galliae, Angliae cet. passim frequens. — Minera metallica, crystallos formans et rhomboedricas et prismaticas, recte rhombicas cet., plerumque autem occurrit in massis racemosis, reniformibus, stalactideis et amorphis, diaphanis, nitentibus, saepius autem opacis, colore subflavo, griseo, rufescente cet., dura, tactu plerumque siticula; p. spec. 4,4 et 5,4, immutabilis in aqua, ignis ope non funditur, in acidis fortioribus aut inter effervescendum solubilis, aut sine effervescentia emollescens, intumescens massamque praebens gelatinosam. — *Part. const. praev.:* aut Zincum carbonicum, aut Zincum silicicum cum Aqua, plerumque Ferro oxydato, Argilla et Silicia plus minus inquinata. — *Vis:* exsiccans, ophthalmica. — *Usus:* Externe in pulvere cum aqua, in unguentis. — *Praep.:* Pulvis (Lapis ppt.), Emplastrum, Unguentum. — Additur aliis quoque compositionibus.

LAPIS CALCARIUS. Kalkstein. *Pierre Calcaire.* — Lapis vulgatissimus, tritissimus, montes passim altissimos stratificatos formans, verum tamen in montibus primitivis et vulcaniis occurrens. Purissimus lapis calcarius passim crystallos format rhomboedricas et permultas varietates, decolores, pellucidas (Spathum calcarium, Kalkspath), vel massam granulosam albam cet. (conf. Marmor); minus purus massam exhibet densam, opacam, plus minus griseam cet. (Lapis Calcarius communis. Gemeiner Kalkstein. *Pierre Calcaire commune*), saepissime petrefacta exhibet; p. spec 2,7, modice durus, ut qui cultro facile scarificari possit; de proprietatibus ceteris, *Part. const.* cet. v. Creta (p. 54.). Impurus semper plus minus Argillam silicicam et Ferrum, non raro etiam Magnesiam carbonicam continet. — *Usus:* Ut Cretae. — Lapis calcarius communis praecipue ad parandam Calcem vivam (p. 23.) adhibetur.

LAPIS CARNEOLUS, Sardonius, Sardius, Sarda. Karneol, Karniol. *Cornaline, Sardoine, Sardienne.* — Reperitur in Porphyro, Diorito, montibus conglomeratis cum Achate (p. 166.) in alluvio cet. Badarum, Saxoniae, Bohemiae, Hungariae, praecipue insularum Ceylonis et Sardiniae cet. — Massa globosa, reniformis, amorpha cet. durissima, subpellucida, colore sanguineo, vel carneo-sanguinolento, fractura conchoidea, poliendo splendorem vitreum assumens. — Est Chalcedonius, substantia organica coloratus. — Olim ad sanguinem sistendum adhibebatur. — Hodie exolevit. — Fragmentis Lapidum 5 pretiosorum adnumerabatur.

LAPIS CHALCEDONIUS. Chalcedon, Calcedon. *Calcedoine.* Locus natalis praecedentis, multo autem frequentior Carneolo, iisdem passim formis, colore autem plerumque lacteo, subgriseo, flavescente vel rufescente, et figuris dendroidibus cet. passim pictus, semipellucidus, durissimus, fractura conchoideo-fissili. — Silicia est cum parva Argillae passimque Calcis et Ferri quantitate.

LAPIS CHRYSOLITHUS, (falso) Topasius, Chrysoprasius. Chrysolith, Olivin. *Crysolite.* — Reperitur praecipue in montibus vulcaniis, in Basalto, uti et in terris alluvialibus, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Indiae orientalis, Aegypti cet. — Crystallos format rectangulares, 8—10—12 angulares, totidem planis exacutas; occurrit porro in massis crystallinis et amorphis, nitentibus, plus minus pellucidis, colore viridi, olivaceo, flavescente vel fuscescente; p. spec. 3,4. Durus est; in pulverem redactus aureo colore splendens; in aqua et igne immutabilis; Olivini species. — *Part. const. praev.:* Magnesia silicica. — Olim contra epilepsiam et phrenitidem laudabatur; longo ex tempore merito exolevit.

LAPIS GRANATUS, (Carbunculus olim). Granat, Pyrop, (Karfunkel zum Theil). *Grenat.* — Occurrit in montibus primitivis et transitivis uti et in terra alluviali, sic satis dispersus, in Germania, praecipue Bohemia, Hungaria, Hispania, Succia, Ceylone cet. — Crystallos exhibet rhombico-dodecaedricas et inde derivandas, plus minus subdiaphanas, splendentes, colore pulchre sanguineo; saepius quoque in granulis

subglobosis, angulosis, obvius; p. spec. circiter 4; durus, immutabilis in aqua, ignis vi funditur. — *Part. const. praev.*: Alumina et Silicia cum Ferro oxydulato passimque Chromio et Mangano oxydato, Calcaria et Magnesia mixta. — *Vis*: medicata nulla. — *Usus*: Olim in pulvere. Multis pulveribus compositis admisceri solebat. — Ad Fragmenta Lapidum 5 pretiosorum pertinet.

LAPIS HAEMATITES, Ochrea rubra, Ferrum Haematites. Blutstein. Glaskopf, Braunroth. *Pierre Hematite*, *Pierre sanguine*, *Ferret d'Espagne*. — Minera metallica, quae in montibus primitivis et transitivis reperitur, magnopere dispersa. Massas exhibet globosas, reniformes, gibbosas, cranii humani subsimiles, racemosas, stalactideas et amorphas, opacas, paullum splendentes, colore fusco-rubro; p. spec. 5, structura fibrosa, radiata; modice dura, facile autem in pulverem fusco-rubrum redigi potest. — Est Ferrum oxydatum nativum, passim cum paululo Siliciae et Mangani oxydati cet. mixtum. — *Vis*: tonica, adstringens. — *Usus*: In pulvere. — *Praep.*: Lapis ppttus. — Additur aliis quoque compositionibus.

LAPIS HYACINTHUS. Hyacinth. *Hyacinthe*. — Reperitur in montibus primitivis, Syenito, Gneissio, et vulcaniis, Basalto uti et in terra alluviali Saxoniae, Moraviae, Norvegiae, Sueciae, Galliae, Italiae, Aegypti, praecipue insulae Ceylon cet. — Crystallos format quadrato-octaedricas et inde derivandas, pellucidas, splendidissimas colore rubro, p. sp. 4,5, durissimas, ignis vi resistentes. — Zirconi est species. — *Part. const.*: Zirconia et Silicia ana aequalis p.M. cum Ferri vestigiis commixta. — Olim Hyacinthus crebro ut medicamentum praescribebatur mul isque addi solebat compositionibus, e.g. Confectionibus de Hyacintho cet., Fragmentis 5 Lapidum pretiosorum adnumerarebatur. — Hodie merito exolevit.

LAPIS HYSTRICIS, Lap. Porci, malaccensis, Bezoar Porci. Schweinsstein, Stachel-Igelstein. *Bezoar de Porc*. — Concretiones, quae partim ab *Erinaceo malaccensi* (Cl. cet. v. Erinaceus europaeus p.58.) animali orientali, partim ab *Hystrice cristata* (Cl.cet. v. Castor. p. 28.), animali Europae australis, Asiae et Africae, derivantur, Bezoar (p. 21.) similes. — Distinguuntur: 1) Lapis P. malaccensis. Malaccischer Schweinsstein u. s. w. globulos exhibens subcomplanatos, nucis moschatae circiter magnitudine nitentes, leves, colore rubro-fuscescente, sapore amaro. — 2) Lapis P. ceylanicus, Ceylanischer Schweinsstein; globuli nigrescentes, passim ovi gallinacei magnitudine, sapore amaro. — Olim uti reliqua Bezoar genera in omnibus fere malis maxime celebrati. — Hodie merito exoleverunt.

LAPIS JUDAICUS. Phoenicites, Tecolithus, Helmintholithus Echini. Judenstein. *Pierre Judaique*. — Reperitur passim in montibus calcariis; olim praecipue ex Judaea adportabatur. — Lapis forma et magnitudine fere olivae, passim petiolo instructus; colore cinereo, modice durus, ut qui facile in pulverem redigi possit. — Petrefactum radiolum Echini cujusdam marini. — Constat praecipue ex Calcaria carbonica. — *Vis*: absorbens, diuretica (?). — Hodie merito exolevit.

LAPIS LAZULI Sapphirus passim, et Cyanus veterum. Lasurstein. *Pierre d'Azur*. — Reperitur in China aliisque Asiae regionibus, uti et in America meridionali; ex Italia elaboratus exportatur. — Massae lapidosae irregulares, obtusangulae, amorphae, colore pulchre cyaneo, punctis et striis aureis passim percursae, opacae, poliendo autem splendorem pulchrum assumentes; p. sp. 2,3; modice durae, tritae pulverem azureum praebentes, immutabiles in aëre et aqua, igni forti autem uti et acidi nitri ope colorem perdentes. — *Part. const. praev.*: Silicia, Alumina, Calcaria et Natrum cum exigua Sulphuris quantitate, plerumque autem continet Pyretae Ferri particulas intermixtas. — *Vis*: medicata nulla. — Olim melancholicis commendabatur; est quoque Confectionis Alkermes ingrediens. Praecipue ad parandum Ultramarinum inservit. — Cave confundas cum Lapide Armenio (p. 166.).

LAPIS LYNCIS, Caraunius, Dactylus idaeus, Belemnites. Katzenstein, Luchsstein, Donnerstein, Druidenstein, Alpschoss *Pierre de Lynx* ou *Belemnite*. — Reperitur in montibus calcariis passim frequens. — Lapis cylindrico-conicus, digiti circiter magnitudine, opacus, colore griseo, vel subdiaphanus, colore subflavescente; facilis in pulverem redactu, corporibus durioribus affrictus interdum odorem bituminosum spargens. — Est Belemnites petrefactus et praecipue ex Calcaria carbonica constat. — Hodie exolevit.

LAPIS MAGNES. Magnetstein natürlicher Magnet. *Pierre d'Aimant*, *Aimant*. — Reperitur praecipue in montibus primitivis passimque in arena fluviorum; magnopere dispersus est. — Minera metallica, crystallos formans regulariter octaedricas; occurrit quoque in massis crystallinis et amorphis uti et in granis irregularibus discretis, colore griseo-nigro, splendore submetallico; dura est, p. spec. 5,4, viribus magneticis obediens passimque et ipsa magnetica, igne non funditur. — Est Ferrum oxydulo-oxydatum nativum. — *Vis*: tonica, adstringens, exsiccans (?). — *Usus*: Olim emplastris quibusdam addebatur. — Si purum forsitan Aethiopis martialis via sicca parati loco adhiberi licet (?).

LAPIS MANATI, seu Auris Ceti. Seekuhstein *Pierre de Vache marine*. — Os album, oblongum, nucis juglandis passim magnitudine, varie tortum, tuberculoso-rugosum et excavatum, durum. — Manati australis Jllig (*Trichechi Manati* L.) os petrefactum esse credunt; secundum aliam opinionem autem a *Balaeno Mysticeto* L. derivatur. — Merito exolevit.

LAPIS NEPHRITICUS, Ischiaticus, divinus. Nierenstein, grüner Stein, Nephrit oder Neurith, Beilstein, Punamustein *Pierre Nephritique*, *Jade*. — Reperitur in Asia, Aegypto et America australi. Massam exhibet amorpham. Prostat plerumque elaboratus, colore sordide viridi-subgriseo vel nigricante; plus minus diaphanus est, pingue nitens; p. spec. 3; durus, sonans, fractura grosse fissili, immutabilis in aqua, igne fortiori funditur. — *Part. const. praev.*: Silicia, Magnesia et Alumina [Calcaria, Natrum] cum Aqua (ad seriem spathorum fusibilium pertinens (?). — *Vis*: (?) — Olim in multis malis fere ut panacea laudabant et multa habebant ex eo praeparata, e. g. Magisterium, Liquorem cet. — Hodie merito exolevit.

LAPIS OSTEOCOLLA, Lapis ossifragus, Marochius, Osteites, Asrus Dioscoridis. Beinbruch, Bruchstein *Osteocolle*. — Reperitur in terra alluviali, locis arenosis, in fluviis, fontibus calidis cet. passim. — Concrementa sunt terrea, cylindrica, tubulosa, variae magnitudinis, aspera, porosa, colore albo, coralliorum similia, ossa aemulantia fistulosa, friabilia, in acido salis inter effervescendum partim saltem solubilia. — Est Tophus seu Stalactites calcarius, praecipue ex Calcaria carbonica constans. — Hodie exolevit.

LAPIS PUMICIS. Bimsenstein, Bimsstein *Pierre Ponce*. — Reperitur in regionibus vulcaniis, praecipue ex insulis Lipariis advehitur. — Frusta lapidea subnitentia, semivitrificata, irregularia, obtusangu-

la, passim grandia, spongioso-porosa, levia, colore albido, cinereo, flavescente- vel fuscescente-griseo, structura daedaleo-fibrosa, pardura, aspera, facile autem in pulverem (semper asperum) redigi possunt. Sunt ejectamenta vulcania. — *Part. const.*: praecipue Silicia, Alumina, paululo Kali, Natri, Ferri et Mangani oxydati commixta. — *Vis*: mundificans, exsiccans (?). — *Usus*: In pulvere externe (olim et interne). — Additur quoque (inepte) dentifriciis.

LAPIS RUBINUS, Carbunculus. Rubin. *Rubis.* — Reperitur in montibus primitivis et quibusdam fluviis, praecipue in India orientali (insula Ceylon), China cet. — Crystallos format rhomboedricas et inde derivandas; occurrit quoque in fragmentis secretis (Geschieben) plus minus rotundatis, diaphanis; est colore pulcherrime puniceo, splendidissimus et durissimus; p. spec. 4, ignis vi resistens; Gemma pretiosissima, Corundi species. — *Part. const.*: Alumina fere pura paullo Ferri oxydati commixta. — Olim alexipharmacum habebatur. — Hodie exolevit. — Hoc nomine Lapis Hyacinthus (p. 168.) etiam et aliae gemmae rubrae, e. g. L. Granatus (p. 168.), L. Amethystus (p. 167.), praecipue autem Spinellus, sumebantur, iisdem passim locis, e. g. Ceylone, occurrens. Differt autem figura crystallorum, quae octaedras exhibent regulares et species inde derivandas, colore minus saturate rubro, plerumque plus minus violaceo et minore duritie. — Constat praecipue ex Alumina et Magnesia.

LAPIS SAPPHIRUS. Sapphir oder Saphir. *Saphir.* — Iisdem passim locis ac praecedens L. Rubinus verus occurrit crystallosque format aequales; differt solummodo colore coeruleo, ceterum iisdem gaudet proprietatibus, et *part. const.* — Est etiam Corundi species et gemma non minus pretiosa, eodemque modo adhibere solebant. — Crebre autem alii lapides coerulei, e. g. L. Crystallus montana, Spatum fluoris colore coeruleo, imo Lapis magnes (p. 168.), sumi solebant. — Hodie pariter ac praecedens exolevit.

LAPIS SILICIS, Silex, Lapis Quarzii. Kieselstein Quarz. *Caillou.* — Maxime per orbem terrarum distributus et notissimus Lapis. In fluviis reperitur passim in globulis plus minus pellucidis vel hyalinis, decoloribus (Rheinkiesel), qui praecipue eligebatur. Est Silicia (conf. Crystallus montana p. 55.). Ad liquorem silicicum requiritur et ad vitrum parandum cet., adhibetur.

LAPIS SMARAGDUS. Smaragd. *Emeraude.* — Reperitur praecipue in montibus primitivis, raro, in terra alluviali, Europae passim (Salisburgi, cet.), Peruviae, Aegypti. — Gemma pretiosissima, crystallos formans prismaticas, regulariter hexaedricas cet. durissimas, colore pulcherrime viridi; vix caloris ope fundi potest. — *Part. const.*: Silicia, Alumina et Glycina, cum exigua Chromii oxydulati quantitate commixta. — Minoris pretii est Lapis Beryllus; Beryll, qui discrepat colore dilutiore, partim magis impuro, ceterum iisdem gaudens proprietatibus ac Smaragdus. — Olim ut medicamentum adhibebatur, et Fragmentis Lapidum 5 pretiosorum adnumerabatur. — Hodie merito exolevit.

LAPIS SMIRIDIS seu SMYRIS. Smirgel, Schmirgel, Schmergel. *Emeri. Emeril.* — Reperitur in montibus primitivis metalliferis Saxoniae, Hispaniae, insula Naxo cet., occurrit in massis amorphis, praecipue autem in granulis minutissimis, arenosis, in chisto micaceo (Glimmerschiefer) dispersis, parum nitentibus, colore obscure coeruleo-griseo; ceterum eadem duritie et reliquis proprietatibus gaudens ac Lapis Sapphirus. — Nomine Lapidis Smiridis autem multa alia mineralia dura, in pulverem redacta, prostant, uti Lapis Magnes, Lap. Granatus, Silex, et alii pulveres, qui apud politores lapidum ut ruderae obtinentur. — *Usus*: Ad dentifricia (inepte) addebatur.

LAPIS SPECULARIS idem quod Glacies Mariae (p. 84.).

LAPIS SPONGIARUM. Schwammstein. *Pierre d'Eponge.* — Reperitur in spongiis marinis. — Concrementa lapidea, irregularia, subrotunda, variae (pisi ad pugni) magnitudinis, tuberculoso-lacunosa et inaequaliter perforata, colore cinereo-albido, ex laminis concentricis constantia, quae facile triturari possunt; odore spongiae marinae et sapore ingrato subsalso; cum acidis effervescentia. — *Part. const. praev.*: Calcaria carbonica, Salibus marinis plus minus impraegnata. — *Vis*: absorbens, antistrumalis. — *Usus*: In pulvere. — Additur compositionibus strumalibus.

LAPIS SUILLUS seu PORCINUS. Schweinsstein, Saustein, Stinkstein. *Pierre de Porc.* — Reperitur in montibus stratificatis calcariis, Wirtembergiae, Saxoniae, Tyrolis, cet. — Frusta amorpha, densa vel foliacea, uti et petrefacta variae figurae, colore fusco vel obscure cinereo, cum acidis effervescentia, corpore duro affricta, odorem edentia ingrate bituminosum; in destillatione oleum aethereum, Olei Asphalti simile, exhibentia. — Est Calcaria carbonica, Bitumen continens. — Hodie exolevit.

LAPIS TOPASIUS. Topas. *Topas.* — Reperitur in montibus primitivis, Granito, Gneissio, Quarzo, vel in crystallis secretis in fluviis quibusdam Saxoniae, Bohemiae, Silesiae, Sibiriae, Americae cet. — Crystallos format recte rhombicas, in marginibus lateralibus plus minus obtusas, hinc prismata exhibet recte 8, —10, —12, —16, — 20, —24 — cet. gona, planis pluribus passim exacuta; hyalinus, decolor, plerumque autem dilute luteus; p. spec. 3,5, durissimus, igne immutabilis. — *Part. const. praev.*: Alumina, Silicia et Acidum fluoricum. — Hodie exolevit. — Ejus loco saepe Chrysolithus vel Crystallus montana colore citrino (Böhmischer Topas) sumebatur.

LENS, Semen Lentillium. Linse. *Lentille.* — *Ervi Lentis* L. (Fl. Bad. III. 198.) — Cl. cet. v. Fabae p. 58.), plantae annuae indigenae et crebre cultae Semina parva, orbicularia, biconvexa, flavo-fusca, farinosa; sapore amariusculo. — *Part. const. praev.*: Amylum, Gliadinum et Principium adstringens. — *Vis*: maxime nutriens, tonica; aegre autem concoquuntur. — *Usus*: diaeteticus; in decocto, contra diarrhoeam cet. commendantur. — *Praep.*: Farina.

LEPUS TIMIDUS L. Gemeiner Hase Feld und Waldhase. *Lièvre.* — E cl. Mammalium, ord. Duplicidentatorum, fam. Leporum, animal indigenum campestre et silvestre notissimum. — Olim lepus junior comburebatur et in pulverem tritus asservabatur. Lepus combustus. Gebrannter Hase. *Lièvre calciné.* Carbo est animalis cum Cyanuretis quibusdam mixtus. — Praestantissimum esse credebatur lithontripticum. — Aliis animalibus hoc modo praeparatis nihilo praestat; hinc merito longo ex tempore exolevit.

LICHEN APHTHOSUS v. Muscus cumatilis.

LICHEN ISLANDICUS. Isländische Flechte. *Lichen d'Islande.*

Synon.: Muscus islandicus, Isländisch Moos, Purgiermoos.

Cetraria islandica Ach. (*Lichen islandicus* L.), e cl. Cryptogamia, ord. et fam. Lichenum. In montosis asperis, siccis, praecipue Europae borealis passimque Germaniae, Helvetiae, Americae borealis, crescens. Lichen terrae adnascens, foliaceus, thallo (fronde) cespitoso adscendente, erecto, plicato et irregulariter laciniato, utrinque nudo, laciniis multifidis lacunoso-canaliculatis, apicem versus dilatatis et planiusculis (fructiferis latioribus), margine brevissime dentato-ciliatis, colore subgriseo-albo, subolivaceo, vel fuscescente, scutellis marginalibus orbicularibus, planis, brunneis, qui tamen rari sunt; si humidus, consistentia tenace cartilagineo-subcoriacea, exsiccatus autem asper, strepitans fragilisque; inodorus, sapore peramaro, inter masticandum uti et coquendum gelatinoso-lubrice mollescens; decoctum aquosum concentratum refrigescens, gelatinam formans subdiaphanam; ferri muriatici oxydati ope colorem violaceum, post brunneum assumens. — *Part. const. praev.:* Amylum et Principium amarum sui generis uti et Acidum lichenicum. — *Vis:* nutriens, pectoralis, tonica, resolvens.

Sit purus, fragmentis ligneis, ramulis, muscis et lichenibus alienis liber, ceterum genuinum esse ex descriptione patet, praecipue margine denticulato-ciliato ab affinibus lichenibus facile dignoscitur.

Usus: In pulvere raro, praecipue in decocto; passim quoque lichen aqua frigida abluitur, Lichen islandicus ablutus. — *Praep.:* Gelatina, Pasta, Chocolada. — Additur quoque speciebus pectoralibus.

LICHEN PARIETINUS. Wandflechte, goldgelbe Schuppenflechte, Plankenflechte. *Lichen de murs.* — *Parmelia parietina* Ach. (*Lichen parietinus* L. — Cl. cet. praeced.). — Truncis arborum, lapidibus, muris superincrescit, a quibus facile separari potest. – Lichen foliaceus thallo orbiculari-expanso, tenui, membranaceo, radiatim laciniato, laciniis bilobis, imbricatis, margine obtuse crenatis, colore saturate luteo, subtus albo, scutellis sparsis, plerumque in medio aggregatis, concoloribus vel colore parum obscuriore luteo, exsiccatus fragilis et facile friabilis; pulverem pallide flavo-viridem praebens; humectatus color in lutescente-viridem mutatur; odore debili mucido, chinae quodammodo simili, sapore amariusculo, submucilaginoso. — *Part. const. praev.:* Principium amarum et Saccharum (?). — *Vis:* febrifuga. – *Usus:* In pulvere, infuso, decocto. — *Praep.:* Extractum, Tinctura. — Ut succedaneum chinae laudabatur. Nunc autem vix praescribitur.

LICHEN ROCCELLA L. Orseille, und Lackmusflechte. *Lichen Roccelle — Roccella tinctoria* Ach. (Cl. cet. praeced. — Ex insulis Azoribus, Canariensibus, adportatur. — Lichen cespitosus, thallo erecto, profunde dichotomo, ramulis teretibus curvatis, apice acuminatis, colore lutescente-cinereo vel fusco, consistentia coriacea, saepius sorediis albis tectus, passimque apotheciis lateralibus verrucosis nigrescentibus praeditus; inodorus, sapore ingrato, subsalso-amaro, irritante. – *Part. const. praev.:* Principium peculiare colorans (Erythrinum) et Acidum roccellicum.— *Usus:* Ad parandam Laccam coeruleam (p. 165.) uti et Roccellam. — In hunc finem in Gallia meridionali etiam Lichen oreinus (*Variolaria oreina* Ach. et *Variolaria dealbata* (?)) colligi solet.

LICHEN TARTAREUS L. Weinstein Schüsselflechte, schwedisches Moos. *Mousse de la Suede. Lecanora tartarea* Ach. (Cl. cet. praeced.). In Europa boreali, praecipue Suecia passimque Germania, occurrens, lapidibus vel muscis adhaerens. Lichen crustaceus, thallo homogeneo, tartareo, granulato-glomerato, albo, sicco, friabili, apotheciis sparsis orbicularibus, planiusculis, margine reflexo, colore testaceo. — *Part. const. praev.:* Principium colorans ut praecedentis et Calcaria oxalica. — *Usus:* idem. Lichen hic hodie praecipue ad parandam Laccam coeruleam adhibetur.

LIGNUM ALOES, seu Agallochi veri, Lignum Aquilae, Calambac et Kissina, Xyloaloës. Aloeholz, Adlerholz, Paradiesholz *Bois d'Aloès* ou *de Calambac de Calembouc.* — Ex In-

dia orientali adfertur, *Aquilariae malaccensis* LAM., e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Aquilarinarum, arboris non satis cognitae ut creditur, Lignum quod ex arbore vetusta in medio trunco colligitur. Secundum aliam opionem ab Aloëxylo Agallocha L. (Cl. et ord. praeced.), fam. Leguminosarum, arbore Cochinchinae derivatur. — Frusta exhibet brunnea, striato-venosa, Jaspidis similia, resina turgentia, nitentia, vitrum affrictum resina inquinantia, calefacta odorem edentia gratissime balsamicum, simulque resinam exsudant. — Frusta praescripta Calambac quae dicuntur, pretiosissima habentur, ita ut auri pretium excedant. Alia, Kissina quae dicuntur, ligni frusta exhibent pallidiora, minus resinosa. Hoc Agallochum verum rarissime in Europa prostat. Alia species frusta exhibens nodosa, nigro-purpurea et maculata, densa, ponderosa, resinosa, amara; si calefiunt aut affricantur, odore fragrante aromatico, ab Excoecaria Agallocha L., e cl. Dioecia, ord. Monadelphia, fam. Euphorbiacearum, arbore Indiae orientalis, succo lacteo acerrimo praegnante, derivatur. Saepissime hoc nomine varia ligna aromatica venduntur. — Hodie vix adhibetur.

LIGNUM ARBORIS VITAE. Lebensbaumholz. *Bois de Cedre blanc.* — *Thujae occidentalis* L. (v. Folia) Lignum albidum et pallide fuscescens, leve, inodorum fere et insipidum. — *Vires* diaphoreticas, antisyphiliticas ei adscribere solent. — *Usus:* In decocto. — Apud nos non adhibetur.

LIGNUM ASPHALATHI. Rhodisches Dornholz. *Bois d'Aspalat.* — Ex India orientali advehitur, a quibusdam uti Lig. Aloës ab Aquilaria malaccensi LAM. derivatur. — Frusta exhibet pallide fusca, opaca, levia, L. Aloës minus resinosa, affricta aut calefacta etiam grato odore; saepius cum Ligno Aloës confunditur et ejus loco venditur. — Hodie obsoleta.

LIGNUM BUXI. Buchsbaumholz. *Bois de Buis.* — *Buxi sempervirentis* L. (v. Folia p. 75.) Lignum flavescens, durum, densum, aqua ponderosius; dum recens, odore ingrato, sapore nauseoso dulciusculo-acerbo, post subamaro. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus:* Foliorum. — *Praep.:* Oleum. — Apud nos non adhibetur.

LIGNUM CAMPECHIANUM, seu campechiense, Lign. coeruleum. Kampeschenholz, Blauholz, Bluthol. *Bois de Campeche.* — *Haematoxyli campechiani* L., e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Leguminosarum, arboris Indiae occidentalis et Americae australis, Lignum interius. In sectis magnis advehitur; prostat autem in officinis in assulas parvas redactum, colore fusco-rubro, interdum splendore aureo-viridi praeditis, textura fibrosa, odore proprio debili, subviolaceo, sapore adstringente, dulciusculo, post subamaro, inter masticandum salivam colore violaceo tingens. Infusum aquosum sanguineum ferri muriatici oxydati ope in colorem obscure violaceo-coeruleum, aquae calcis et sacchari saturni ope in colorem pulchre coeruleum immutatur. — *Part. const. praev.:* Haematoxylinum. — *Vis.:* adstringens, tonica. — *Usus:* In decocto vel infuso. — *Praep.:* Extractum.

LIGNUM CEDRI. Cedernholz. *Bois de Cedre.* — *Pini Cedri* L. (Cl. cet. v. Bals. de Canada p. 18.), arboris passim ingentis Orientis, praecipue in monte Libano, Lignum tenacissimum; odore grate balsamico. — Hodie exolevit.

† LIGNUM COLUBRINUM, Lign. colubrinum secundum Garcias. Schlangenholz. *Bois de Couleuvre.* — *Strychni colubrinae* L. (Cl. cet. v. Fabae sct. Ignatiae p. 58.), fruticis arborescentis, scandentis, Moluccensis, Radix lignosa. — Frusta cylindrica, passim curvata, brachii saepius crassitudine, porosa sed ponderosa, colore flavicante-cinereo, cortice praedita fusco-ferrugineo, passim cinereo- et albido-maculato; inodora, sapore amarissimo nauseoso. — *Part. const. praev.:* Strychnium et Caniramium. - *Vis:* narcotica, venenata. — Olim contra morsum serpentum venenatorum, ut febrifugum, anthelminthicum, adhibebatur. — Hodie exolevit.

LIGNUM CORYLI. Haselholz. *Bois de Noisetier sauvage.* - *Coryli Avellanae* L. (Cl. cet. v. Nuces Avellan.), fruticis indigeni notissimi, Lignum albidum, leve, inodorum et insipidum. Olim ad parandum Oleum corylinum adhibebatur. — Hodie exolevit.

LIGNUM CUPRESSINUM. Cypressenholz. *Bois de Cypres* — *Cupressi sempervirentis* L. (v. Nuces), Lignum albidum, rubello-venosum, durum, densum, odore grate balsamico. — Olim ut diaphoreticum, diureticum et adstringens adhibebatur. - Hodie exolevit.

LIGNUM EBENUM. Ebenholz. *Bois d'Ebene.* — *Diospyri Ebeni* L. (Cl. cet. v. Cort. Diospyri p. 56.), arboris Indiae orientalis, Lignum intermedium densissimum, durissimum, ponderosum, colore nigerrimo; sapore acri, gutturali, incensum nidorem balsamicum edens. — *Vires* ei adscribi solebant Ligni Guajaci. — Apud nos non adhibetur.

LIGNUM FERNAMBUCI, Lign. Brasiliense seu Brasilianum rubrum, Lignum Japonense, Sanctae Marthae. Fernambukholz, rothes Brasilienholz. *Bois de Bresil, de Fernambuco.* — *Caesalpiniae Brasiliensis* Sw. (Cl. cet. v. Lign. Campechianum), arboris Brasiliensis et Jamaicae, Lignum, in secta crassa redactum, obscure fusco-rubrum, densum, ponderosum, in assulas dissectum, colore laete et saturate rubro; inodorum fere, aqua humectatum autem odore submelleo, sapore subdulciusculo, vix adstringente, inter masticandum salivam colore rubro imbuens. Infusum aquosum flavo-rufescens aëris aditu sensim rubescit, ferri muriatici oxydati ope colore obscure fusco, alcalium ope colore pulchre violaceo imbuitur. — *Part. const. praev.:* Principium proprium colorans. — *Vis:* adstringens, febrifuga. — *Usus:* Olim in decocto. Hodie praecipue ut Reagens et ad parandum Atramentum rubrum adhibetur.

LIGNUM GUAJACANUM seu GUAJACI PATAVINI. — *Diospyri Loti* L. (v. Cort. p. 46.) Lignum. — *Vires* ei adscribuntur similes ac L. Guajaci sequentis. — Apud nos non adhibetur.

LIGNUM GUAJACI. Pockenholz. *Bois de Gayac.*

Synon.: Lignum sanctum, benedictum, indicum. Franzosenholz, Heiligenholz, Guajacholz.

Guajaci officinalis L., e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Zygophyllearum, arboris excelsae Indiae occidentalis, Lignum trunci medium, densissimum, aqua ponderosius, colore obscure viridescente-fusco, pingue-nitens, fibras inaequaliter radiatim passim textas exhibens, fractura inaequali fissili, quod optimum. Lignum exterius levius, pallide fuscescens, opacum, minoris est pretii. Inodorum est Lignum Guajacum, si affricatur autem et magis etiam, si incenditur, odorem spargit grate aromaticum, si diu masticatur, sapor sentitur proprius gutturalis et amariusculus. Facile flammam concipit et resinam sudat. — *Part. const. praev.:* Resina et Principium extractivum proprium, irritans. — *Vis:* irritans, diaphoretica, diuretica.

Usus: In decocto. — *Praep.:* Extractum, Resina, Tinctura. — Additur aliis quoque compositionibus.

LIGNUM HEDERAE ARBOREAE L. Epheuholz. *Bois de Lierre grimpante* (v. Folia p. 76.), Lignum albidum, porosum, resinosum, tritum odore balsamico et sapore gutturali. — Ad globulos pro fonticulis (Fontanellkugeln) conficiendos usurpatur.

LIGNUM JASMINI seu CITRI. Jasmin- oder Zitronen-duftendes Holz. *Bois de Jasmin.* — Hoc nomine *Plumeriae albae* L. (Cl. oct. v. Hb. Apocyni p. 95.), arbusculae lactescentis Indiae occidentalis, Lignum flavescens, maxime resinosum, facile inflammabile; odore citrino, prostat. — Saepius pro Ligno Santali citrini (p. 173.) venditur.

LIGNUM RADICIS JUNIPERI. Wachholderholz. *Bois de Genevrier.*

Juniperi communis L. (v. Baccae p. 15.) Rhizoma et inferioris terrae adpressi trunci pars. — Lignum albidum, vel pallide flavo-rubescens, durum, tenax, resinosum, facile inflammabile; odore grate balsamico, plerumque cortice tenui, lacero, fusco liberatum. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Resina. — *Vis:* irritans, diuretica.

Usus: In decocto et infuso, speciebus admiscetur, ad suffitus. — *Praep.:* Oleum aethereum et empyreumaticum (Cinis). — Additur etiam Pulveri fumali cet.

LIGNUM LENTISCINUM. Mastixholz. *Bois de Lentisque.* — *Pistaciae Lentisci* L. (v. Mastix p. 178.), Rami juniores. — Prostat in frustis cylindrico-nodosis, pollicis et ultra crassitudine, cortice fusco-cinereo tectis. Lignum est albidum vel flavescens, densum, ponderosum, resinosum; calefactum nidorem spirat grate balsamicum, masticinum. — In decocto adhibebatur et ad dentiscalpia. — Apud nos exolevit.

LIGNUM MOLUCCENSE, seu Molluccanum, Pavanae, seu Panavae. Moluckisches Purgirholz. *Bois de Moluques.* — *Crotonis Tiglii* L. (v. Grana Tiglii p. 85.) Lignum pallidum, nitens, leve, spongiosum, cortice tenui, spongioso, cinereo, tectum; fere inodorum, sapore nauseoso-acri. — *Vis:* vehementer purgans, facile inflammationem excitans. — Hodie exolevit.

LIGNUM NEPHRITICUM, Santalinum coeruleum, Grießholz, blaues Santelholz. *Bois Nephritique.* — *Hyperantherae Moringae* VAHL (*Guilandinae Moringae* L. v. Nuces Behen), ex alia opinione Fraxini speciei lignum esse creditur. Ex India orientali advehitur. — Prostat in frustis violaceo-brunneis, perduris, sonantibus, aqua ponderosioribus, fibras longitudinales subparallelas exhibentibus, passim cum parte pallide flavescente-fuscescente (alburno) tectis; inodoris, calefactis autem odorem debilem aromaticum edentibus simulque resinam exsudantibus, sapore debili amariusculo et subacri. Infusum aquosum fuscum, lucis radios, pro situ in quo spectatur, versicolores refringens et reflectens. — *Part. const. praev.:* Resina et Principium extractivum (?). — *Vis:* diuretica, lithontriptica (?). — Hodie exolevit.

LIGNUM OXYCEDRI. Kade-Wachholderholz. *Bois de Cade.* — *Juniperi Lyciae* et *Junip. Oxy-*

cedri L. (Cl. cet. v. Bacc. Junip. p. 15.), fruticum Europae australis et Asiae, Lignum resinosum, grato odorum. — In patria destillatione sicca oleum empyreumaticum (Oleum Cadinum, *Huil de Cade*) ex eo obtinetur, quod optimum remedium contra scabiem ovium (Schafraude) censetur. Oleum empyreumaticum, quod ex Junipero communi L. obtinetur, easdem habere vires, verisimile est.

LIGNUM QUASSIAE. Quassienholz. *Bois de Quassie.*

Synon.: Lignum Quassiae surinamensis. Bitterholz.

Quassiae amarae L., e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Simarubearum, fruticis vel arbusculae Surinamensis, Lignum. — Prostat in frustis cylindricis, passim curvatis et nodosis, pollicis ad brachii crassitudine, vix crassioribus, cortice supra (p. 50.) descripto tectis; albidum est, vel subflavescens, externe passim griseo vel fuscescente colore inductum, in longitudinem brevissime striatum, leve, sed rigidum, compactum et tenax, difficile in pulverem subflavescenti-albidum redigitur; inodorum, sapore amarissimo, diu adhaerente. Infusum aquosum pallide fuscum, saepius versicolor, ferri muriatici oxydati ope in floccis cinereis turbatur. — *Part. const. praev.:* Principium amarum. — *Vis:* tonica, excitans, stomachica, narcotica (?).

Sit albidum, leve, amarissimum, sine ullo sapore alieno. Cave confundas cum Ligno Quassiae Jamaicensis (v. infra) et Ligno Rhois Metopii, quod ponderosius, cortice obscuriore griseo, passim maculis nigrescentibus resinosis praedito, ligno arcte adhaerente tecto. Infusum hujus ligni ferri muriatici oxydati ope colore nigro imbuitur.

Usus: In pulvere raro, in infuso, decocto. — *Praep.:* Extractum, Tinctura.

LIGNUM QUASSIAE JAMAICENSIS. Jamaikanisches Quassienholz. *Bois de Quassie de Jamaique.* — *Simarubae excelsae* Dec. (*Quassiae excelsae* Sw. — Cl. cet. praeced.), arboris excelsae Jamaicensis, insularum Caribaearum, Lignum. — Prostat in frustis majoribus, secta grandia exhibentibus, colore pallide cinereo, subflavescente vel subfuscescente, plerumque obscurius coloratum lignum quam praecedens, structura densiori, brevi-fibrosa, cortice passim crassiore, rugoso-tuberculato, obscuriore cinereo, ligno arcte adhaerente, tectum. Ceterum eadem amaritudine, immo intensiore ingratioreque, et reliquis gaudens proprietatibus ac praecedens. — *Vis* et *Usus:* idem.

LIGNUM RHODII. Rhodiserholz oder Rosenholz. *Bois de Rhode, de Chypre, de Roses.* — *Convolvuli Scoparii* L. et *Convolvuli floridi* L. (Cl. cet. v. Hb. Convolvuli p. 111.), fruticum insularum Canariensium Radix lignosa et trunci Basis. — Occurrit in segmentis cylindricis, curvatis, nodosis, 2—5 pollicum crassis, externe pallide cinereis, in medio flavo-rubellis, densis, aqua gravioribus, passim cortice griseo rugoso tectis; affrictis odore gratissimo rosaceo, sapore aromatico, amariusculo. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Resina. — *Vis:* excitans, sudorifica, diuretica. — *Usus:* In pulvere, pilulis, ad odoramentum. — *Praep.:* Oleum aethereum, Aqua. Saepius odoris causa medicamentis admiscetur. — Cave confundas cum lignis extraneis, levioribus, paullo odoris, vel odore alieno praeditis.

LIGNUM SANDALINUM, seu Santalinum ALBUM. Weißes Sandel- oder Santelholz. *Bois de Santal blanc.* — *Santali albi* L., e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Santalacearum, arboris Indiae orientalis, praecipue insulae Malabaris, ut credunt, Lignum externe albidum, leve, sed durum, solidum; inodorum, si vero affricatur, odorem spargit levem, grate aromaticum, sapore subaromatico, subamaro. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* excitans, diaphoretica, cardiaca (?). — *Usus:* In pulvere, pilulis, ad suffitus. — Hodie vix adhibetur.

LIGNUM SANDALINUM, sive Santalinum CITRINUM. Gelbes Sandel- oder Santelholz. *Bois de Santal citrin.* — Ab eadem arbore qua praecedens, uti et a *Santalo Freycinetiano* Gaud., insulas Sandwichienses inhabitante, Lignum interius (duramen) esse creditur. — Colore gaudet laete vel plus minus saturate citrino; praecedenti est ponderosius magisque aromaticum, odore ambracino praeditum. — *Part. const., Vis* et *Usus:* praecedentis, praestantior autem est; sed pariter rarissime hodie praescribitur.

LIGNUM SANDALINUM seu SANTALINUM RUBRUM. Rothes Sandelholz, Kal-

liaturholz. *Bois de Santal rouge.* — *Pterocarpi santalini* L. (?) (Cl. cet. v. Kino p. 164.), arboris Indiae orientalis, insulae Ceylon cet. Lignum esse creditur — Prostat vel in sectis magnis, externe saturate fusco-rubris, passim in subviolaceum abeuntibus, intus laete et saturate sanguineis, compactis et irregulariter radiatim fibrosis, aqua ponderosioribus, vel in frustis minus densis, structura aequali, longitudinaliter fibrosa, quae non facile in pulverem redigi possunt; vel molitum pulverem exhibens saturate et pulchre rubrum; inodorum, affrictum autem odorem debilem quidem, sed grate aromaticum, Santali albi similem, edens; insipidum fere, diu masticatum, parum adstringens sentitur. Aqua frigida nihil fere, spiritus vini autem facile colorem rubrum extrahit, extractum rubrum, addito ferro muriatico oxydato, in colorem obscure violaceum abit. — *Part. const. praev.:* Resina rubra. — *Vis:* exsiccans, adstringens (?). — *Usus:* In pulvere, decocto. — Additur variis pulveribus compositis, e.g. Pulv. dentifricio, Speciebus et Essentiae Lignorum, Emplastro incognito cet.

LIGNUM SASSAFRAS. Sassafrasholz. *Bois de Sassafras.*

Synon.: Lignum Winanck Virginiensium. Fenchelholz.

Perseae Sassafras Spr. (*Lauri Sassafras* L. — Cl. cet. v. Cinnamomum p. 37.), arboris Americae borealis, quae terris nostris facile adsuesceret, Rhizoma. — Prostat in segmentis plus minus magnis et crassis, cylindricis, flexuosis et nodosis, vel caudicibus irregularibus, plerumque cortice supra (p. 52.) descripto, tectis, levibus, colore pallide griseo-fuscescente vel rubescente; consistentia molli subspongiosa, subtenaci; odore fragrante aromatico, foeniculino et sapore aromatico. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* incitans, alterans, diaphoretica.

Sit cortice tectum, fragrans. Lignum ponderosum, parum odorum vel odore alieno praeditum, rejiciatur.

Usus: In pulvere raro, praecipue in infuso, decocto. — *Praep.:* Oleum aethereum, Aqua, Extractum, Tinctura. Additur etiam Speciebus et Essentiae Lignorum aliisque compositionibus.

LIGNUM SERPENTUM seu SERPENTINUM, Lignum Colubrinum primum Garcias, Radix Chyn-len, Chon-lin, Chulin, Souline, Soulamoe, Sallanau, Mangustae, Mungos, Mustelae, Foli seu Hoanglien Chinensium. Indianisches Schlangenholz oder Wurzel, Goldwurzel, bittere chinesische Wurzel, Marderwurzel, Margustawurzel u. s. w. *Bois* ou *Racine de Mungos*, *Racine d'or.* cet. — *Ophiorrhizae Mungos* L. (Cl. cet. v. Hb. Spigeliae p. 156.) sec. *Guibourt* autem *Ophioxyli Serpentum* L., e fam. Apocynearum, plantarum perennium Indiae orientalis, Radix. — Prostat in frustulis bipollicaribus, calamum scriptorium ad digitum minimum crassis, flexuosis, annulatis, rugosis, tuberculis pungentibus praeditis, fusco-luteis vel flavis, fractura splendente vel opaco-lignea, sapore amarissimo. — Radix haec in India orientali, China cet., maxime est celebrata, ut stomachicum, febrifugum, diureticum, adeoque ut alexipharmacon.

LIGNUM SIMARUBAE, Simarubaholz. *Bois de Simaruba.* — *Simarubae officinalis* Dec. (v. Cort. p. 52.) Lignum, ligno Quassiae Jamaicensi simile, quocum etiam amaritie cet. convenit. — Apud nos non adhibetur.

LIGNUM TAXI. Eiben- oder Taxusholz. *Bois d'If.* — *Taxi baccatae* L. (v. Baccae p. 18.), Lignum albidum, vel rubello-venosum, durissimum, inodorum et fere insipidum. — Olim raspatum in decocto contra hydrophobiam adhibebatur. Hodie exolevit.

LIGNUM TILIAE. Lindenholz. *Bois de Tilleul.* — *Tiliae europaeae* L. (v. Flor. p. 72.), Lignum album, molle, leve; inodorum et insipidum. — Ad parandum Carbonem vegetabilem levem purum (p. 26.) praecipue aptum.

LIQUIDAMBAR v. Ambra liquida (p. 5.)

LIQUOR MUSTELAE FLUVIATILIS HEPATICUS. Aalquappen- oder Aalruppen Leberfett. *Huil hepatique de Lote* ou *Barbate.* — *Gadi Loti* L. (*Loti fluviatilis*), piscis ex ordine Sternopterygiorum, fam. Percarum, in fluviis lacubusque occurrentis, Adeps, qui ex hepate obtinetur; liquidus est oleosus; odore piscino. — Olim contra corneae maculas adhibebatur. — Hodie exolevit.

LITHANTHRAX. Steinkohle. *Houille.* — Reperitur in montibus stratificatis antiquioris et recentioris aevi, magnopere dispersus. — Plures sunt species. — Di-

stinguuntur praecipue 1) Lithanthrax verus, Schwarzkohle, qui montes proprios vetustiores passim format; Massae amorphae, schistosae vel aequaliter densae, nigerrimae, plus minus splendentes, opacae, facile inflammabiles. 2) Lignites, Braunkohle, plerumque in montibus recentioris aevi occurrens; Massae amorphae vel structura lignosa praeditae, colore plus minus obscure brunneo. Plerumque minus inflammabiles sunt. — *Part. const. praev.*: Carbo et Bitumen. — Ad parandum Oleum Lithanthracis et Naphthalinum, uti et Salem Ammoniacum, usurpantur. — In multis regionibus unice servit urendo.

† LITHARGYRIUM. Bleiglätte. *Litharge.*

Synon.: Lithargyrius, Lithargyrum, Plumbum oxydatum semivitreum, Oxydum plumbicum.

Obtinetur in officinis metallariis in depuratione argenti vel auri. – Particulas exhibet squamosas, nitentes, ponderosas, tactu pingues, friabiles, colore pallide flavescente, vix rubello, Lithargyrium argenteum, Silberglätte, vel colore magis rubello, Lithargyrium aureum, Goldglätte. Insipidum est, calore fortiori funditur et vitrum praebet flavo-fuscum, vel igneum, ponderosum; insolubile in aqua, facile autem dissolubile in acido nitrico vel acetico, liquorem formans ingrate dulcem et stypticum, qui acido hydrothionico colore fusco-nigro et acido sulphurico colore albo praecipitatur. – Est Plumbum oxydatum. — *Vis*: exsiccans, styptica, interne toxica.

Sit pallidum, non viridescens, in acidis supra memoratis penitus dissolubile, dissolutio decolor, addito ammoniaco caustico in excessu, minime colorem coeruleum assumat.

Usus: In pulvere externe, raro. — *Praep.*: Extractum Saturni, Emplastrum Diachylon. — Additur multis aliis quoque emplastris.

LITHOMARGA, Medulla Saxorum, Terra miraculosa Saxoniae. Steinmark, sächsische Wundererde *Lithomarge*, *Moelle de Pierre*. — Reperitur in rimis et cavis plurium montium, ut Porphyri, Serpentini, Grauwackae, Lithanthraci cet., passim cum mineris metallicis Saxoniae, Bohemiae, Hercyniae, e. q. s. pl. — Massae amorphae, globosae, compactae, terreae, modice durae, vel friabiles, colore griseoalbo, violaceo-rubello, saepius maculatae vel striatae, opacae, tactu pingues, fractura conchoidea, p. spec. 2,2, cum aqua partim tantum mollescentes. Ignitae indurescentes sine fusione. — *Part. const. praev.*: Silicia et Alumina cum Aqua, plerumque autem plus minus Ferri oxydati admixtum est. — Olim ut adstringens adhibebatur. — Hodie exolevit. Lithomarga alba autem passim nomine Boli albae (p. 21.) et Terrae sigillatae prostat.

LUDUS HELMONTII. — Hoc nomine Spatum calcarium insignitur, quod ex Marga soluta venarum instar prominet. — Olim ut medicamentum usurpabatur. — Hodie merito exolevit.

LUMBRICUS TERRESTRIS. Gemeiner Regenwurm. *Ver de Terre.* — Vermis notissimus ex ord. Annulatarum, fam. Gymnodermatarum, ubique in humo humido vulgaris. — Olim haec animalia vino extincta celeriter in clibano leni calore exsiccabantur. — Anodyna, diuretica, diaphoretica, antarthritica putabantur. — *Usus*: In pulvere. — *Praep.*: Spiritus duorum generum, Sal et Oleum coctum. — Hodie merito exolevit.

LYCOPERDON CARCINOMALE L. (Scleroderma carc. Pers.) Krebskugelschwamm. — In promontorio Bonae Spei in summis acervis Thermitum fatalium apparens. — Fungus ex subordine Gasteromycetum, stipitato-radiatus, ovato-oblongus, albidus, basi ruptus, stipite laevi. — Applicatur in patria ad ulcera cancrosa sananda.

MACIS. Muskatenblüthe. *Macis.*

Synon.: Flores Macidis seu Nucistae, Moschatae. Fleurs de Muscate.

Myristicae moschatae L., e cl. Dioecia, ord. Monadelphia, fam. Myristicearum, arboris Indiae orientalis, praecipue insularum Moluccensium, nunc etiam in India occidentali insuetae, Arillus, Semen (Nucem moschatam) ambiens. Lamellas exhi-

bet membranaceas, crassiusculas, subreticulatim laceras, lobis inaequalibus, apice denticulatis, colore laete cinnamomeo-flavescente (dum recens, purpureo), pingue nitentes, consistentia subcoriacea, sed parum flexiles fragilesque; odore fragrante, grate aromatico et sapore aromatico. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et pingue. — *Vis:* excitans, nervina, stomachica.

Sit laete fusco-flava, vel aurantiaca, maxime aromatica; non autem obscure fusca, corrugata, parum aromatica, quae rejicienda.

Usus: In pulvere raro. — *Praep.:* Oleum aethereum, Tinctura, Syrupus. — Additur pluribus quoque compositionibus aromaticis.

MAGNESIA ALBA. Weiße Magnesie. *Magnesie blanche.*

Synon.: Magnesia carbonica seu subcarbonica, mitis, dulcis, Carbonas Magnesiae seu magnesicus, Protocarbonas Magnesiae, Hypocarbonas Magnesiae cum Aqua et Hydrate, Magnesia Salis amari, seu Sedlicensis, Epsomensis, Magnesia muriatica (inepte), Terra amara aërata, talcosa oxyanthracodes, seu Absorbens mineralis, Lac terrae. Kohlensaure Magnesia oder Bittererde, oder Talkerde.

Paratur plerumque in officinis chemicis praecipitatione, vel ex muria salis communis, Magnesiam muriaticam vel sulphuricam continente, vel ex solutione Salis amari, cum natro vel kali carbonico facta; quo modo etiam a pharmacopolo ipso parari potest. — Pulvis levissimus, albissimus, impalpabilis, terreus; plerumque in commercio prostat pressione in massis concretis rectangulare parallelepipedis, levissimis, raris, friabilibus, quae facillime in pulverem redigi possunt; insipidus est, pigmenta reagentia alcalium modo vix alterans, in aqua exigua tantum ex parte solubilis, facilius autem in aqua aërata (i. e. aqua acido carbonico impraegnata), vel aqua minerali acidula (p. 8.); in acidis fortioribus et quidem etiam in acido sulphurico diluto, inter effervescentiam facile dissolubilis; salia formans plerumque facile in aqua solubilia; sapore amaro. — *Part. const.:* Magnesia carbonica 3, et Magnesia hydrata 1 p. M. — *Vis:* absorbens, laxans.

Sit levissima, albissima, insipida; calcinata magnesiam puram albissimam relinquat, cum aqua pura cocta salia alcalina ei ne cedat; in acido sulphurico diluto inter effervescentiam plane dissolubilis, solutio clara neutralisata neque liquore kali bicarbonico, neque acido oxalico diluto commixta, turbetur.

Usus: In pulvere, mixturis quoque admiscetur; cum acidis praescribitur ut Potio Riveri. — Additur aliis quoque compositionibus.

MAGNESIA VITRIARIORUM. Braunstein. *Magnesie noire.*

Synon.: Manganesium seu Manganum oxydatum nativum, Magnesium oxydatum seu hyperoxydatum nativum seu nigrum, Manganesium ochraceum nigrum, Oxydum

seu Tetraoxydum Manganesii seu Mangani nativum, Peroxydum Manganesii nigrum, Superoxydum manganicum, Oxodes Mangani nativa, Molybdaenum Magnesii. Graubraunsteinerz, Weichmangan, Pyrolusit. Oxyde ou Peroxyde de Manganèse noire, Savons de verre.

Nativa reperitur in montibus praecipue porphyricis, passim cum mineris ferreis cet. associata, Germaniae, Saxoniae (Ilefeldae), Bipontinae, Silesiae, Bohemiae, Hungariae, Galliae (Calveron) cet. Occurrit in massis acicularibus vel radiatim fibrosis, crystallinis et amorphis; crystallos autem exhibet recte rhombicas et inde derivandas; colore est nigro-ferreo, splendore levi metallico, opaca; p. spec. 3,6, mollis, fragilis, corpora affricta inquinans, trita pulverem griseo-nigrum praebens; insipida, insolubilis in aqua, acidis plerisque dilutis et liquoribus alcalinis; calore candente uti et cum oleo vitrioli calefacta, oxygenium, cum acido salis calefacta, chlorum emittens. — *Part. const.*: Manganum 1 et Oxygenium 2 p.M. — *Vis:* sialagoga (?).

Sint massae crystallinae, mineris heterogeneis, lapideis vel terreis liberae, molles, corpore duro affrictae lineam ductam griseo-nigram, neutiquam fusco-nigram praebentes, in vase clauso calefactae multum oxygenii, non autem vapores aquosos, emittentes (ceterum conferatur descriptio).

Usus: Ad parandum Oxygenium, Chlorum, Spiritum Salis dulcis, Calcariam chlorosam, Kali chloricum cet. — *Praep.:* Chamaeleon minerale (ut reagens).

MALA INSANA, Fructus (Baccae) Melongenae. Eierfrüchte *Les Melongènes.* — *Solani Melongenae* L. (Cl. cet. v. Herba Solani nigri p. 155.), plantae annuae inermis utriusque Indiae, in Europa meridionali et apud nos cultae, Fructus. — Baccae forma et magnitudine ovi gallinacei, violaceae, luteae vel albae, succulentae; sapore fatuo. — Externe nodis haemorrhoidalibus applicantur. — Refrigerandi et nutriendi ergo crudae, assatae, vel in acetariis, comeduntur.

MALA LYCOPERSICA seu AUREA, Pomum amoris seu paradisiacum. Liebesapfel, Goldapfel, Paradiesapfel. *Pommes d'Amour.* — *Lycopersici esculenti* Dun. (*Solani Lycopersici* L. — Cl. cet. praeced.), plantae annuae Americae australis, nobis hortensis, Fructus. Baccae magnae subcompressae, sulcato-torulosae, variae figurae, colore rubro, vel luteo, succulentae, sapore acidulo-dulci, refrigerante. — *Vis:* refrigerans. — *Usus:* diaeteticus; comeduntur varie praeparata. — Externe tuberibus malignis (Anthrax quae dicuntur), cum eventu applicantur.

MALTUM HORDEI. Gersten-Malz. *Malt d'Orge.* (v. Hordeum p. 161.). Caryopsides germinatae et celeriter siccatae, sapore haud ingrate dulci-amariusculo, farinoso. Plus Sacchari quam Hordeum crudum continet. — *Vis:* nutriens, antiscorbutica (?). — *Usus:* In infuso, decocto. — Praecipue ad parandam Cerevisiam (p. 31.) adhibetur.

MANDIBULAE LUCII PISCIS. Hechtskiefern. *Machoires de Brochet.* — *Esocis Lucii* L., piscis noti ex ord. Gasteropterygiorum, fam. Leptocephalorum, Mandibulae 2—6pollicares, basi latiusculae, cavae, sensim apicem versus attenuatae, subincurvae, dentibus acutis subincurvis, in medio maximis, armatae, colore albo nitente, subdiaphanae, durae. — Praecipue ex Calcaria phosphorica et Cartilagine constantes. — Olim contra pleuritidem cet. laudabantur. — Hodie exoleverunt. — Passim Aquam et Pulverem strumalem ingrediuntur.

MANNA. Manna. *Manne.*

Succus exsudatus et aëre induratus *Orni europaeae* Pers. (*Fraxini Orni* L. — Fl. Bad. III. 794.), e cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Oleinearum, arboris Europae australis passimque Germaniae. Praecipue in Italia (Calabria, Sicilia) colligitur. Distinguuntur: Manna canellata seu canaliculata, longa, canullata. Röhrenmanna, Manna in Stäben. *Manne en batons.* —

Frusta exhibet plus minus longa, convexo-subconcava, ex lamellis concentricis constantia, alba vel subflavescentia, sicca, levia, friabilia, parum glutinosa. — M a n n a i n g r a n i s, M a n n a e l e c t a. Körnermanna, auserlesene Manna. *Manne en grains.* Grana seu frustula exhibet rotundata vel irregularia, discreta, albida, magis glutinosa. Si autem frustula minus albida, sordide lutea vel fuscescentia et in glebis majoribus grumatis agglutinata sunt, M a n n a i n s o r t i s seu c r u d a, Manna in Sorten oder rohe Manna, *Manne en sortes* ou *commune,* nominatur. — Insuper Manna nomen gerit a patria deductum, e. g. M a n n a S i c i l i a n a (C a p a c h i) M a n n a C a l a b r i n a (G i a r a c i seu G e r a c e), Sicilianische, Calabrinische Manna cet. M a n n a c r a s s a seu s p i s s a, s o r d i d a, p i n g u i s. Fette u. s. w. Manna. *Manne crasse* cet. Glebae molles, passim subdeliquescentes, tenaces, glutinosae, humidae, colore sordide fusco-flavescente, granulis albidis vel fuscescentibus uti et ramentis ligneis aliisque quisquiliis plus minus intermixtae. — Manna sapore est dulci, sacchari simili, subirritante simulque praecipue Manna crassa nauseoso. In aqua et spiritu vini calido facile est solubilis, solutio alcoholica concentrata refrigescens in coagulum aciculari-sericeum spissescit. — *Part. const. praev.:* Saccharum proprium (Mannitum) et Principium peculiare nauseosum. — *Vis:* alvum movens.

Sit Manna pura, quisquiliis libera; ceterum et fuscescentem, glutinosam pariter utique albam adhiberi licet. Adulteratio cum saccharo vel melle detegitur ope spiritus vini frigidi, qui saccharum praecipue solvit, vel si fermentationi vinosae subjicitur; Manna enim vix effervescit. Admixtum Sal Glauberi et amarum detegitur ope barytae muriaticae.

Usus: In solutione. — *Praep.:* Manna depurata, Syrupus, Saccharum, Aqua laxativa. — Additur aliis quoque compositionibus.

MANNA BRIGANTINA, L a r i c i n a. Briançoner Manna, Lerchen-Manna *Manne de Briançon.* — *Ex Pino Larici* L. (v. Terebinthina veneta) exsudat. — Granula lutescentia, subglobosa, viscosa, vix piperis magnitudine; odore terebinthinaceo et sapore dulci. — Apud nos non adhibetur. Uti et

MANNA PERSICA, seu A l h a g i. Alhagi-Manna *Manne d'Alhagi*, ex *Hedysaro Alhagi* L. (Cl. cet. v. G. Tragacanthae p. 178.), frutice aculeato Orientis, Syriae, Arabiae, Persiae exsudans. — Granula exhibens alba, flavescenti-vel rubescenti fusca, praecedentium similia, conglutinata; sapore grate dulci. — Viribus laxativis uti antecedens praedita. — In patria crebre adhibetur. — Non minus et

MANNA TAMARISCINA, M a n n a M o s a i c a, M a n J u d a e o r u m. Tamarisken-Manna, Man der Israeliten, *Manne de Tamaris*, *Manne des Juifs*, quae ex *Tamarice orientali* FORSK. (*T. Gallicae* variet. v. Cort. p. 52.) ope insecti, *Cocci mannipari* EHRENB. ex ramis junioribus exsudat. — Granula difformia, albida, Mastici similia, glutinosa, vel massa homogenea, resinose diaphana, sordide lutea, lenissimo calore liquescens; sapore grate melleo, subaromatico. — In patria jam ex antiquissimis temporibus ut alimentum cet. adhibetur. — Plures alii adhuc succi saccharini nomine Mannae veneunt, ut

MANNA CEDRINA. Cedern-Manna. *Manne de Cedre*, a *Pino Cedro* L. (v. Lign.), jam ex longo tempore ut medicamentum usitata.

MANNA CELASTRINA seu BOMBYCINA, G e z, Celastrus-Manna, *Manne de Celastrus*, a *Celastri* specie (?) Persia oriunda.

MANNA QUERCEA, Eichen-Manna, Eichenhonig, *Manne de Chène*, e *Quercus* speciebus exsudans — cet

MARGARITAE, P e r l a e, U n i o n e s. Perlen. *Perles.* — Concretiones lapideae, quae praecipue in *Avicula margaritifera* BRUG. (*Mytilo margaritifero* L.), concha maritima e fam. Avicularium, et *Unione margaritifera* (*Mya margaritifera* L.), e fam. Mytilorum, ceterum tamen etiam in aliis conchis reperiun-

tur. — Granula exhibentes plerumque globosa, vel hemisphaerica, oblonga, variae magnitudinis, colore plerumque albo, pulcherrime nitentia, fragilia, ex lamellis concentricis constantia, in centro plerumque corpus alienum includentia. Distinguuntur: **Perlae orientales**, Ostindische Perlen et **Perlae occidentales**, Abendländische Perlen. Ad usum medicum Perlae minimae, **Perlae textiles**, Staubperlen *Semences des Perles*, quae dicuntur, granum milii magnitudine vix excedentes et **Fragmenta Perlarum**, Perlenbruchstücke, *Fragmens des Perles*, frustula irregularia, anguloso-torulosa, parum splendentia, friabilia, eliguntur. — Perlae insolubiles sunt in aqua, facile autem et cum effervescentia solubiles in acido salis, nitri, aceti cet. — *Part. const. praev.:* Calcaria carbonica. — *Vis:* absorbens. — *Usus:* In pulvere. — Multis compositis, praecipue pulveribus olim addebantur. — Hodie merito exoleverunt. Nihilo enim aliis Calcariis carbonicis puris praestant.

MARMOR ALBUM, SALINUM. Weißer, salinischer Marmor. *Marbre blanc, salin.* — Reperitur in montibus antiquioris aevi. — Massa lapidea, plerumque alba, structura granuloso-foliosa, splendens, in margine subdiaphana, modice dura; ceterum ut Creta (p. 54.) sese habens. — Est Calcaria carbonica purissima, — eodemque modo atque Creta adhibetur.

MASTIX. Mastix. *Mastice.*

Synon.: Mastiche, Gummi seu Resina Mastichis, Resina lentiscina. Mastiche

Resina partim sponte, partim factis post incisionibus effluens et aëre indurescens, *Pistaciae Lentisci* L., e cl. Dioecia, ord. Pentandria, fam. Terebinthacearum, arboris Europae australis et Orientis, praecipue in insula Chio cultae. — Prostat in granis globosis vel lacrymis piperis ad pisi magnitudine, passimque granis majoribus irregularibus intermixtis. Distinguuntur: **Mastix electa**, Auserlesener Mastix, *Mastice elite*, granula exhibens purissima, alba, pallide flava, pellucida, externe sub-pulverulenta, et **Mastix in sortis**, ordinärer Mastix, *Mastice commun.* Ex granis similibus constat, sed cum impuris griseis, fuscis, nigrescentibus uti et assulis ligneis, corticis, arena cet. plus minus intermixta. Mastix dura est sed fragilis, fractura splendente, et facile in pulverem album (si pura) redigi potest; odore debili sed grate balsamico, sapore debili irritante, balsamico; inter masticandum emollescens et glutinans; leni calore liquescens, facile inflammabilis; calefacta nidorem fortem, grate balsamicum spargens; insolubilis in aqua, maxima autem ex parte facile in spiritu vini et penitus solubilis in oleis. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum (paullum) et Resina duorum generum. — *Vis:* irritans, tonica, stomachica (?).

Ad usum medicum solummodo Mastiche electa adhiberi licet. — De confusione Mastichis cum Sandaraca conferatur descriptio hujus resinae.

Usus: In pulvere, pilulis; externe ad suffitus et in emplastro. — *Praep.:* Tinctura, Aqua, Spiritus, Elixirium, Syrupus, Oleum, Pilulae. — Additur etiam pluribus aliis compositionibus ut: pulveribus, pilulis, unguentis, emplastris, candelis et pulveribus fumalibus cet.

MATER PERLARUM, **Nacra Perlarum** seu **Margaritarum**. Perlmutter *Nacre de Perles.* — *Unionis margaritiferae* (v. Margaritae), Testae placentiformis spithamae et ultra magnitudine, crassae; externe asperae, squamosae, intus glabrae, albae. pulcherrime coloribus iridis radiantes, subdiaphanae, compactae, durae. — Est praecipue Calcaria carbonica et ut medicamentum nihil omnino praestat Conchis (p. 40.). — Ceterum hoc nomine etiam aliae Conchae intus splendentes et versicolores usurpantur.

MEDULLA BOVINA seu BOVIS. Ochsenmark, Knochenmark. *Moëlle de Boeuf.* — Cavum ossium tubulosorum *Bovis Tauri* L. explens. — Massa cellulosa, albida

vel lutescens, pinguis, solida sed friabilis; lenissimo calore mollescens. inodora et insipida, — praecipue ex Pinguedine propria solida, grate miti, cuticulis cellulosis intermixta constans. Ad unguenta varia adhibetur. (Ejus loco etiam Medulla cervina, Hirschknochenmark, *Moëlle de Cerf*, aliarumque mammalium, praecipue ex ordine Ruminantium adhibetur.)

MEL. Honig. *Miel.*

Ab *Apibus mellificis* L. (v. Cera p. 30.) ex floribus aliisque partibus plantarum succum saccharinum exsudantibus colligitur et concoctione aliquantulum immutatum ad foveas explendas adhibetur. Eliquatione lenissimo calore e foveis separatur. Fluidum spissum diaphanum, aliquantulum tenax, glutinosum, tempore magis spissescens et massam paene solidam, mollem, grumosam, glutinantem, opacam exhibens, colore albido, vel plus minus flavo et fuscescente; odore debili proprio et sapore grate dulcissimo. Multae autem varietates, quoad colorem, odorem et saporem sunt. Melius est Mel album, Mel Narbonense, Mel Virginum, Weißer Honig, Französischer, Narbonischer Honig, *Miel blanc*, colore plus minus albo, vix flavescente, odore et sapore gratissimo.—Mel crudum seu commune flavum, Gemeiner gelber Honig, *Miel jaune*, colore plus flavo-subfuscescente, sapore minus grato, simul plus irritante. — Mel facile est solubile in aqua uti et in spiritu vini simplici. — *Part. const. praev.:* Saccharum grumosum (Krümelzucker) et Saccharum mucilaginosum (Schleimzucker). — *Vis:* nutriens, demulcens, resolvens, aperiens.

Sit albidum, seu flavescens, spissum, et odore et sapore grate dulci. Mel tenue, odore et sapore ingrato acidulo uti et farina aliisque sordibus contaminatum, rejiciatur.

Usus: In substantia interne et externe; additur etiam mixturis, electuariis, bolis cet. — *Praep.:* Mel despumatum, rosatum, mercuriale, Hydromel, Ceromel, Aqua Mellis, Oxymel simplex, squilliticum, colchicum, Unguentum Aegyptiacum, Suppositoria. Est constituens Electuariorum, Looch cet., et additur aliis quoque compositionibus.

MELO, Fructus Melonum. Melone. *Melon.* — *Cucumeris Melonis* L. (Fl. Bad. IV. 692. — Cl. cet. v. Cucumis p. 55.), plantae annuae Indiae orientalis, apud nos cultae, Cucumeris sativi similis, sed foliis subcordatis, indivisis, sinuato-denticulatis, angulis rotundatis, asperis, Fructus. — Pepo plerumque magnus, subglobosus vel oblongus, torulosus, laevis, passim verrucosus (Cantaloupes). albidus, pallide viridis, flavus cet. (variat quam maxime magnitudine, figura et colore), odore gratissimo aromatico, pulpa plerumque aurantiaca, sapidissima, vinoso-dulci. — *Part. const. praev.:* Saccharum et Salia varia. — Pulpa refrigerandi ergo comeditur.

† MELOË PROSCARABAEUS L. et MELOË MAJALIS Fabr. Gemeiner und vergoldeter Maywurm. *Meloë proscarabée* et *Meloë de Mai.* — (Cl. cet. v. Cantharides p. 24.). Scarabaei tardi, indigeni, terrestres, qui in pratis siccis, arvis aridis, inde a mense Aprili usque ad Junium conspiciuntur et quorum prior apud nos vulgaris, major, glaber, capite magno, obtuse 3-gono exserto, declinato, antennis suberectis, 11-articulatis, thorace obtuse 4-gono capite angustiore, abdomine oblongo, inflato, molli, vix usque ad medium elytris ovatis, subrotundatis, divergentibus tecto, alis destitutus, pedibus longis, tarsis antice 5-, postice 4-articulatis; 1 — $1\frac{1}{2}$ pollicem longus, totus unicolor, atro-coeruleus; alter minor, $\frac{3}{4}$ — 1 pollicem longus, capite, thorace et elytris obscure viridescente-violaceis, abdomine aureo-viridi et

segmentis 6 dorsalibus colore cupreo pictis (*Meloë majalis* L. est major, bipollicaris, fusco-niger cum segmentis abdominis pallide lutescentibus). Ambo odore sunt praediti debili, nauseoso, cantharidum simili; si tanguntur, ex omnibus articulis succum exprimunt croceum, odore penetrante, quodammodo violarum simili, sapore primo subdulci, post acerrimo caustico, qui, cuti si applicatur, vesicas excitat. Hinc caute ita colligenda insecta, ne succus perdatur. — *Part. const. praev:* ut Cantharidum (?). — *Vis:* eadem (?). — *Usus:* In substantia recentes, vel in pulvere; interne caute adhibendae. *Praep.:* Meloës melle conditae, Electuarium contra morsum Canis rabidi Disp. Brand. — Cave confundas cum Scarabeo Melolontha L. (Melolontha vulgari, v. infra).

MEPHITIS PUTORIUS Cuv. (Viverra Putorius L.) Gestreiftes Stinkthier, Skunk, *Mouffette.* — (Cl. cet. v. Axungia Lutrae p. 13.). Animal Americam borealem et australem inhabitans, martis simile; corpore postice incrassato, pelle longe piloso, nigro, in dorso striis binis albis longitudinalibus praedito. Si exagitatur liquorem ejicit e glandulis prope anum positis, odore penetrante foetido, qui in patria ut antihystericum usurpatur.

† MERCURIUS. Quecksilber. *Mercure.*

Synon.: Mercurius vivus, Hydrargyrum, Hydrargyrus, Argentum vivum. Wassersilber. Vif-argent.

Ex mineris mercurialibus, praecipue cinnabarinis, in officinis metallariis obtinetur. Praecipue ex Idria, agro Bipontino, Hispania uti et America adfertur. — Metallum nobile, fluidum, splendidissimum, colore argenteo, p. spec. 13,6, temperatura ordinaria aëris aditu immutabile, in frigore forti rigescit, temperatura 280° R. ebullit et destillari potest. P. M. 1265,822. Si teritur cum variis pulveribus (saccharo cet.) vel mucilaginibus spissioribus, balsamis cet., exstinguitur et fluiditatem perdit; calefactum, aëre adjuvante aegre in oxydum pervertitur. In acidis pluribus insolubile, facile autem solubile in aqua forti, uti et calore adjuvante in oleo vitrioli. Salia format plerumque decolora vel oxydulata, quae soluta alcaliorum ope colore griseo-nigro, salium muriaticorum ope in floccos albos, salium hydriodicorum ope in floccos viridi-citrinos, acidi hydrothionici ope colore nigro praecipitantur; vel oxydata, quae alcaliorum fixorum ope colore aurantiaco, ammoniaci ope colore albo, salium hydriodicorum ope colore sclaratino et paucilli acidi hydrothionici ope colore fusco-luteo vel nigrescente, in album abeunte, si vero in excessu admiscetur, colore nigro persistente praecipitatur; ambo aliquot metallorum ope, e.g. cupri, mercurium regeneratum deponunt. — *Vis:* antisyphilitica, antipsorica, anthelminthica cet.

Sit splendidissimum, mobilissimum, digitis non adhaerens, super chartam facile currens et tactu in globulos dissiliens, qui, si appropinquantur, statim in unum coeant; minime autem sit spisse vel tenax chartam inquinans; caloris ope penitus avolet (ceterum confer proprietates supra descriptas).

Usus: In substantia, interne per se rarissime, cum pulveribus autem vel mucilagine extinctus, cum aqua coctus. — *Praep.:* Aethiops alcalisatus, graphiticus, saccharatus, mineralis, antimonialis, per se, Pulvis hypnoticus, Cinnabaris, Mercurius violaceus, praecipitatus albus, ruber, Turpethum minerale, Calomel, Mercurius sublimatus corrosivus, so-

solubilis Hahnemanni, Moscati, Hydrargyrum phosphoricum oxydulatum et oxydatum, Hydrargyrum bibromatum et bromatum, Hydrargyrum biiodatum et iodatum, Mercurius acetatus, Hydrargyrum aceticum oxydatum, Hydrargyrum cyanatum, Mercurius nitrosus Selle, Hydrargyrum nitricum oxydulatum et oxydatum, Tartarus mercurialis, Mercurius tartarisatus, Sapo mercurialis, Mucilago mercurialis, Syrupus mercurialis, Mel mercuriale, Aq. phagadaenica, Pilulae, Boli et Trochisci mercuriales, Emplastrum, Linimentum et Unguentum mercuriale, Cereoli mercuriales. — Additur pluribus aliis etiam compositionibus.

MESPILA, Fructus, Baccae seu Poma Mespili. Mispeln, gemeine deutsche Mespeln Nespeln, Mespeln *Nefles*. — *Mespili germanicae* L. (Fl. Bad. II. 380 — Cl. cet. v Cydonia p. 56.), fruticis vel arboris indigenae et cultae Fructus. — Poma bacciformia, parva sed varia magnitudine et figura, plerumque obovato-subglobosa, apice truncata, umbilicata, subvillosa, primo viridia et rufescentia, postremo fusca, sub-5 pyrena, ossiculis unilocularibus 2-spermis; immatura dura, sapore peracerbo-adstringente; adsecuta maturitatem mollescentia et dulcescentia. — *Part. const. praev.*: Acida vegetabilia, Saccharum et Principium adstringens. — *Vis:* nutriens, refrigerans, adstringens. — *Usus:* diaeteticus. — Siccata Mespila, gedörrte Mispeln, olim ut medicamentum usurpabantur. — Hodie exoleverunt.

MILIUM, Semen Milii. Hirse, Hirsensamen. *Millet.* — *Panici miliacei* L. (Fl. Bad. I. 132. — Cl. cet v. Avena p. 12.), plantae annuae cerealis Indiae orientalis, quae apud nos crebre colitur, Semen tunicis glumaceis caryopsidis molae ope ablatum. Granula exhibens globosa, capitis acus magnitudine, colore flavescente, intus alba, farinosa; inodora, sapore farinoso-dulciusculo. — *Part. const. praev.*: Amylum, Saccharum et Materia glutinosa. — *Vis:* nutriens. — *Usus:* diaeteticus. Pulvis Milii contra diarrhoeam praescribitur.

MILLEPEDES seu Millepedae, Centipedes, Aselli. Kellerassel, Kellerwürmer, Kelleresel, Maueresel. *Cloportes.* — *Armadillo vulgaris* LATR. (*Oniscus Armadillo* L.), Crustacea ex ord. Isopodum, fam. Asellorum, locis humidis, sub lapidibus, in muris cet. obvia. Corpore elliptico-oblongo, ½ pollicem circiter longo, capite subsecreto, antennis 4 margine capitis excavato insertis, exterioribus 7 articulatis; dorso convexo ex 7 annulis constante, glabro, nitente, colore cinereo, coerulescente vel fuscescente, passim maculato, cum marginibus annulorum albidis, cauda 5 annulata, postice rotundata, cum corpore concreta; annulis omnibus parte se invicem tegentibus, pedibus 14 gradariis. Animalia si tanguntur, conglobari solent, ita ut, si vaporibus aquosis calidis cet. necantur, post mortem granulorum globosorum, seminum Coccognidii quodammodo similium, formam assumant; recentia odore debili mucido, siccata inodora, sapore nauseoso-salso. — *Part. const. praev.*: Gelatina animalis et Salia muriatica (?). — *Vis:* aperiens, diuretica, antinephritica (!), antiasthmatica. — *Usus:* In pulvere, recentes in electuario, emulsione. — *Praep.*: Succus expressus, Conserva, Syrupus, Jus, Tinctura. Aliis quoque adduntur compositionibus. — Sint in globulos convoluti, coeruleo- vel fusco-cinerei, non autem decolores vel ab insectis corrosi. — Cave confundas cum *Oniscis Asellis* L., in cavis humidis, sub trabibus cet. viventibus, iis simillimis, sed colore griseo, in lateribus maculis lutescentibus pictis, antennis exterioribus 8-articulatis et caudae appendiculis inaequalibus prominentibus; carentibus etiam facultate sese conglobandi.

MINERA MARTIS SOLARIS. Hessischer Eisenvitriolkies *Mine martiale d'Hesse.* — Pirites ferri radiatus, (Strahlkies, Wasserkies). — Reperitur in montibus stratificatis, praecipue lithantracibus, in multis regionibus, Silva nigra, Hassia cet. — Crystallos format recte rhombicas, octaedricas, rectangulares et ab his derivandas, saepius radiatim junctas; occurrit porro in massis stalactideis, racemosis, reniformibus, ovalibus et amorphis, colore laete-sulphurino, splendore metallico, p. sp. 4,6. Aëris et aquae aditu facile obscure glaucus fit, solvitur et in vitriolum martis convertitur; ignitus nidores sulphurosos edit. — Est Ferrum bisulphuratum nativum. — Olim ut medicamentum adhibebatur. — Hodie exolevit. — Praecipue autem ad parandum Vitriolum viride inservit.

† MINIUM. Mennige. *Plomb rouge.*

Synon.: Minium rubrum, Sandix, Plumbum hyperoxydulatum, Oxydum seu Deutoxydum Plumbi rubrum, Superoxydum plumbosum, Plumbum oxydatum rubrum. Mennig, Bleihyperoxydul, rothes Bleioxyd. Oxyde rouge ou Deutoxyde de Plomb.

Paratur in officinis chemicis ustione Cerussae citrinae seu Massicot (p. 31), vel Lithargyrii praeparati (p. 175.), aëre adjuvante, usque ad rubedinem. Pulvis ex aurantiaco ruber, ponderosus, insipidus, insolubilis in aqua, si calefit colorem obscure fuscum assumens, in acidis fortioribus temperatura ordinaria

partim tantum dissolubilis et pulverem brunneum relinquens. *Part. const.*: Plumbi 1 et Oxygenii $1\frac{1}{2}$ p.M. — *Vis*: exsiccans, interne toxica.

Sit colore pulchre rubro, cum acido salis in excessu et 50 aquae partibus calefactum, vel acido acetico concentrato mixto, penitus solvatur, solutio decolor, acidi sulphurici ope plane praecipitetur, addito autem Kali borussico nec coeruleum nec fusco-rubrum colorem assumat.

Usus: In pulvere externe, in unguentis, emplastris. — *Praep.*: Emplastrum, Unguentum. — Additur aliis quoque emplastris et unguentis.

MOMORDICA, Fructus Momordicae Pomum hierosolymitanum. Balsamapfel, Wunderapfel. *Balsamine*, *Pomme de merveille*. — *Momordicae Balsaminae* L. (Cl. cet. v. Cucumis p. 55.), plantae annuae scandentis Indiae orientalis, foliis longe petiolatis, palmato-5-lobis, anguloso-dentatis, glabris, splendentibus, floribus pallide sulphureis, Fructus. — Pepo ovalis, utrinque attenuatus, angulatus et tuberculatus, ruber vel aurantiacus; si tangitur facile a pedunculo desiliens atque in segmenta dilabens. — Olim ut medicamentum adhibebatur. — *Praep.*: Oleum Momordicae. — Hodie exolevit.

MOSCHUS. Bisam. *Musc.*

Moschi moschiferi L. e cl. Mammalium, ord. Bisulcarum, fam. Cervinorum, animalis montes alpinos asiaticos incolentis, capreae similis, sed minoris, acornuti, Folliculus maris ventri insidens ante praeputium, materia excreta propria repletus. — Prostat in commercio siccatus, figura orbiculari, magnitudine circiter ovi gallinacei, plerumque autem minor et passim major, in uno latere planus vel parum turgidus, nudus, in altero latere convexus et pilis brevibus versus medium radiatim concentricis obsessus, ubi foramina duo minuta, quorum unum in moschum ipsum, alterum vero in vaginam urethrae aperitur. Distinguuntur: 1) Moschus Tonquinensis, Tunquinischer Bisam, quocum congruit Moschus Orientalis seu Tibetanus, Orientalischer oder Tibetischer Bisam, praestantissima species, folliculos exhibens parvos rotundatos, pilis, praecipue in media parte, raris adpressis et fuscescentibus praeditos. 2) Moschus Bengalensis, Bengalischer Bisam, in folliculis majoribus orbicularibus, vel suboblongis obvius, pilis praeditis densioribus, pallidioribus, cinereo-flavescentibus. Uterque cute coriacea colore obscure fusco sunt praediti. — 3) Moschus Cabardinus, Sibiricus, Rossicus, Kabardinischer, Sibirischer, Russischer Bisam, in folliculis prostat plus minus oblongis, passim complanatis, corrugatis, varia magnitudine; pilis albis vel griseo-albis, longioribus, magis erectis, dense obsessis, cum fasciculo penicilliformi fusco-rubro ante medium folliculum, colore cutis pallidiore, cinereo-fuscescente. Haec species inferioris est pretii. — Moschus ipse folliculos explens cavos, intus membranula tenui diaphana, nitente, quae facile solvi potest, vestitos, massa est grumosa et granulosa, sub-unctuosa, parum cohaerens, mollis, sed pro aetate cet. varia consistentia, obscure fusca, glebulis globo-

sis vel oblongis variae magnitudinis, fusco-nigris, pingue nitentibus plus minus intermixta et, magis exsiccata, punctis pallidioribus salinis, porro segmentis cuticulae et pilis tenerrimis intermixta; odore penetrantissimo (si recens, subammoniacali), majori quantitate naribus admota, gravi, procul autem, aut particularum minorum, grato, diu persistente, et aliis rebus arcte adhaerente (Moschus genuinus per tempus suaviorem odorem assumit), sapore subsalso, subaromatico, ingrate amaro et gutturali; in aqua calida maxima ex parte, et addito ammonio caustico fere totus, in alcohole vini minori tantum ex parte solubilis; calefactus primo nidorem aromaticum, post ingratum animalem empyreumaticum edens et carbonem porosum, nigro-splendentem relinquens, qui, si comburitur, pauxillum cineris griseo-albi relinquit. – *Part. const. praev.:* Materia humosa [moderartig], Resina propria amara, Cholesterium [Gallenfett], Ammoniacum, Salia varia et Principium proprium volatile, quod per se sisti non potest. — *Vis:* maxime incitans, nervina, sopiens, antispastica, diaphoretica, totum corpus perfundens.

Sit Moschus in folliculis supra ut bonae notae descriptis, integris, sine sutura, consistentia mediocriter molli, multis globulis pingue nitentibus intermixtus, sub lente particulae fibrosae ne appareant; odoris sit penetrantissimi, in aqua maxima ex parte solubilis, solutio ope mercurii sublimati corrosivi non, tincturae gallarum parum tantum, acidorum autem copiose in floccis praecipitetur. — Moschus in folliculis oblongis, pilis albis dense obtectis, Cabardinus qui dicitur (v. s.), glebam exhibens magis homogeneam, colore pallidiore, rufescente, odore debili vel ingrate alieno, pari etiam sapore, aut particulis fibrosis, arena aliisque quisquiliis intermixtus, in aqua calida minori tantum ex parte solubilis et si solutio ope mercurii sublimati in floccos praecipitatur, vel si comburitur, cinerem rufescentem relinquit, rejiciatur.

Usus: In substantia, in pulvere cum saccharo tritus, in pilulis, mixturis quoque admiscetur. — *Praep.:* Tinctura, Globuli. — Additur pluribus quoque aliis compositionibus.

MUMIAE, Mumiae Aegyptiacae. Mumien. *Momies* ou *Mumies d'Egypte.* Ex Aegypto advehuntur. — Cadavera sunt humana veterum, resinis variis aromaticis, balsamis et bitumine condita; raro integra, sed plerumque in partes divisa, prostant, — Frusta exhibentia variae figurae et magnitudinis, compacta, fragilia, obscure fusca, opaca et plus minus splendentia, externe impressionem lintei, in quo involuta fuerunt, ostendentia; si calefiant odore aromatico-balsamico, bituminoso, haud ingrato, sapore amaro, balsamico-resinoso. Hodie obsoletae.

MUMIA PERSICA NATIVA. Natürliche Persische Mumie *Momie* ou *Mumie naturelle de Perse.* — Bitumen esse fertur, valde pretiosum, in caverna quadam sub radice montis Caucasi, e rupe exsudans (?), coloris nigri, odoris grate balsamici, saporis parum dulcis. — *Vires* ei vulnerarias miras adscribunt. — Apud nos non prostat; ejus loco passim Ambra nigra (p. 4.) venditari fertur.

MURES. Mäuse *Souris.* — *Mus Musculus* L. Animalia notissima, — in indice medicamentorum pharmacopoeae Hispanicae adhuc inveniuntur.

MURES MARINI. Seemäuse, Meermäuse *Souris marines.* — Hoc nomine folliculi complanati, oblongo-quadrangulares, bipollicares et ultra, cavi, cum propaginibus quadrupedes mentientibus, prostant, ex pellicula fusco-nigrescente, tenerrime striata, tenui, coriacea, constantes, qui in mari et ad ejus littora inveniuntur. — Ova sunt Rajae vel potius Squali specierum, piscium marinorum. — Olim ut antihaemorrhoidale adhibebantur. — Hodie merito exoleverunt.

MUSCA DOMESTICA L. Die Haus- oder Stuben Fliege. *Mouche.* — et aliae Muscae species, uti et *Culex pipiens* L. et *Tipula oleracea* L. Mücke und Schnacke, Cousin et Tipule cet. — quae olim ut medicamentum pro remedio purgante adhibebantur, jam dudum merito exoleverunt.

MUSCERDA, Stercus nigrum. Mäusekoth. *Crotte de Souris.* — *Muris Musculi* L. (v. supra),

quod olim uti aliorum animalium Stercus, e. g. Canis, nomine Albi graeci, weißer Enzian, *Crotte de chien*, absurde ut medicamentum adhibebatur, jam diu exolevit.

MUSCUS ACACIAE, seu arboreus. Schlehenbornmoos, Schlehen-Moos oder Flechte, Pflaumenflechte, weißes Punaenmoos *Mousse de Prunier sauvage*. — *Evernia* (*Parmelia*) *Prunastri* Ach. (*Lichen Prunastri* L.). — Lichen indigenus in sepibus cet. vulgaris, praesertim ramis Pruni spinosae L., verum etiam aliorum fruticum et arborum superincrescens, thallo cespitoso-ramoso, albido-cinerascente, subtus albidiore, ramis expansis, laciniis dichotomo-multifidis, erecto-adscendentibus, linearibus, attenuatis, rugoso-lacunosis, subtus canaliculatis, scutellis concavis, rufis, marginatis; exsuccus, aridus. — Olim ut medicamentum adhibebatur. — Hodie exolevit.

MUSCUS ALBUS QUERNUS seu ARBOREUS. Baummoos, Eichenmoos, netzförmiger Baumbart, Wickelflechte, verworrene Strauffel- oder Haar-Flechte. *Mousse de Chêne*. — *Parmelia plicata* Spr. (*Usnea plicata* Hoffm., *Lichen plicatus* L.), Lichen indigenus vulgaris, truncis arborum senescentium, e. gr. Quercuum, Fagorum, Pinorum, cet. superincrescens, thallo cespitoso, pendulo, scabro, albo, virescente, per senium crusta alba obducto, ramis laxis ramosissimis, ultimis capillaceis, scutellis orbicularibus planis concoloribus, radiato-ciliatis, abortientibus tuberculatis fuscis. — Olim ad sanguinem sistendum, contra tussim convulsivam cet. adhibebatur. — Hodie exolevit.

MUSCUS BARBATUS. Bartmoos oder Bartflechte. *Parmelia articulata* Spr. (*Usnea articulata* Hoffm., *Lichen barbatus* L.). Lichen pariter vulgaris ac praecedentes, arboribus vetustis adhaerens, thallo pendulo ramosissimo, pallide viridescente, passim sulphureo, articulato, glabro, articulis subventricosis, discretis, ramis divergentibus, ramulis capillaceis concoloribus, scutellis abortientibus tuberculatis fuscis. Olim ut medicamentum adhibebatur. — Hodie exolevit. — Ejus loco saepius *Parmelia florida* Spr. (*Usnea florida* Hoffm., *Lichen floridus* L.), thallo erecto et pendulo scabro fibrilloso, colore pallide cinereo, scabro, scutellis orbiculatis planiusculis, carneo-pallidis, latissimis, radiato-ciliatis — sum. batur.

MUSCUS CANINUS, Herba Musci canini, seu Hepaticae terrestris, Muscus cinereus, Muscus seu Lichen terrestris. Hundsmoos, Hundsschildflechte, Steinleberkraut. *Mousse ou Lichen contre la rage*. — *Peltigera canina* Hoffm. (*Lichen caninus* L.). Lichen terrestris silvaticus vulgaris, thallo expanso, cinereo virescente, siccatus pallide cinereo, subtomentoso vel glabro, crassiusculo, tenaci, coriaceo-membranaceo, subtus albido, ramis fibrillisque circumdatus concoloribus, centris fusco-cinereis, scutellis marginalibus erectis, peltiformibus, convexe subrotundis, fuscis; odore submucido, sapore subsalso amariusculo, mucilaginoso. — Olim contra hydrophobiam laudabatur. — Hodie exolevit. — Nomine Musci seu Lichenis terrestris cinerei etiam Parmelia nivalis Spr. (*Lichen nivalis* L.) colligebatur.

† MUSCUS CATHARTICUS, Muscus erectus, Herba Selaginis. Purgir Kolben Moos, Purgir-Bärlapp, Tannen-Bärlapp, Nadel-Kolben Moos *Lycopode Sélagine*. — *Lycopodium Selago* L., e cl. Cryptogamia, fam. Lycopodiacearum, Planta perennis indigena in pratis montosis et ericetis humidis passim, caulibus erectis, strictis, semipedalibus, spithameis, dichotomis, ramis fastigiatis, foliolis saepius 8-fariis patentibus, in ramulis extimis imbricatis, patulis, lineari-lanceolatis, acuminatis, in apice serrulatis glabris, laete viridibus, rigidiusculis, fructibus axillaribus bivalvibus, flavis; inodora, sapore nauseoso amariusculo, post irritante. — *Vis*: drastica, purgans, emmenagoga, narcotica (?). — *Usus*: interne et externe in decocto, ut purgans, ad necandos pediculos cet. — Planta venenata caute adhibenda.

MUSCUS CLAVATUS, Herba Musci clavati seu terrestris, Lycopodium. Gemeines Kolbenmoos oder Bärlapp. *Mousse terrestre*. — *Lycopodium clavatum* L. (Cl. cet. praeced.). Planta perennis silvatica, montosa, vulgaris, caule repente, ramis adscendentibus, irregulariter dichotomis, foliolis sparsis confertis, erecto-patentibus, inflexis, lineari-subulatis, apice setiferis integerrimis, laete viridibus, spicis fructiferis pedunculatis, geminis flavis; inodora, sapore subirritante, amariusculo, subdulci. — *Vis*: purgans, traumatica; contra plicam polonicam laudatur. Vide etiam Semen Lycopodii.

MUSCUS CORALLINUS, Corallina. Korallenmoos, Meermoos, Flechtenkorall. Korallenflechte. *Mousse marine* ou *Coralline*. — *Corallina officinalis* Ellis. Polypus marinus in mari europaeo vulgaris, lichenem cespitosum mentiens, cespites formans parvos, pulchellos, 2—4-pollicares, ex ramulis erectis articulatis, superne bifariam pinnatis, in massam calcariam (quasi radicantes) nidulantes, ramulis trifidis, articulis compressis cuneiformibus, truncatis, 1/2 — 3/4 lineam longis, extrinsecus calcareis, intus corneis, colore albo, rubello vel viridescente, aëris aditu mox evanescente. Rigidus et fragilis est (hinc plerumque in fragmenta diffracta, massa calcaria, plerumque etiam conchis parvis cet. intermixta prostat); odore debili fucino, sapore subsalso; in acido nitri inter effervescendum maxima ex parte solubilis. — *Part. const. praec.*: Calcaria carbonica, Gelatina cartilaginea et Iodum (?). — *Vis*: vermifuga. — *Usus*: In pulvere, electuario. Ne confundatur cum Helminthochorto p. 88.

MUSCUS seu USNEA CRANII HUMANI. Menschenhirnschädel-Moos. Todtenkopf-Moos. *Mousse du Crâne humaine*. — Hoc nomine varii Lichenes, e. g. *Parmelia omphalodes* et *saxatilis* Ach. (*Lichen omphalodes* et *saxatilis* L.) *Usnea hirta* Ach. cet. qui ossibus vetustis, praesertim cranii latronum superinerescent, colligi solebant. — Merito autem jam dudum exolevit.

MUSCUS CUMATILIS. Grünes Leber-Moos, Schwammschildflechte, warzige Schildflechte. *Mousse aux Aphtes*. — *Peltigera aphthosa* Hoffm. (*Lichen aphthosus* L.). — Lichen silvaticus terrestris, iisdem locis quibus Muscus caninus occurrens, ei simillimus, sed distinguitur thallo livide viridescente, supra verrucis fuscis adsperso et subtus venis nigris reticulato, lobis fertilibus medio angustatis, margine reflexis, scutellis amplis oblongis adscendentibus, margine inflexo sublacero; odore passim subtaetro mephitico (?). — *Vis*: purgans (?), vermifuga (?). — *Usus*: In pulvere, infuso. — Apud nos non adhibetur.

Eodem modo etiam adhibentur Peltigera horizontalis Hoffm., Peltigera venosa Hoffm. et Peltigera polydactyla Hoffm., Lichenes iisdem passim locis crescentes.

MUSCUS PULMONARIUS, Lichen pulmonarius, Herba Pulmonariae arboreae. Lungenmoos oder Lungenflechte, Baumlungenkraut. *Lichen pulmonaire*, *Pulmonaire de chêne*. — *Sticta pulmonacea* Ach. (*Lichen pulmonarius* L.), Lichen silvaticus, ad truncos arborum vulgaris, thallo dilatato, profunde sinuato, laci-

niato, lacunoso-reticulato, laciniis truncatis, colore olivaceo, siccato pallide fusco, passim albo-maculato, subtus flavescente vel rufescente, villosiusculo, membranaceo-coriaceo. tenaci, cyphellis maculiformibus albis et verrucis glomeratis nigris obsesso, scutellis sub- marginalibus planis, rufo-fuscis, margine thallo subrugoso; inodorus, sapore submucilaginoso amaro. — *Vis:* pectoralis, resolvens. — *Usus:* In pulvere, decocto. — Hodie (forsitan immerito) exolevit.

MUSCUS PIXIDATUS, Muscus cocciferus, Herba ignis, Lichen pixidatus major et minor. Buchsenmoos oder Büchsenflechte, gemeine und Scharlach-Kelch-Flechte, Feuerkraut. *Lichen entonoir* et *coccifère.* — *Cladonia pixidata* SPR. et *Cladonia coccifera* BAUMG. (*Lichen pixidatus* et *Lichen cocciferus* L.). Lichenes terrestres, ad silvarum margines, ad vias cet. locis sub-humidis umbrosis vulgares; thallo squamoso-foliaceo, laciniis crenulatis, adscendentibus, podetiis albo pulverulentis, elongatis, scyphiferis, simplicibus vel subramosis, scyphis margine fructiferis, fimbriatis, radiatis vel proliferis, tuberculis fuscis (Clad. pixidata), vel thallo foliaceo minuto, laciniis rotundatis, crenatis, podetiis elongato-turbinatis, omnibus scyphiferis, verrucososo-scabridis, scyphis cyathiformibus, irregulariter dentatis; tuberculis subdilatatis coccineis (Clad. coccifera). Ambo simulque passim cum aliis Cladoniae speciebus colliguntur; inodorae, sapore mucilaginoso-amaro. — *Vires* praecedentis et Lichenis islandici similes habent. Olim praecipue contra tussim convulsivam celebratae. — Hodie immerito vix adhibentur.

MUSCUS VULGARIS. Gemeines Moos. *Mousse vulgaire.* — *Hypnum triquetrum* L. Muscus frondosus vulgatissimus, caule erecto vel subdecumbente, firmo, subpinnato ramoso, ramis alternis, apice incrassatis, ramulis apice recurvis, foliolis squarrosis, cordatis, 3-angularibus, lanceolato-acuminatis, serrulatis, substriatis, enervibus, setis axillaribus erectis glabris, capsulis parvis cernuis, ovato-ventricosis, glabris, operculo conico clausis, peristomio duplici, externo dentibus 16 liberis, interno membranam teneram in dentes, ciliis interpositis abeuntem exhibente. — Olim contra tussim convulsivam adhibebatur. — Hodie merito exolevit.

MUSTELA PISCIS. Aalruppe. *Arête de Murene.* — *Gadus Lota* L. (vid. Liquor Mustelae p. 174.). Piscis 1 — 2 pedalis, Anguillae (p 6.) similis, sed capite brevi lato, depresso, maxilla superiore prominente, inferiore unico barbae filo praedita, corpore fusiformi, supra flavescente-viridi, fusco-maculato, infra flavescente-albo, cuti gelatinoso-viscosa, squamis destituta, foveolata, pinnis dorsalibus duabus et pinna ani longissima praeditus; carne sapido. — Praeter Axungiam hepatis olim etiam Spina dorsi seu Vertebrae exsiccatae praescribebantur, praesertim contra epilepsiam. — Hodie merito exoleverunt.

MYROBALANI 5 GENERA, Balanites aegyptiacae. Myrobalanen *Myrobalans.* — Hoc nomine fructus Terminaliarum et Phyllanthorum quarundam, arborum Indiae orientalis, e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Combretacearum et cl. Monoecia, ord. Triandria, fam. Euphorbiacearum, siccati, prostant. Distinguuntur:

1) Myrobalani Belliricae seu rotundae. Bellirische, runde Myrobalanen. *Myrobalans Belliries.* — Drupae subglobosae vel ovales, vix angulosae, passim pedunculo brevi instructae Gallarum majorum (p. 84.) magnitudine, colore griseo-fusco, subpulverulentae.

2) Myrobalani Chebulae. Grosse schwarzbraune Myrobalanen. *Myrobalans Chebules.* — Drupae oblongae subpyriformes, utrinque attenuatae, 1 1/2 pollicares, rugosae, sub-10-costatae, colore obscure fusco.

3) Myrobalani citrinae, luteae seu flavae. Gelbe Myrobalanen *Myrobalans citrins.* — Drupae praecedentium similes, sed minores 5-costatae, colore fusco-flavo.

4) Myrobalani Emblicae. Aschfarbene Myrobalanen *Myrobalans Emblics.* — Fructus subrotundi, 3-cocci, 6-costati, gallarum magnitudine, colore nigro-griseo. In segmenta dissecta prostant, maxime corrugati, rugosi.

5) Myrobalani Indicae, nigrae, Indianische, schwarze Myrobalanen. *Myrobalans Indiens, noirs.* — Fructus oblongi tenues, Anthophyllorum (p. 7.) passim magnitudine, rugosissimi, obsolete 5-costati, colore obscure griseo-nigro; apyreni, intus subexcavati.

Myrobalani omnes inodorae sunt, sapore peradstringente, partim amariusculo vel acidulo. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore intense coeruleo-nigro imbuitur. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum adstringens et amarum et Acida vegetabilia. — *Vis:* adstringens, laxans (?). — *Usus:* In pulvere, decocto. — Apud veteres maxime existimabantur, praecipue in morbis biliosis. — Apud nos exoleverunt.

MYRRHA. Myrrhe. *Myrrhe.*

Synon.: Rothe Myrrhe, Myrrha rubra. Gummi (Resina) Myrrhae.

Succus sponte effluens et aëre induratus *Balsamodendri Kataf* KUNTH. (*Amyridis Kataf* FORSK) et *Balsamodendri, Myrrhae* NEES ab ESENB. (Cl. cet. v. Elemi p. 54.), arborum Arabiae felicis. Distinguuntur: Myrrha selecta, auserlesene Myrrhe. Grana seu frustula irregularia rugoso-gibbosa, variae magnitudinis, pici ad nucis juglandis; granula minora etiam

Myrrha in granis seu in lacrymis, Myrrhe in Körnern oder in Thränen, audiunt; colore pallide vel obscure fusco-rubro, subdiaphana, passim fere opaca, extus subpulverulenta, si adspirantur, pingue nitentia, tactu arida simulque tamen subpinguia, aqua ponderosiora, fragilia, fractura inaequali, subfissili, non splendente, triturando pulverem flavum subpinguosum praebentia; odore proprio, grate aromatico balsamico, sapore balsamico amaro, si calefiunt intumescunt et nidores fortes balsamicos edunt; in aqua et in alcohole vini partim tantum solvuntur; solutio alcoholica addito acido nitri colorem assumit rubrum, deinde fusco-violaceum. Myrrha Stacte, quae vocatur, optima et vera Myrrha veterum esse fertur, sed hodie vix apud nos provenit.— Myrrha in sortis, Myrrhe in Sorten, frustula exhibet magis obscura, nigro-fusca passimque cum frustulis albidis vel flavescentibus, opacis et corticum ruderibus cet. intermixta; odore est minus grato. — *Part.* Myrrh. *const. praev.:* Oleum aethereum, Resina propria amara et Gummi. — *Vis:* incitans, tonica, stomachica.

Sit Myrrha pura, supra ut bonae notae descripta, neque vero Gummi arabico, Gummi Cerasi, aliisque Gummi speciebus alienis, lapidibus, Myrrha obductis, intermixta. Cave confundas cum Myrrha nova, frustula offerens 2—3 pollicaria, extus nigrescentia, intus autem fusco-rubra, subpellucida, glutinosa vel frustula alba et viridescentia, odore ingrato terebinthaceo et sapore nauseoso amarissimo-irritante, vel cum Bdellio (p. 20.).

Usus: In pulvere, pilulis, mixturis quoque adniscetur. — *Praep.:* Tinctura, Extractum aquosum et resinosum, Oleum seu Liquamen, Oleum aethereum, Aqua, Saccharum. — Ceterum pluribus additur compositionibus; ut Pilulis, Electuariis, praesertim Dentifriciis, Aquis destillatis et Spiritubus, Emplastris et Unguentis.

NAPHTHA MONTANA vide Oleum Petrae (p. 197.).

NARDUS CELTICA, Spica celtica. Radix Valerianae celticae. Celtische Narde, celtischer Spick oder Speck, Magdalenen-Kraut, Magdalenenblumen, Alpenbaldrian. *Nard celtique.* — *Valerianae celticae* L. (Cl. cet. v. Rad. Valerianae), plantulae perennis alpinae, Helvetiae, Tyrolis, Carinthiae, Styriae, Salisburgi, foliis radicalibus oblongo spathulatis, integerrimis, caulinis linearibus, racemis foliatis, floribus rubellis dioicis. Radix parva multiceps, tenuis, cylindrica, horizontalis vel obliqua, fusca, squamis laete fuscis imbricatis, tenuibus tecta et in inferno latere multis fibris longis concoloribus obsessa, carnosa, fragilis; odore forti grate aromatico, simul valerianino, sapore aromatico amaro valerianino. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium extractivum amarum. — *Vis:* tonica, excitans, nervina.— *Usus:* In pulvere, infuso. — Apud nos hodie rarissime praescribitur, quamquam medicamentum praestantissimum.

NARDUS INDICA, Spica indica. Indische Narde, indischer Spicknard. *Nard des Indes, Racine de Spica Nard.* — *Patriniae Jatamansi* Don. (*Valerianae Jatamansi* Jones) (Cl. cet. praeced., plantulae perennis Indiae orientalis, Bengalensis, caule simplici, foliis radicalibus petiolatis, cordatis, acuminatis, integerrimis, caulinis lanceolatis sessilibus, floribus fasciculatis, rubris, dioicis. Radix, cum caudice intermedio, 1—3 pollicaris, cylindrico-fusiformis, calami scriptorii ad digiti minimi crassitudine, annulata, rufo fusca, coma penicilliformi filamentorum laete fuscorum mollium ex petiolorum ruderibus undique dense reticulatim convoluta; levis, spongiosa, inferne

fibrillis radicis dense obsessa, caudam aemulans; arida, odore penetrante proprio, grate aromatico et sapore aromatico amariusculo, diu persistente. — *Part. const. praev.* et *Vis:* ut praecedentis. — *Usus:* ut praecedentis. Olim multis addi solebat compositionibus. Hodie apud nos vix adhibetur. — Nomine Nardi indici etiam aliae radices, praesertim, ex plantis gramineis, e. g. Andropogi Nardi et Andropogi Iwarancusae cet. prostant (vide Radic. Iwarancusae.).

NARDUS MONTANA. Berganarde. *Nard de montagnes.* — Hoc nomine olim *Valerianae tuberosae* L., plantae Europae australis, Radix crassa tuberosa, aromatica, usurpabatur.

NIDUS HIRUNDINUM. Schwalbennest. *Nids d'Hirondelles.* — *Hirundinis rusticae* et *Hirundinis urbicae* L. (p. 161.). Nidus notissimus ex coeno confectus. — Olim absurde externe ut resolvens et discutiens in anginam adhiberi solebat. — Alii sunt Nidi Hirundinis esculentae, avis Indiae orientalis, qui ex materia quadam gelatinosa conficiuntur. Cuticula quasi exhibent concavas, albidas, subpellucidas, aridas, tenaces, Collaepiscium (p. 39.) similes; inodoras et fere insipidas. — Maxima ex parte e Gelatina animali propria, admodum mucilaginosa, constant. — Nutrientes habent *Vires* et pro scitamento comeduntur.

NIGRUM EBORIS v. Ebur ustum nigrum (p. 57.).

NIHILUM ALBUM, Pompholix. Weißes Nichts. *Pompholix*, *Calamine blanche.* — Obtinetur in officinis metallariis, dum zinci minera reducuntur, vel inter conficiendum aurichalcum, ubi ad latera camini sublimatur. — Massa albissima, levis, friabilis, insipida, insolubilis in aqua, in acido sulphurico autem dissolubilis. — Est Zincum oxydatum impurum (vide Flores Zinci in parte posteriori). — *Vis:* exsiccans, refrigerans (?). — Externe adhibetur; additur collyriis, emplastris et unguentis. — Saepius ejus loco creta, argilla alba cet. in commercio prostat. Hinc materia haec, semper impura, ex medicamentorum copia removenda.

NITRUM CRUDUM seu VENALE. Roher Salpeter. *Nitre cru.*

Synon.: Sal Petrae, Sal Nitri, Kali nitricum, Nitras Kali seu kalicus, Nitras Lixivae seu Potassae impurus. Salpetersaures Kali, unreines, Saliter, Salniter. Salpetre.

Nativum reperitur praecipue in India orientali, ex qua advehitur, et paratur in officinis nitrariis nostris elixivatione terrae salium nitricorum praegnantis, mediante aqua, plerumque addito cinere vegetabilium, Kali continentium. — Crystallos exhibet prismaticas, irregulariter hexaedricas, decolores, sapore ingrato pungente salso, amariusculo, refrigerante; facile solubilis est in aqua, aegre in spiritu vini; prunis injectum detonat. De ceteris proprietatibus confer Nitrum depuratum in parte secunda.

Sit siccum, album, crystallisatum, aëris aditu nihil vel paullum tantum humoris attrahens, prunis injectum non crepitans.

Usus: Externe adhibetur ad fomentationes frigidas, praecipue autem ad parandum Nitrum depuratum.

NOSTOC. Gemeines Nostock, Gallerte, Glasgallerte, Erdblume, Himmelsblume, Sternschnuppe. *Nostoc commun*, *Crochat de Lune*, *Salive de Coucou.* — *Nostoc commune* Vaucher (*Tremella Nostoc* L.). — Alga gelatinosa, quae post pluviam saepius apparet in terra humida et umbrosa. — Frondem exhibet membranaceam, coriaceo-gelatinosam, figura difformi, subglobosam, irregulariter plicatam, undulatam, olivaceam, subpellucidam, filis moniliformibus curvatis farctam; inodoram et insipidam; quae inter siccandum nigrescit et penitus fere evanescit. — *Vis:* emolliens. — Olim contra arthritidem, cancrum, ebrietatem cet. adhibebatur. Hodie exolevit.

NUCES ALEURITIS. Aleurites Nüsse. — *Aleuritis brasiliensis*, e cl. Monoecia, ord. Monadelphia, fam. Euphorbiacearum, arboris Brasiliensis, Capsula lignea cordato-globosa, acutiuscula, diametro unciali sesquiunciali, extus longitudinaliter bicarinata, bivalvis, sutura 5 foraminibus notata. — In patria ut purgans adhibetur.

NUCES AVELLANAE seu CORYLI. Haselnüsse. *Noisettes.* — *Coryli Avellanae* L., e cl. Monoecia, ord. Octandria, fam. Cupuliferarum, fruticis vel arboris notissimae vulgaris, Fructus. — Nux oblonga, ¾ — 1 pollicem longa, laete fusca et glabra, dura, lignea, nucleum albidum oleosum, grate dulciusculum, includens. — *Vis:* nutriens, demulcens. — *Usus:* In emulsione. — *Praep.:* Oleum. — Nuclei amygdalarum loco magis adhibendae sunt.

NUCES BEHEN seu BEN, Behen, Glandes unguentarii. Balani Myrepsicae seu Myristicae. Behennüsse, Oelnüsse. *Ben.* — *Hyperantherae Moringae* Vahl (*Guilandinae Moringae* L.),

e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Leguminosarum, arboris utriusque Indiae, Aegypti, Semina subrotundo-ovata, obtuse 3-gona, Nucum Avellanarum magnitudine et minora, extus albo-flavescentia vel laete cinerea, opaca, sub testa lignosa fragili nucleum albidum oleosum, arillo albo sponginoso-cinctum, includentia; inodora, sapore nauseoso oleoso-amaro, irritante. — *Vis*: purgans, anthelmintica. — *Usus*: In substantia. — *Praep.*: Oleum. — Apud nos non adhibentur.

NUCES CACAO vide Cacao (p. 23.).

NUCES COCOS. Kokosnüsse. *Noix de Coco.* — *Cocos nuciferae* L., e cl. Monoecia, ord. Hexandria, fam. Palmarum, Palmae ingentis tropicae Fructus. — Nuces magnitudine capitis infantis et ultra, subglobosae, obtuse 3-gonae, extus cuti laete fusca, glabra, crassa, fibrosa, tenacissima tectae, sub qua putamen ligneum durissimum, in basi foraminibus 3 praeditum et intus nucleus albus, cavus, durus, oleosus, sapore subdulci-oleoso et liquor lacteus vel aquosus, sapore dulci. — *Vis*: nutriens, refrigerans. Fructus nutriendi ergo comeditur. Lac etiam ut potio refrigerans praescribitur. — *Praep.*: Oleum Palmae. — Apud nos non adhibetur; in patria autem Fructus utilissimus multifarie usurpatur.

NUCES CUPRESSI, Galbuli. Cypressen-Nüsse *Noix de Cyprès.* — *Cupressi sempervirentis* L., e cl. Monoecia, ord. Monadelphia, fam. Coniferarum, arboris sempervirentis Europae australis, Fructus. — Strobilus subglobosus fuscus, nucis juglandis magnitudine, nucleos angulosos includens; odore balsamico aromatico et sapore adstringente-amaro. — Ut febrifugum, tonicum cet. adhibebantur. Hodie apud nos obsoletae.

NUCES FAGI. Buchecken, Bucheln. *Facines.* — *Fagi silvaticae* L. (Cl. cet. v. Castaneae p. 28.), arboris indigenae magnae, pulchrae, notissimae, Achena nuculacea, in capsula globosa, lignea, muricata, 2—3-valvi inclusa, ovato-triangularia, acuta, glabra, nitentia, colore castaneo, sub cuti tenaci lignoso-coriacea nucleum album oleosum, tomento ferrugineo tectum, sapore grate oleoso, includentia. — *Part. const. praev.*: Oleum unguinosum et Principium narcoticum (?). — *Vis*: demulcens. — *Usus*: ad parandum Oleum.

NUCES FEUILLEAE. Schlangen-Nüsse. *Noix de serpens.* — *Feuilleae cordifoliae*, e cl. Monadelphia, ord. Polyandria, fam. Passiflorarum, plantae Indiae occidentalis, Semina. — Ut antidotum contra varia narcotica, morsum serpentum venenatorum cet. usurpantur. Apud nos non adhibentur.

NUCES JUGLANDIS IMMATURAE. Unreife grüne welsche Nüsse oder Wallnüsse. *Noix communes vertes.*

Juglandis regiae (v. Cortex p. 48.), Fructus virides subglobosi, glabri, notissimi, antequam cortex interior lignescere incipiat, colligendi. — Easdem habent proprietates, quas Cortex viridis (p. 48) eodemque modo adhibentur.

NUCES JUGLANDIS MATURAE. Reife, gemeine oder welsche Nüsse, oder Wallnüsse. *Noix communes mures.* — Arboris praecedentis Fructus, a cortice exteriori viridi liberati, subglobosi, subpollicares, cortice duro lignoso testaceo reticulato sulcato, bipartibili, nucleo 4-lobo, inaequaliter gibboso-sulcato albo, grate dulciusculo-oleoso, subirritante, membranula flava, dum recens acri-amara, siccata fere insipida, quae olim nomine Epidermidis Nuclei Juglandis officinalis erat, tecto. — *Vis*: nutriens, demulcens. — *Usus* Nutriendi ergo comeduntur. — *Praep.*: Oleum pingue.

NUCES MOSCHATAE. Muskatnüsse. *Noix muscates.*

Synon.: Nuces seu Nuclei Myristicae.

Myristicae moschatae L. (v. Macis. p. 175.) Semina. — Nuclei subglobosi vel elliptici, ½—1 pollicis magnitudine, externe reticulatim sulcato-venosi, colore pallide fusco, opaci et paullo pulvere albido passim conspersi, densi, ponderosi, intus pallide rubelli et fusco-rubro-marmorati, pinguosi, si triturantur pulverem pinguem, griseo-fuscum, praebentes; odore forti, grate aromatico, uti et sapore. — *Part. const. praev.* et *Vis* uti Macidis.

Sint globosae, ponderosae, densae, maxime aromaticae et oleosae; Nuces Moschatae leves, mucidae, parum aromaticae, vel ab insectis erosae

uti et Nuces artificiales, e farina, argilla et pulvere nucum moschatarum confectae, rejiciantur.

Usus: uti Macidis. — *Praep.:* Oleum aethereum et Oleum pingue, Oleum seu Balsamum Nucistae (v. infra) Tinctura, Spiritus, Syrupus. — Additur aliis quoque compositionibus.

† NUCES VOMICAE. Krähenaugen. *Noix vomiques.*

Synon.: Brechnüsse.

Strychni Nucis vomicae L., e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Strychnearum, arboris Indiae orientalis, Semina disciformia, ¾ pollicis circiter in diametro habentia, 1 — 1'' lineam crassa, saepius arcuata, margine subincrassata, in medio umbilicata, tomento brevissimo adpresso, versus medium concentrice concurrente, colore pallide cinereo subflavescente, sericeo, nucleo albido bipartibili, durissimo, corneo; inodora, sapore nauseoso-amarissimo. — *Part. const. praev.:* Strychnium et Caniramium. — *Vis:* maxime venenata, narcotica, facile tetanum efficiens et lethalis.

Nuces Vomicae fuscae vel mucidae rejiciantur. Pulverem venalem semper fere adulteratum pro medicamento emere non licet.

Usus: In pulvere interne cautissime, in exigua dosi. — *Praep.:* Extractum, Essentia, Strychnium et Caniramium.

NUCLEI ARMENIACI. Aprikosenkerne. *Amandes d'Apricots.* — *Armeniacarum* (p. 9.) Nuclei, amygdalarum similes, sed minores, magis rotundati, depressi, laete fusci, glabri; oleosi, partim dulcescentes partim amari. Nucleorum Persicorum (v. infra) loco passim substituuntur.

NUCLEI CANARII. Canarienbaumkerne *Canarii communis* L., e cl. Dioecia, ord. Hexandria, fam. Pistacearum, arboris Molluccensis, fructus drupacei Nuclei, amygdalis similes, dulces oleosi, uti amygdalae in patria adhibentur, sed alvum quoque movent.

NUCLEI CEMBRAE. Zirbelnüsse. *Pignons de Cembre.* — *Pini Cembrae* L. (Cl. cet. v. Bals. de Canada p. 18.), Arboris alpinae Europae mediae et Asiae borealis, Semina. — Nuclei parvi, oblongi, albidi, oleosi, sapore miti dulciusculo. — Ut Nuclei Pineae (v. infra) sed apud nos non adhibentur.

NUCLEI CERASORUM, Kirschenkerne. *Amandes de Cerises* — *Pruni Cerasi* et *Pruni Avium* L. (v. Cerasa p. 30 et 31.) Nuclei globosi, albidi, amariusculi, oleosi. — Olim ut anodynum et diureticum in emulsione usurpabantur. Praeter oleum pingue oleum aethereum continent acido borussico praegnans. — Hinc omnino efficax remedium et minime negligendum.

NUCLEI MAHALEB. Mahaleb- oder Draatz-Samen. *Amandes de Marakin.* — *Pruni Mahaleb* L. (Fl. Bad. II. 354. — Cl. cet. praeced.), arboris indigenae montanae fructus, cerasorum similes, sed minores, Nuclei parvi albidi, globosi, oleosi, si humectati, odore grate amygdalino et sapore amaro. — *Part. const.* et *Vires* praecedentium habent, immo praestantiores, eodemque modo adhibentur; praeterea ad Aquam vitae, Maraskin Branntwein quae nominatur, adhibentur et ad saponem suaviter odorum.

NUCLEI PERSICORUM. Pfirsich-Kerne. *Amandes de Pêches.* — *Persicae vulgaris* Mill. (v. Flores p. 69.) fructus Nuclei, amygdalis simillimi, sed dimidio et ultra minores; si aqua humectantur odore amygdalino et sapore amaro amygdalino. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus:* ut Amygdalarum amararum (p. 5.). — *Praep.:* Oleum aethereum et pingue.

NUCLEI PINEAE, Pigneoli. Piniolen, Piniennüßchen, Zirbelnüßchen. *Pignons.* — *Pini Pineae* L. (Cl. cet. v. Bals. canadense p. 18.), arboris Europae australis, Semina enucleata, ovato-oblonga, obtusa, subcompressa, ½ — ⅔ pollicis longa et 1½ — 3 lineas crassa, alba, friabilia, oleosa; inodora, sapore dulciusculo, miti, pinguoso. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue. — *Vis:* demulcens, resolvens. — *Usus:* In emulsione; ad triturandam resinam jalappae cet. etiam adhibentur, et multis aliis compositionibus addi solebant. — *Praep.:* Oleum. — Nuclei vetusti, rancidi vel ab insectis erosi, rejiciantur.

NUCLEI PISTACIAE. Pistacien, Syrische Nüßchen. *Pistaches.* — *Pistaciae verae* L. (Cl. cet. v. Mastix p. 178.), arboris Africae borealis, Asiae, in Europa australi cultae, drupae Nuclei ovato-oblongi, obtuse trigoni, ½ — ¾ pollicares, ad basin sub-

impressi, membrana tenui, fusco-rubra et viridi, quae facile solvi potest, praediti, intus obscure flavo-virides, oleosi, sapore miti dulci oleoso. — *Part. const praev.:* Oleum pingue et Saccharum. — *Vis:* demulcens, nutriens. — *Usus:* In emulsione raro, adduntur speciebus pro Morsulis Imperatoris cet. — *Praep.:* Oleum. — In patria crebre nutriendi ergo comeduntur. — Pistaciae rancidae et ab insectis corrosae, rejiciantur.

NUCULAE AQUATICAE, Tribuli aquatici Castaneae aquaticae, palustres, cornutae. Wassernüsse. *Noix d'Eau, Chataignes d'Eau.* — *Trapae natantis* L., e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Halorageariim, plantae annuae aquaticae in paludibus passim vulgaris, foliis petiolatis rhomboideis, dentatis, glabris, cum petiolo, passim in medio ventricoso, natantibus, floribus albis, Fructus siccus nucamentaceus, quadrangularis, quadricornis, spinis 4 patentibus, pollicaris; dum recens, viridis, aetate fusco-niger, durissimus, nucleum cordatum, album, oleoso-farinosum, includens. — *Vis:* nutriens, adstringens (?). — *Usus:* In decocto. — Hodie obsoletae. Nuces assatae vel coctae grate dulces uti Castaneae comeduntur.

NUCULAE SAPONARIAE seu SAPINDI. Seifennüsse *Noyaux de Savonier.* -- *Sapindi Saponariae* L., e cl. Octandria, ord. Trigynia, fam. Sapindacearum, arboris Americae australis et Indiae occidentalis Fructus. — Capsulae subglobosae nigrae, Gallarum (p. 83.) magnitudine, sub testa corticali Nucleum nigrum splendentem includentes; sapore amarissimo. — Olim ut medicamentum adhibebantur. — Hodie obsoletae. — Ab incolis pro sapone usurpantur ad purganda lintea cet.

OCHRA LUTEA. Ocher. Oker oder Ocker Gelberde. *Ocre ou Ochre jaune.* — Reperitur in montibus stratificatis junioribus passim. Massae amorphae luteae, opacae, tactu mites, subpingues, friabiles, insipidae, linguae adhaerentes, p. spec. 2,24; si adspirantur, odore argillaceo. — Est Argilla ferruginea. — Olim pro medicamento adhibebatur. — Hodie exolevit. Pictoribus inservit. — Ustione in Ochram rubram, rothen Ocher *Ochre rouge*, immutatur (vid. etiam Lapis Haematites p. 168.).

OCULI seu GEMMAE POPULI. Pappelknospen, Pappelknöpfe. *Boutons des Peuplier.* — *Populi nigrae* L. (Fl. Bd. III. 761. — Cl. cet. v. Cort. Populi p. 50.), arboris indigenae. in silvis, dumetis, ad ripas fluviorum cet. passim, foliis deltoideo-ovatis, acuminatis, glanduloso serratis, utrinque glabris, Gemmae, vere colligendae, cylindrico-conicae, acutae, viridi- et fusco-flavescentes, ex squamis convolutis sese tegentibus constantes, resina flavo-fusca, glutinante, grate aromatico, balsamico praegnantes; odore Balsami Tolutani (p. 20.) simili et sapore resinoso-irritante. — *Part. const. praev.:* Resina propria balsamica, Oleum aethereum et Principium adstringens. *Vis:* excitans, resolvens (?). — *Usus:* Ad parandum Unguentum populeum et Tincturam Populi. Gemmae Populi dilatatae AIT. et Populi albae L. iisdem gaudent proprietatibus.

OCULI seu GEMMAE POPULI BALSAMIFERAE L. Balsampappelknospen. *Boutons de Baumier.* — Arboris Americae borealis et Sibiriae Gemmae, praecedentium similes, sed magis aromaticae. Ad parandam Tacamahacae speciem adhibentur.

OESYPUS seu OESYPUM. Wollfett, Schaafklunker. *Suint.* Substantia oleaginosa extractiva excrementis ovium commixta, lanae ovillae adhaerens, odore foetido. — Olim ut medicamentum adhibebatur pro cosmetico cet. In pharmacopoea hispanica adhuc receptum uti et Extractum cui nomen Oesypus praeparatus.

OLEUM ANTHOS. Rosmarinöl. *Huile de Romarain.*

Synon.: Oleum essentiale seu volatile Rorismarini, Aetheroleum Anthos.

Rorismarini officinalis L. (v. Herba p. 94.), Oleum aethereum, ex herba florente, in Europa australi, praecipue Gallia et Hispania meridionali, destillatione cum aqua paratur. — Limpidum est, decolor, tenuissimum; odore penetrante, in massa, naribus approximatum, subviroso, e longinquo autem grato aromatico, proprio, rorismarinino et sapore pungente aromatico, camphorino; plerumque chartam exploratoriam coeruleam in rubram immutat; p. spec. 0,89 — 0,91; cum iodo partim tantum fulminat — *Part. const.:* Carboneum, Hydrogenium et Oxygenium (?). — *Vis:* excitans, nervina.

Sit oleum tenue, decolor vel vix flavescens, non autem flavum, spissiusculum, quod vetustum; sit etiam facile solubile in alcohole vini. Oleum aethereum odore et sapore alieno terebinthaceo, vel cum oleo quodam pingui mixtum, quod detegitur ope alcoholis vini, quo oleum

pingue non solvitur, vel evaporatione in balneo Mariae, ubi restat, rejiciatur.

Usus: Interne guttatim, vel cum saccharo mixtum raro; externe cuti infricatur per se vel in spiritu vini cet. solutum.—*Praep.:* Aqua Reginae Hungariae: additur etiam Balsamo cephalico, Opodeldoc, Unguento nervino et multis aliis compositionibus.

OLEUM AURANTIORUM CORTICUM. Pomeranzenschalenöl. *Huile d'Oranges.*— *Citri Aurantii* L. fructus Corticis (p. 11.) Oleum aethereum, quod laceratione epidermidis et expressione, passimque etiam destillatione obtinetur. Limpidum est, vix flavescens, tenuissimum, odore forti, grate aromatico, aurantiaco, pari etiam sapore simulque amariusculo; p. spec: 0,84 — 0,88. — *Part. const.:* uti Oleum Citri (?) (p. 193.). — *Vis:* exaestuans, nervina, carminativa. — *Usus:* In guttis, ut Elaeosaccharum; additur aliis quoque compositionibus, praecipue odoris gratia.

OLEUM BEHEN seu BALATINUM. Behennußöl. *Huile de Ben.* — Ex nucibus Behen (p. 188.) expressione paratur. — Oleum pingue flavescens, pellucidum, spissiusculum, si recens mite; temperatura 14° R. ex parte jam congelat. — Olim ut anthelminthicum, rubefaciens (?), antispasmodicum adhibebatur; addebatur et Unguentis cet. — Hodie solummodo ad parandum Oleum Jasminum (p. 194.) adhibetur.

OLEUM seu ESSENTIA BERGAMOTTAE. Bergamottöl. *Huile de Bergamotte.*— Ex cortice recenti fructuum Bergamottae (varietate Citri medicae v. Cort. p 46.) laceratione epidermidis et expressione in Europa meridionali paratur. — Oleum aethereum flavescens, sublimpidum, tenue; odore gratissimo aromatico, sapore aromatico acri, amariusculo; p. spec. 0,885; plerumque chartam exploratoriam coeruleam in rubram immutat, cum iodo celeriter detonat. — *Part. const.* uti Ol. Citri (?) (v. infra p. 193.). An genuinum, exploretur odore, eodemque modo uti Ol. Anthos (v. s.). Adhibetur praecipue ad odoramenta, pomatis cet. admiscetur, cet.

OLEUM CAJEPUTI, Cajaputi, seu Cajuputi. Cajeputöl oder Kajeputöl. *Huile de Cajeput.* — Ex foliis ramulisque *Melaleucae Cajeputi* Roxb. (et *Melaleucae Leucadendri* L.(?) — e cl. Polyadelphia, ord. Icosandria, fam. Myrtacearum, arborum Indiae orientalis destillatione in patria paratur. — Oleum aethereum tenuissimum, languide viride vel viride-flavescens, pellucidum; odore penetrante, in majori copia naribus admotum subingrato, in minori quantitate atque e longinquo, grato aromatico, camphorino et sub-rorismarinino, sapore acri-aromatico, postremum frigoris sensum in ore relinquente; p. spec. 0,927; ebullit temperatura 140° R.; colorem coeruleum laccae musicae non in rubrum immutat et cum iodo non detonat; acidum salis gaseosum in magna quantitate absorbit coloremque tum assumit coeruleum, postremo amethystinum, massam autem concretam camphorinam cum eo non format. — *Part. const.* Carbonei 78,12, Hydrogenii 11,49 et Oxygenii 10,38. — *Vis:* nervina, antispastica, exaestuans, diuretica. — Sit Oleum limpidum, supra ut bonae notae descriptum. Praeter odorem et saporem aromaticum pondus specificum et punctum ebullitionis praecipue sinceritatem significat. Oleum leve, quod temperatura inferiori ebullit et destillatione varia producta, odore alieno, praebet camphoramque relinquit, aut cum iodo detonationem efficit, rejiciatur. Saepius Oleum Cajeput cupri vestigia continet, quod detegitur ope liquoris kali borussici, qui colorem producit fusco rubrum, oleo antea cum acido nitri diluto commixto. — *Usus:* Interne guttatim, cum saccharo mixtum, externe pro odontalgico. — *Praep.:* Elaeosaccharum.

OLEUM DE CEDRO. Citronenöl. *Huile de Citron.*

Synon.: Essentia de Cedro, Oleum Citri.

Ex fructuum cortice *Citri medicae* L. (v. p. 46.) laceratione epidermidis et expressione, in Europa meridionali paratur. — Oleum aethereum limpidum, subflavescens, purissimum autem decolor, tenuissimum; odore forti grate citrino (Oleum Citri sensu strictiori, quod destillatione ex corticibus recentibus obtinetur, odore gaudet suaviore) et sapore acri-aromatico, p. spec. 0,847 – 0,86; ebullit temperatura 134° R.; cum iodo celeriter fulminat; insolubile est in aqua; spiritus vini rectificatissimi 10 partes ad solutionem

requirit. — *Part. const.* Carbonei 87,93, Hydrogenii 11,57; per tempus cum aqua mixtum, crystallos deponit prismaticas, pellucidas splendentes, Hydratum Olei de Cedro; cum acido salis anydro partim in massam concretam crystallinam camphorinam coit, ex Olei partibus 68 et Acidi salis partibus 37 constantem. — *Vis:* excitans, nervina, carminativa.

Sinceritas adspectu et odore, ceterum etiam eodem modo atque olei Anthos exploratur. — Nomine Ol. de Cedrat oleum prostat in commercio odore mixto citrino et aurantiaco.

Usus: Guttatim, saccharo exceptum. — *Praep.:* Elaeosaccharum. Additur Elixirio Aurantiorum composito et variis spiritubus aromaticis, ut Aquae Coloniensi cet., praecipue odoris causa.

† OLEUM CICINUM, Ol. Jatrophae, Ol. infernale, Ol. Ricini americani. — E seminibus *Jatrophae Curcas* L. (v. Semen Ricini majoris) expressione paratur. — Oleum flavescens, spissiusculum, inodorum, sapore primo miti, postremo acerrimo, ceterum proprietatibus similibus atque Ol. Ricini (p. 198) gaudens. — *Vis:* vehementer purgans, externe irritans. — *Usus:* Interne cautissime in minima dosi, externe ad illiniendam cutem, contra rheumatismum, paralysin cet.

OLEUM CORNU CERVI. Hirschhornöl. *Huile de Corne de Cerf.*

Synon.: Oleum animale foetidum. Stinkendes Thieröl, Knochenöl, Thierbrandöl.

Ex Cornu Cervi aliisque ossibus cartilaginem continentibus, sanguine siccata, uti et permultis aliis animalium partibus destillatione sicca obtinetur. Liquor oleosus, spissiusculus, fusco-niger, opacus; odore penetrante foetidissimo et sapore nauseoso acri-empyreumatico, alcalino, aqua levior, in qua minima ex parte, in spiritu vini totus fere solubilis. — Miscella est ex Eupione, Paraffino, Kreosoto, Adipe cholesterino, Ammoniaco et aliis destillatione sicca productis materiis hucusque non satis recognitis. — *Vis:* antispastica, irritans, discutiens.

Ne sit nimis spissum et aqua gravius, quod vetustum aut destillatione parte volatiliori partim privatum.

Usus: Interne rarissime guttatim cum saccharo, externe ad illinitionem; Unguentis cet. admiscetur. — *Praep.:* Oleum animale Dippelii, Ol. Chaberti; aliis quoque additur compositionibus.

† OLEUM CROTONIS seu TIGLII. Crotonöl. *Huile de Croton, de Pignons d'Indes, de grains de Tilly.* — Ex granis Tiglii (p. 85.) expressione uti Ol. Ricini paratur. — Plerumque venale prostat ex India orientali advectum, verum tamen a pharmacopola ipso uti Ol. Ricini parari potest. — Oleum pingue, subspissiusculum, colore flavo vel fusco-flavescente, odore debili resinae jalappae simili, sapore primo sub① miti, post acerrimo urente, gutturali, faucibus diu adhaerente; in 36 partibus spiritus vini rectificatissimi, in aethere sulphurico autem facilius solubile. — *Part. const.:* Oleum pingue et Principium peculiare acerrimum, drasticum. — *Vis:* maxime drastica, in mediocri dosi jam facile nociva. — *Usus:* Interne cautissime in minima dosi, $\frac{1}{8}$ — $\frac{1}{2}$, raro gutta integra cum saccharo trita, vel forma pilularum. — *Praep.:* Elaeosaccharum, Tinctura, Sapo, Oleum Ricini artificiale. — Cave ne sit adulteratum, vel ex parte resinosa, post olei expressionem in seminibus remanente, cum oleo papaveris cet. artefactum, quod detegitur ope spiritus vini rectificati, qui resinam acerrimam extrahit.

OLEUM GRAMINIS INDICUM. Ostindisches Grasöl. *Huile du Gramen des Indes orientales.* —

Ex gramine quodam Indiae orientalis, forsitan Andropogonis specie (v. Herba Schoenanthi p. 151. et Radix Vetiveriae); destillatione cum aqua paratur. — Oleum aethereum limpidum, flavescens, odore forti grate aromatico. — In patria contra rheumatismos inveteratos externe optimo cum successu adhiberi dicitur.

OLEUM GUILANDINAE BONDUCELLAE (seu BONDUC) L. (Cl. cet. v. Nuces Behen p. 188.), arboris Indiae orientalis. Oleo Behen (v. s.) simile. — In patria contra spasmum et paralysin adhibetur.

OLEUM JASMINI. Jasminöl. *Huile de Jasmin.* — Ex floribus *Jasmini officinalis* L. et *Jasmini Sambac* L. (Cl. cet. v. flor. Lilac p. 67.), fruticum Europae australis et Orientis paratur, dum lamina gossypina oleo Behen (v s.) impraegnata floribus Jasmini recentibus superstrata, repetitis vicibus interponitur et digeritur, ut nidor aromaticus ab oleo Behen recipiatur, quod ubi odorem fortem jasmininum assumsit, exprimitur. — Est oleum pingue, adspectu olei Behen, sed odore suaveolente jasminino. — Ad *Usus* cosmeticos, odoramenta, pomata cet. usurpatur. Oleum vetustum odoris rancidi, rejiciatur. — Vilioris etiam pretii est Oleum Jasmini, quod per infusionem florum Jasmini, vel adeo florum Philadelphi coronarii L. (Fl. Bad. II. 349.) cum oleo quodam pingui paratur.

OLEUM JECORIS seu JECINORIS ASELLI. Leberthran, Stockfischleberthran, Berger Leberthran. *Huile de Foie de Morrue.* — Ex hepate *Gadi Morrhuae* L., *Gadi Callariae* L. et aliarum *Gadi* specierum, piscium marinorum, ex ord. Sternopterigiorum, fam. Percarum, praecipue in Norvegia paratur. — Distinguuntur: 1) Oleum Jecoris Aselli album, weißer oder blanker Berger-Leberthran, ex hepate recenti sponte effluens. Oleum pingue, spissiusculum, pellucidum, colore aureo vel flavescente; odore debili piscino et sapore miti piscino; p. spec. 0,920. 2) Oleum Jecoris Aselli fuscum seu empyreumaticum, brauner Leberthran, quod ex hepate assato vel putrido elicitur. Oleum opacum, colore badio, adversus lucem si tenetur coeruleo-viridi, odore et sapore ingrato subputrido et empyreumatico-acri, gutturali; p. spec. 0,921. — Ambo, si aëri exponuntur, per tempus lente exsiccantur; in alcohole vini et aethere solubilia sunt. — *Vis:* antarthritica, diaphoretica, leniens, laxans. — *Usus:* Praecipue Oleum Jecoris Aselli album interne in majori dosi contra rheumatismum, arthritidem, neuralgiam saepe optimo cum successu adhibetur.

OLEUM LAURI AETHEREUM NATIVUM. Natürliches ätherisches Lorbeeröl. *Huile volatile* (ou *Aetherole*) *de Laurier naturelle.* — Ex arbore quadam e fam. Laurinearum, hucusque non satis cognita, in America australi crescente; si truncus vulneratur, sponte effluens. — Limpidum est, subdecolor, odore grate aromatico citrino simulque terebinthaceo et camphorino, levissimum et penitus volatile. — In patria ut medicamentum maxime celebratum, et interne et externe adhibetur.

OLEUM LAURINUM UNGUINOSUM. Fettes Lorbeeröl. *Huile de Laurier gras.*

Ex Baccis Lauri (p. 15.) recentibus in Europa australi expressione et coctione cum aqua paratur. A pharmacopola etiam ipso e baccis exsiccatis parari potest uti Oleum Amygdalarum dulcium (v. partem posteriorem). Oleum venale unguinosum prostat colore flavo-viridi, consistentia unguenti mollioris, granulatum; odore forti laurino et sapore amaro. Miscella est Olei unguinosi cum Oleo aethereo. — *Vis:* excitans, nervina, carminativa.

Sit odore penetrante pure laurino, non autem cum odore Sabinae (p. 149.) aut aliarum plantarum mixto, in aethere sulphurico facile solubile.

Usus: Externe illinitur. — *Praep.:* Unguentum nervinum (partim); aliis quoque additur unguentis.

OLEUM LAVENDULAE. Lavendelöl. *Huile de Lavande.*

Ex Herba florente recenti *Lavandulae angustifoliae* Ehrh

et *Lav. latifoliae* Ehrh. (p. 66.) praecipue in Gallia meridionali destillatione cum aqua paratur. – Oleum aethereum subflavescens, limpidum, tenue, odore ac sapore penetrante aromatico lavendulino; p. spec. 0,872; plerumque colorem coeruleum laccae musicae in rubrum immutat, cum iodo statim fulminat; punctum ebullitionis habet 133° R. — *Part. const.:* Carboneum, Hydrogenium et Oxygenium (?). — *Vis:* excitans, cephalica, nervina.

Puritas odore, ceterum simili modo atque Olei Anthos (p. 191.) exploratur.

Usus: Interne per se rarissime guttatim saccharo exceptum. Additur multis aliis compositionibus, spiritubus compositis, unguentis cet. saepius odoris causa.

OLEUM LIMETTAE. Limettenöl. *Huile de Limettes.* — Ex *Citri Limettae* Risso fructu obtinetur; oleo bergamottae est simillimum eodemque modo adhibetur.

OLEUM LIGNI RHODII. Rosenholzöl. *Huile de Bois de Rhode.* — Ex ligno Rhodii (p. 173.) destillatione elicitur. Oleum aethereum flavescens, tenue, odore suavissimo rosaceo et sapore aromatico, acri-amaro. — *Vis:* excitans, diaphoretica. — Hodie perraro ut medicamentum adhibetur. — Praecipue ut cosmeticum odoris causa usurpatur.

OLEUM LINI. Leinöl. *Huile de Lin.*

Ex seminibus Lini (v. infra) expressione paratur. — Oleum fusco-flavum, pellucidum, spissiusculum, odore et sapore debili, haud grato, (plerumque sub-rancido) p. spec. 0,93; aëris aditu facile exsiccatur, in frigore vix congelat. — *Part. const.:* Carbonei 76,014, Hydrogenii 11,351 et Oxygenii 12,635. — *Vis:* leniens, pectoralis (?).

Sit clarum, ad usum internum rancoris expers. Adulteratio cum oleis non exsiccabilibus detegitur ope acidi nitrosi, quocum non indurescere debet; et si ligno cet. illinitur, aëris aditu non exsiccatur.

Usus: Et interne et externe, sed hodie raro ut medicamentum per se adhibetur — *Praep.:* Corpus pro Balsamo sulphuris.

OLEUM seu ESSENTIA NEROLI, Oleum Naphae, Oleum florum Aurantiorum, Aetheroleum Aurantii. Pomeranzenblüthöl, Orange- oder Neroliöl. *Huile de fleurs d'Oranger, Essence de Neroli.* — Ex floribus Aurantiorum (p. 62.) recentibus destillatione cum aqua, plerumque in Italia et Gallia meridionali paratur. — Oleum aethereum limpidum tenue, dum recens subdecolor, aetate provectum mox rubro-flavescens, odore fragrantissimo suaveolente florum Aurantiorum et sapore amariusculo-aromatico, aurantiaco; p. spec. 0,908; cum iodo fulminans. — *Part. const.:* uti Ol. de Cedro (?); plerumque constat ex oleo fluido et oleo concreto in priori soluto, quod refrigerando aut tractando cum spiritu vini secernitur forma crystallorum aciniformium, inodorarum et insipidarum. — *Vis:* excitans, nervina, carminativa. — *Usus:* Guttatim, rarissime tamen ut medicamentum adhibetur, plerumque pro cosmetico, ad odoramenta inservit. — *Praep.:* Aquae Coloniensi et aliis additur compositionibus aromaticis. Si genuinum, etiam ad parandam Aquam Naphae adhiberi potest. — Plerumque autem adulteratum in commercio prostat cum aliis oleis aromaticis, e. g. Cortic. Aurantiorum, de Cedro, uti et oleo quodam pingui mixtum. — Nomine Olei Neroli bigarae oleum fructus Citri bigarae Risso in commercio prostat, quod inferioris est pretii et saepius pro Oleo Neroli genuino venditur.

OLEUM seu BALSAMUM NUCISTAE, Butyrum Nucistae, Oleum Nucum Moschatarum expressum, Oleum Macis in ollis. Mußkaten-Oel oder Balsam, Mußkatenbutter. *Huile de Muscat.* — Ex Nucibus Moschatis (p. 189.) expressione in India orientali paratur. — Parari quoque potest a pharmacopola ipso eodem modo ac Butyrum Cacao (videatur pars posterior). — Oleum concretum, consistentia fere sevi, sed fragilius, tactu unguinosum, colore flavescente. In commercio occurrit in massis seu panibus rectangularibus, extus fusco-rubellis, intus aurantiacis, saepius albido- et rubello-variegatis; odore forti grate aromatico myristicino et sapore aromatico simulque unguinoso; in aethere vitrioli calido totum solubile — Miscella est Olei aetherei et Olei pinguis solidi. — *Vis:* excitans, roborans, anodyna, antispasmodica. — *Usus:* Interne hodie rarissime; externe frequentius applicatur. — Constituens est plurium balsamorum artificialium secundum praecepta antiquiora. — Sit Oleum genuinum bonae notae, fragrans, in aethere fervente totum solubile. Oleum parum aromaticum vel rancidum vel artificiale, in aethere partim tantum solubile rejiciatur. Nomine Bicuiba, Bicuhiba, vel Vicuiba, Bicuiba redonda, oleum prostat Myristicae officinalis MART., arboris brasiliensis; in fistula arundinacea inclusa colore sordide rufescente et odore Ol. Nucistae subsimili, sed minus grato. — In patria crebre ut medicamentum adhibetur.

OLEUM OLIVARUM. Olivenöl. *Huile d'Olives.*

Synon.: Oleum Olivae. Baumöl.

Ex fructibus *Oleae europaeae* L., e cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Oleinearum, arboris Orientis et Europae meridionalis, expressione vel coctione cum aqua obtinetur. — Oleum mite spissiusculum, frigore facile in massam albam granulosam coalescens, aëris aditu non exsiccans. Distinguuntur praecipue: 1) Oleum Olivarum provinciale seu virgineum (Oleum maturum seu completum), Provençer- oder Jungfern-Oel, *Huile de Provence*, ex fructibus maturis expressione frigide paratum, colore pallide flavescente vel subviridi-flavescente, inodorum, sapore mitissimo; quod optimum. 2) Oleum Olivarum commune, Oleum omphacinum, ordinäres Baumöl, Leckeröl, *Huile d'Olive commune*, colore saturate viridescente vel fuscescente-flavo; odore et sapore plus minus subrancido. — P. spec. Olei Olivarum est 0,912—0,915. Constat circiter ex 72 partibus Elaini et 28 partibus Margarini. — *Vis:* emolliens, leniens, laxans.

Sit Oleum Olivarum bonae notae supra descriptae; oleum nimis coloratum vel rancore praegnans rejiciatur. Adulteratio cum Oleo Papaveris (v. i.) detegitur ope acidi nitrosi, quocum sufficiente quantitate commixtum post aliquod tempus penitus indurescere debet; metalla nociva acidum hydrothionicum detegit.

Usus: Interne per se vel in emulsione, ubi non nisi Oleum Olivarum optimum adhiberi licet, externe ad illinitionem. — *Praep.:* Sapo medicatus, Sapo venetus, Linimentum volatile: additur pluribus compositionibus; constituens vel basis est oleorum infusorum et coctorum uti et permultorum unguentorum et emplastrorum, quem in finem Oleum Olivarum commune sumere licet.

OLEUM ORIGANI CRETICI. Kretisches Dostenöl, Spanisch-Hopfenöl. *Huile d'Origan de Crète.* — Ex *Origano smyrnaeo* L. (p. 141.) destillatione cum aqua in Oriente et Europa meridionali paratur. — Oleum aethereum tenue, plerumque ru-

fum, pellucidum; odore fragrante aromatico origanino et sapore aromatico camphorino, urente; p. spec. 0,946. — Externe praecipue ut odontalgicum adhibetur; additur aliis quoque compositionibus aromaticis. — Saepius ejus loco Oleum Origani vulgaris (p. 140.) venditur; ei simillimum colore et odore, sed paullo minus fragrans.

OLEUM seu BUTYRUM PALMAE. Palmöl, Palmbutter *Huile de Palme.* — Hoc nomine variae olei species prostant ex Palmarum fructu paratae, ut: Ex Coco nucifera (p. 189.) Oleum Palmae album, weißes Palmöl, Cocos- oder Calappus Oel quod nominatur, quod albidum, consistentia butyracea; inodorum et insipidum; ex Elaino et Stearino peculiari constans. — Ex Elaei Guineensi, palma Americae meridionalis; Oleum Palmae rubrum, rothes Palmöl, quod appellatur. — Oleum aurantiacum, consistentia butyracea, odore proprio radicis Iridis florentinae (v. infra) simili. — Aliae palmarum species similia olea butyracea exhibent. In patria crebre ut medicamenta, nutrimenta, ad parandum saponem, ad illuminandum cet. adhibentur. Recentiore tempore etiam in Europa hinc inde usurpantur, sed aliis oleis unguinosis non admodum praestare videntur.

OLEUM PAPAVERIS. Mohnöl. *Huile de Pavot.*

Synon.: Mohnsamen- oder Magsamen-Oel. Huile d'Oreillet, Huile blanche.

Ex seminibus *Papaveris somniferi* L. (v. Capita p. 25.) expressione paratur. - Oleum pingue, tenue, sub-flavescens, inodorum et fere insipidum, grate mite; p. spec. 0,913; in fortiori frigore aegre congelat, aëris aditu exsiccescit. — *Part. const.:* uti Olei Lini (?). — *Vis:* leniens.

Sit recens, rancoris expers.

Usus: Et interne et externe uti Oleum Olivarum adhibetur. Ad paranda unguenta et emplastra, quae per aliquod tempus asservantur, non convenit, quia exsiccescit.

OLEUM DE PETITS GRAINS. *Huile de petits grains.* — Hoc nomine oleum aethereum, quod ex foliis seu fructibus immaturis Citri Aurantii L. obtinetur, prostat. — Oleo Neroli (v. p. 195) subsimile, sed odore minus grato. — Saepius ad adulterandum Oleum Neroli genuinum usurpatur.

OLEUM PETRAE. Steinöl. *Pétrole.*

Synon.: Petroleum, Oleum Terrae, Bitumen fluidum, Naphthà. Bergöl, Erdöl, Naphtha.

Nativum provenit in montibus stratificatis, calcareis, arenosis, marga, passim in propinquis lithanthracum stratis, et montibus vulcaniis, magnopere dispersum: in Germania, Helvetia, Gallia, Italia, Anglia, Hungaria, Moldavia, praecipue in Asia (Baku ad mare caspicum, Persia, ad radices Caucasi, Hindostano, China) insula Trinidado cet.; passim e terra vel saxorum rimis profluens, scaturigines formans, saepius aquae innatans. — Variae sunt species; distinguuntur praesertim: 1) Oleum Petrae nigrum, schwarzes Steinöl, *Pétrole noire* (*Huile de Gabien*). Liquor oleosus, spissiusculus, fusco-niger, opacus; odore penetrante foetidissimo, bituminoso, et sapore nauseoso, acriamaro, bituminoso; aëri expositum per tempus magis spissescit et in Maltham tenacem, Pissasphaltum, Bergtheer, *Goudron minerale*, abit. — 2) Oleum Petrae rubrum. Rothes Steinöl. *Pétrole rouge.* Oleum tenue pellucidum plus minus rufum, vel flavo-rubrum, odore simili bituminoso et sapore, sed minus ingrato; p. spec. 0,902. — 3) Oleum Petrae

album. Weißes Steinöl. *Pétrole blanche.* Oleum tenue, limpidum, flavescens vel rubello-flavum, passim coeruleo-versicolor; eodem odore et sapore ac praecedens; pond. spec. 0,844. — Hae tres species colorem coeruleum laccae musicae in rubrum reddunt, aëris aditu per tempus spissescunt et nigrescunt et in Oleum Petrae nigrum immutantur. — Omnia miscellae esse videnturNaphthae montanae (v.sequens), Paraffini, Kreosoti, Acidi aceti et Substantiae cujusdam aëris aditu facile nigrescentis (v. Oleum Cornu Cervi p.193.). -- 4) Naphtha montana. Bergnaphtha. *Naphthe.* Raro omnino pura nativa occurrit, saepius destillatione ex praecedente, quod etiam Naphtha appellatur, paratur. Oleum tenuissimum, fluidissimum, limpidissimum, aqueum; odore et sapore debiliore et minus ingrato bituminoso, (in statu purissimo inodorum et insipidum) p. spec. 0,75 — 0,85; admodum volatile; punctum ebullitionis variat inter 75 et 172 R., pro ratione partium constituentium, quae sunt Carbonei 84,70 — 87,70 et Hydrogenii 14,36 — 12,36. — Aëris aditu Naphtha mutationi non succumbit; cum acido nitri fumante et oleo vitrioli commixtum non fervefit, ope kalii seu kali non immutatur. In alcohole vini absoluto facile, in spiritu vini hydrato autem aegre est solubile. — *Vis:* irritans, discutiens, anthelminthica, diuretica.

Sit Oleum Petrae genuinum, non oleo quodam aethereo commixtum, quod detegitur ope acidi nitri fumantis vel oleo vitrioli, quibuscum tunc plus minus calefit, coloratur et spissescit. Oleo Petrae rubro saepius color artificio datur cum radice Alkannae, qui alcalium ope in coeruleum immutatur.

Usus: Oleum Petrae nigrum interne et externe adhibetur, praecipue in arte veterinaria; additur unguentis et emplastris. Oleum Petrae rubrum et album interne quoque guttatim adhibentur, magis autem externe ad infricandam cutem, passim cum spiritu vini cet. commixtum. Naphtha purissima ad conservanda metalla alcalina inservit.

OLEUM PINI RUBRUM. Kienöl, rothes. *Huile de pin rouge.* — Obtinetur destillatione sicca ex residuo post expressam resinam albam vel e Pice alba liquida (p. 208.).— Oleum tenue, pallide fusco-rubrum, odore terebinthaceo simulque empyreumatico.— Est miscella ex Oleo Terebinthinae (v. infra) et Oleo empyreumatico. — Externe adhibetur. Ad parandas vernices quoque aptum.

† OLEUM PINHOEN. Pinhoe oder Brech-Öl. — Ex seminibus *Jatrophae multifidae* L. (Cl. cet. v. Oleum Ricini), arboris Americae meridionalis, obtinetur. Oleo Cicino et Oleo Crotonis (v. supra) est simillimum eodemque modo adhibetur.

OLEUM PIPERIS UMBELLATI L. Anisholzöl. *Huile de Bois d'Anisette.* — (Cl. cet. v. Piper nigrum p. 207.), arboris Antillarum. Oleum aethereum, quod destillatione ex ligno paratur, Oleo Anisi (v. pars posterior.) simile. — Ut stomachicum, antiscorbuticum, in patria adhibetur.

OLEUM RICINI. Ricinusöl. *Huile de Ricin.*

Synon.: Oleum Palmae liquidum seu de Palma Christi, Oleum Castoris, de Kerva. Kastoröl, Palmöl.

Ex seminibus *Ricini communis* L. (Fl. Bad. IV. 682.), e

cl. Monoecia, ord. Monadelphia, fam. Euphorbiacearum, plantae annuae et perennis Indiae orientalis et Africae borealis, in Europa meridionali, America et apud nos cultae, expressione et decoctione cum aqua in utraque India, Gallia cet. paratur. — A pharmacopola quoque ipso parari potest ex seminibus recentibus maturis, rejectis diligenter omnibus seminibus inanibus et decoloribus. — Oleum spissum, lente fluens, subtenax, pallide flavescens vel subdecolor; inodorum, sapore miti, postremo vix gutturali, p. spec. 0,954; in frigore lente coalescens in massam albam granulosam; ex Elaino et Stearino sui generis constans. — *Part. const.*: totius olei, Carbonei 74,14, Hydrogenii 11,03, et Oxygenii 14,79. — Aëris aditu facile rancorem assumit, tunc sapore est acerrimo, gutturali diu adhaerente; lente tantum exsiccat. — In qualibet alcoholis vini absoluti proportione solvitur et facile quoque solubile in spiritu vini p. spec. 0,842. — *Vis:* alvum movens, anthelmintica.

Sit album, vix flavescens et mite. Oleum fuscum, peracre, gutturale, drasticas habet vires. Commixtio cum aliis oleis unguinosis ope alcoholis vini detegitur, qui olea aliena discernit.

Usus: Interne per se datur.

OLEUM ROSARUM, Aetheroleum Rosarum, Attar, Ather. Rosenöl, Rosenessenz. *Huile de Roses.* — Ex *Rosa centifolia* L., *Rosa moschata* Mill. (v. flor. p. 70.) et aliis Rosis fragrantibus, praesertim in Oriente et India orientali paratur, Ceterum etiam e Rosis apud nos cultis parari potest. — Oleum aethereum spissiusculum, flavescens, odore penetrante, in massa haud grato, in minima dosi suavissimo rosaceo, sapore miti sub-aromatico; p. spec. 0,87; temperatura 12° R. et ultra jam in massam crystallinam coalescens; constat ex oleo liquido odorato (Elaeopten) in alcohole facile solutu, quae solutio ope aquae decomponi non potest, et oleo concreto crystallino, vix odoro, (Stearopten) in spiritu vini difficile solutu. — *Part. const.* totius olei: Carbonei 75,11, Hydrogenii 12,13 et Oxygenii 12,76. Stearopten autem constat ex aequalibus pond. Mixtionis: Carbonei et Hydrogenii. — *Vis:* excitans, analeptica. — *Usus:* Ut medicamentum per se vix adhibetur, praecipue ut cosmeticum, ad odoramenta, inservit. — Si genuinum etiam ad Aquam Rosarum parandam adhiberi potest. Plerumque autem cum aliis oleis commixtum in commercio prostat. Optimum ex Turcia advehitur.

OLEUM RUSCI seu RUSSICUM, Oleum Moscoviticum vel Lithauinicum, Oleum Betulinum empyreumaticum. Birkenöl (brenzliches), Daggert, schwarzer Degen. *Huile de Bouleau empyreumatique.* — Ex Cortice *Betulae albae* L. (p. 44.) destillatione sicca paratur. — Oleum spissum, fuscum; odore proprio penetrante, empyreumatico corii bubuli russici, diu adhaerente. — *Part. const.*: uti Picis liquidae et Oleum aethereum (v. p. sec.). — *Vis:* irritans. vermifuga, discutiens (?) febrifuga. — *Usus:* In patria et interne et externe apud nos autem non, adhibetur.

OLEUM SASSAFRAS, Oleum Ligni Sassafras, Aetheroleum Sassafras. Sassafrasöl. *Huile de Sassafras.* — Ex Ligno Sassafras (p. 174.) destillatione cum aqua paratur. — Oleum tenue per tempus spissiusculum; pellucidum, si recens, fere decolor, plerumque autem flavo-fuscescens, odore grate aromatico foeniculino et sapore acri-aromatico; p. spec. 1,084; tempore Stearopten deponit; cum acido nitri fumante commixtum facile ad inflammationem usque fervescit. — *Vis:* excitans, diaphoretica. — *Usus:* Interne guttatim saccharo exceptum. — Additur aliis quoque compositionibus. — Passim aliis oleis aethereis adulteratur, quod detegitur odore et pondere specifico.

OLEUM SESAMI. Sesamöl, Gergelimöl. *Huile de Sesame.* — Ex seminibus *Sesami orientalis* L., e cl. Didynamia, ord. Angiospermia, fam. Sesamearum, plantae annuae Indiae orientalis, in multis regionibus calidioribus cultae, expressione paratur. — Oleum mite, Oleo Beben (p. 192.) simile. — Olim et interne et externe uti Oleum Olivarum et Amygdalarum cet. adhibebatur. — Hodie apud nos exolevit.

OLEUM SPICAE, Spicköl, *Huile d'Aspic*, — varietas Olei Lavendulae (p. 194.) ex *Lavandula latifolia* EHRH. paratur. — Genuinum Oleum Spicae odore gaudet gratissimo aromatico lavandulino. Oleum autem, quod nomine Olei Spicae in commercio prostat, plerumque est miscella ex Oleo Lavendulae, Ol. Anthos et Oleo Terebinthinae. Praecipue in arte veterinaria usurpatur.

OLEUM TEMPLINUM. Tannenzapfenöl, Krummholzöl. *Huile de Temple.* — Destillatione ex conis ramulisque junioribus *Pini silvestris* L. et *Pini Pumilionis* HAENCK. (v. Colophonium p. 40.) paratur. — Oleum tenuissimum, si purum, decolor, saepius autem fuscescens et virescens; odore subtili terebinthaceo simulque grate citrino et aurantiaco. — Ceterum iisdem gaudet proprietatibus et *Part. const.*, quibus Oleum Terebinthinae (v. seq.), eodemque modo adhibetur.

OLEUM TEREBINTHINAE. Terpentinöl. *Huile de Térébenthine.*

Synon.: Aetheroleum, Spiritus seu Essentia Terebinthinae. Terbenthin-Oel oder Geist.

Ex Terebinthinae speciebus (v. infra) destillatione cum aqua paratur. — Oleum aethereum tenuissimum, limpidissimum, plane decolor; odore penetrante ingrato balsamico et sapore acri-pungente terebinthaceo; p. spec. 0,85 — 0,89; punctum ebullitionis 125° R.; venale oleum acide reagit, non tamen purissimum, adeo kalium in hoc non alteratur. Aëri expositum gradatim flavescit et spissescit resinaque formatur; cum iodo celeriter fulminat, si commiscetur cum acido nitri fumante vehementer fervefit et addito oleo vitrioli flammam concipit. — *Part. const.*: Carbonei 87,51 et Hydrogenii 11,56 (uti Ol. de Cedro p. 193.), Insolubile est in aqua, sed jungi potest cum ea, crystallos formans prismaticas decolores, splendentes, pellucidas, inodoras et insipidas, Hydratum (Stearopten) Olei Terebinthinae. In spiritu vini rectificatissimi 10 partibus solubile, cum alcohole vini absoluto, aethere et oleis in qualibet proportione commisceri potest. Cum acido salis anydro oleum purissimum massam partim format crystallinam fere insipidam Camphorae (p. 24.) simillimam, Camphora artificialis quae dicitur, odore debili camphorino, ex Olei Terebinthinae 136 et Acidi Salis 37 partibus constantem (conferatur Camphora artificialis ex Oleo de Cedro p. 193.) — *Vis:* balsamica, diuretica, anthelminthica, discutiens, vulneraria.

Usus: Interne guttatim, vel solutum in spiritu vini, aethere, cet. mixturis admixtum. Externe ad infricandum. Ceterum multis compositionibus additur, ut Oleo Chaberti, Liquori antarthritico Pottii, Aquae anhaltinae, Balsamo Vitae externo, Bals. Fioravanti cet.

OLEUM TOURLOUROU. Tourlourouöl. *Huile de Tourlourou antirhumatismale.* — Ex *Paguro Latrone* FABR., Cancro utriusque Indiae et Africae australis, e fam. Pagurorum paratur. Oleum fusco-flavum, rancidum. Ab Aethiopibus Senegalensibus contra rheumatismos infricatur.

OLEUM VERMIFUGUM seu ANTHELMINTHICUM. Wurmöl *Huile vermifuge* — Hoc nomine praeter olea composita, (v. pars posterior.) varia olea aetherea, e. g. Oleum Artemisiae et Chenopodii specie-

rum venduntur. — Odore sunt plerumque ingrato aromatico et sapore nauseoso, amaro-acri. — *Vires* vermifugas habent et in hunc finem adhibentur.

† OLEUM VITRIOLI. Vitriolöl. *Huile de Vitriol.*

Synon.: Acidum sulphuricum, Acidum Vitrioli, Schwefelsäure, Vitriolsäure, *Acide sulphurique.*

Duae sunt Olei Vitrioli species in commercio prostantes: 1) Oleum Vitrioli anglicum, Englisches Vitriolöl, *Huile de Vitriol anglaise.* Acidum sulphuricum concentratum anglicum, Englische Schwefelsäure, *Acide sulphurique anglaise.* — Paratur in officinis chemicis combustione sulphuris in receptaculis magnis ex plumbo confectis (Bleikammern) aëre atmosphaerico repletis, adjuvante acido nitroso et aquae vaporibus; obtentum acidum dilutum evaporatione concentratur. — Liquor decolor aqueus, inodorus, peracidus, corrosivus, consistentiae oleosae; p. spec. 1,845 — 1,85; in frigore fortissimo non nisi difficillime congelat; temperatura 260° R. ebullit et totum destillatur. 2) Oleum Vitrioli fumans, Rauchendes Vitriolöl, *Huile de Vitriol fumante.* Oleum Vitrioli Nordhusanum, Acidum sulphuricum seu Vitrioli fumans, Nordhauser Vitriolöl, rauchende Schwefel- oder Vitriol-Säure, *Acide sulphurique ou vitriolique fumante.* Paratur etiam in officinis chemicis destillatione vitrioli martis calcinati in retortis terreis. Primum acidum dilutum, acido sulphuroso mixtum, elicitur, quod olim nomine Spiritus Vitrioli separatim excipiebatur, sequitur postea liquor fumans, aliis excipulis excipiendus. — Liquor Olei vitrioli anglici similis, sed plerumque fusco vel virescente-fusco coloratus, magis etiam acido-causticus, deleterius, aëris aditu nebulas albas emittens; p. spec. 1,86; temperatura 0° R. jam in massam crystallinam hyalinam congelat; leni calore ebullit et acidum sulphuricum anydrum emittit, restante acido sulphurico hydrato priori speciei omnino aequali. Utrumque est Acidum sulphuricum hydratum: Oleum Vitrioli anglicum miscella est ex aequalibus circiter ponderibus Mixtion. Acidi et Aquae. Oleum Vitrioli fumans Acidum sulphuricum anydrum in excessu continet; quod ipsum constat ex Sulphuris 1 et Oxygenii 3 p. M. Acidum sulphuricum ceterum affinitate ad bases praeponderat plerumque omnibus aliis acidis et salia aliorum acidorum decomponit; cum baryta et plumbo oxydato salia praebet in aqua et omnibus liquoribus acidis insolubilia; in statu concentrato aquam avide ex aëre attrahit et, si cum ea vel spiritu vini commiscetur, magnum aestum efficit. — Corpora organica plerumque destruit et carbonem nudat. — *Vis:* valde corrodens, deleteria.

Adulteratum per acidum sulphurosum, nitri vel salis odore, si cum aqua celeriter commiscetur, et per arsenicum vel plumbum ope acidi hydrothionici detegitur.

Usus: Pharmaceuticus multiplex, ad paranda plura salia et acida, ad Aetherem sulphuricum cet.

OLIBANUM. Weihrauch. *Olibane.*

Synon.: Gummi seu (Resina) Olibani, Thus. Weyrauch. Encens.

Succus sponte effluens et aëre indurescens *Boswelliae serratae* Roxb. (?), e cl. Decandria, ord. Monogynia, fam. Terebinthacearum, arboris Indiae orientalis et Arabiae australis (?). — Distinguuntur: 1) Olibanum electum vel in granis, Thus Mannae, auserlesener Weihrauch, Manna-Weihrauch, *Olibane electe.* — Frustula subglobosa, oblonga, plerumque irregularia, passim stalactidea, pisi ad nucis juglandis magnitudine et ultra, colore albo-flavescente, passim flavo-rubella, opaca vel subdiaphana, externe pulvere albido inspersa, tactu aspera, fragilia, fractura opaca aequali et fissili, triturando pulverem album praebentia. 2) Olibanum commune seu in sortis, ordinärer Weihrauch, *Olibane commune.* — Frustula similia, sed magis irregularia et impura, saepius in massis majoribus conglutinata, colore sordide griseo et fusco, particulis corticosis, lapidibus cet. plus minus intermixta. — Odor Olibani debilis proprius, grate balsamicus, calore autem augetur et dum accenditur, fragrans, sapor balsamicus subacer et amariusculus; cum aqua lac praebet, in spiritu vini partim tantum solvitur. — *Part. const.:* Gummi, Resina et Oleum aethereum. — *Vis:* excitans, diuretica, vulneraria.

Sit Olibanum genuinum ut supra bonae notae descriptum. Resinae alienae et adspectu et odore dignoscuntur; ceterum etiam resinae purae, ut Resina Pini, quod etiam Olibani seu Thuris communis nomine prostat et ope spiritus vini detegitur, quo penitus solvitur. De aliis productis Olibani nomen gerentibus v. infra.

Usus: Interne hodie raro, praecipue externe ad suffitus adhibetur. — *Praep.:* Ingrediens est multarum compositionum, spirituum aromaticorum, emplastrorum, unguentorum, praecipue quoque Candelarum et Pulverum fumalium.

OLIBANUM ARABICUM vel VETERUM, quod ex *Junipero thurifera* L., sed dubie, derivatur, partim pro Olibano supra descripto habetur, partim ab eo differre censetur et colore esse magis luteo vel rutilo et odore minus grato, quodammodo tacamahacino; alii hoc Olibanum indicum esse censent.

OLIBANUM AMERICANUM, Resina Coumier. Amerikanischer Weihrauch. *Encens.* — Species est Elemi, quae ab *Amyride ambrosiaca* L. (Cl. cet. v. Elemi p. 57.), arboris Americae meridionalis, derivatur. — Elemi similis, sed colore obscuriore, rufescente; durior et fragilior. — In patria ad suffitum adhibetur. — Remedium quoque esse ferunt contra diarrhoeam chronicam.

Ceterum Olibani nomen plures etiam resinae balsamico-odoriferae gerunt et ad suffitum in templis, uti descriptum, adhibentur.

OLIVAE CONDITAE. Eingemachte Oliven. *Olives confites.* — Fructus immaturi flavo-virides Oleae europaeae L. (v. Oleum Olivar. p. 196.) sale et aromatibus conditi. — *Usus:* diaeteticus.

OPERCULA COCHLEARUM. Schneckenhausdeckel. *Opercules ou Couvercles d'Escargots.* — *He-*

licis pomatiae L. (p. 38.), Opercula foliacea, alba, disciformia, quibus animalia per hyemem domicilium (testam) claudunt. Friabilia sunt, inodora et insipida, cum acidis effervescentia. — Praecipue ex Calcaria carbonica constant. — Hodie merito exoleverunt.

† OPIUM. Opium. *Opium.*

Synon.: Succus thebaicus, Meconium, Laudanum. Mohnsaft.

Succus lacteus e pericarpiis immaturis vulneratis *Papaveris somniferi* L. (Fl. Bad. II. p. 478.), e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Papaveracearum, plantae annuae orientalis, apud nos cultae (v. et p. 25.) effluens et aëre indurescens. Prostat in commercio in panibus suborbicularibus, $\frac{1}{4}$ — 2 librarum pondere, foliis Papaveris involutis et saepius cum semine Rumicis orientalis L. conspersis; colore plus minus saturate flavo-fusco, odore ingrato narcotico et sapore acri-amaro, nauseoso. Variae sunt species: Optimum censetur Opium Levanticum seu Smyrnaeum. Levantisches oder Smyrnaisches, Macedonisches, Armenisches Opium. *Opium de Levant.* — In glebis occurrens librarum duarum usque pondere, Rumicis semine conspersis, colore laete rubello-fusco, consistentia plus minus, praesertim in medio, molli, tenace, in fractura aequalibus, opacis vel sub-cereo-nitentibus, in molliore parte pallidioribus, flavo-fuscis; odore penetrante nauseoso; p. spec. 1,336 — 1,363; chartam infricatam ductu interrupto laete flavo-fusco inficientibus. Opium Aegyptiacum, Thebaicum, Turcicum, Constantinopolitanum, Aegyptisches u. s. w. Opium — praecedenti speciei parum postponendum; in frustis minoribus proveniens, seminibus Rumicis carentibus; colore intensius fusco, consistentia duriori ita ut in medio quoque exsiccata appareant; fractura opaca vel sub-nitente; odore debiliori et sapore simili. Opium Indicum seu Ostindicum, Ostindisches Opium, in frustulis minoribus nigrescente-fuscis, foliorum Papaveris residuis et seminibus Rumicis omnino carentibus; odore et sapore passim alieno, multo minoris est pretii. Nihilo minus novissimis temporibus hoc nomine opium bonae qualitatis provenire dicitur. Opium maxima ex parte in aqua uti et spiritu vini solubile, solutio aquosa concentrata alcalium ope valde turbatur et solutio valde diluta addito liquore ferri muriatici oxydati fusco-rubra coloratur. — *Part. const. praev.*: Morphium, Codeinum, Opianum et Narceinum, porro Acidum meconicum et Meconium. — *Vis*: in exigua dosi jam valde narcotica, obstipans, anodyna, antispastica; in majori facile nociva, deleteria.

Sit Opium purum ut supra tanquam bonae notae descriptum, a quisquiliis in massa liberum. Exploretur extractus, si Morphio abundet, alcalium ope et liquoris ferri muriatici oxydati ope, si adsit Acidum meconicum. Opium his partibus egenum omnino rejiciendum.

Usus: In pulvere, pilulis, mixturis cet. admiscetur, interne in exigua dosi ¼—1 granum rarissime excedente; externe emplastris, unguentis, speciebus cet. admiscetur. — *Praep.:* Tinctura Opii simplex et Eccardi, Laudanum liquidum Sydenhami, Laudanum opiatum de Rousseau, Elixir. paregoricum, Syrupus opiatus, Extractum, Morphium et Salia Morphina, Codeinum, Theriaca cet. et additur pluribus aliis compositionibus.

OPOBALSAMUM SICCUM. — Hoc nomine Balsamum Tolutanum exsiccatum (p. 30.) in commercio prostat.

OPOBALSAMUM VERUM idem est ac Balsamum de MECCA (p. 20.).

OPOPANAX, Gummi seu Gummiresina Opopanax, Gummi Panacis. Opopanar, Panargummi, Heilwurzgummi. *Opopanax.* — *Opopanacis Chironii* Koch., (*Pastinacae Opopanacis* L. — Cl. cet. v. Ammoniacum p. 5.), plantae perennis Europae australis et Orientis, Succus, qui ex radice vulnerata effluit, et aëre induratur. Grana subglobosa vel irregularia, angulosa, tactu subpinguia, externe fusco-flava, opaca vel sub nitentia, fragilia, triturando pulverem flavum praebentia; odore forti subnauseoso, Ammoniaco et Radici Levistici subsimili, sapore balsamico amaro; cum aqua trita lac flavescens formantia. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Resina et Gummi. — *Vis:* irritans, mundificans (?). — *Usus:* In pulvere, pilulis, in emulsione. Additur pluribus aliis compositionibus antiquis. — Hodie rarissime adhibetur.

ORLEANA, Terra Orleana, Orellana, Arnotta, Arucu. Orlean. *Rocou, Achiote.* — Ex fructibus *Bixae Orellanae* L., e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Bixinearum, arboris Americae australis et Indiae occidentalis obtinetur. — Faecula quasi colorata, in glebis occurrit pondere 3—4 librarum, foliis arundinaceis involutis, semper fere humidis, colore sanguineo; odore foetido proprio, subputrido, sapore ingrato salso, subadstringente. — Siccata frusta exhibet fusco-rubra, opaca, inodora, friabilia; trita pulverem viridi flavo-rubrum praebet; calore non liquescit, flammam autem concipit et cum flamma clara comburitur. Cum aqua emollescit et pastam format, dum non admodum solvitur; maxima ex parte solubilis in spiritu vini et aethere, solutionem pulchre flavo-rubram praebens; solvitur etiam in liquoribus alcalinis cum colore sanguineo; oleum vitrioli colorem immutat in coeruleum, post viridem et postremo violaceum. — *Part. const. praev.:* Resina propria colorata (Orellinum). — *Vis:* stomachica, adstringens, alvum movens (?). — *Usus:* In substantia forma pulveris. — Hodie vix apud nos ut medicamentum adhibetur. Coloris causa emplastris cet. Croci loco passim additur. — Sit massa homogenea, colore pulchre fusco-rubro, quisquiliarum expers, in spiritu vini tota fere solubilis. Orleana nigrescens, mucida, in spiritu vini partim tantum solubilis, rejiciatur.

OROBANCHE VIRGINIANA L. (Epiphegus americanus Nutt.). Virginian'sche Sommerwurzel. *Orobanche de Virginie.* — Planta parasitica, e cl. Didynamia, ord. Angiospermia, fam. Orobanchearum, in America boreali crescens. — In patria in dysenteria et contra cancrum laudatur.

Orseille v. Roccella.

ORYZA EXCORTICATA. Geschälter Reis. *Ris mondé.* — *Oryzae sativae* L., e cl. Hexandria, ord. Digynia, fam. Graminearum, plantae annuae Indiae orientalis, quae crebre in regionibus calidioribus colitur, Semen glumis privatum, ovato-oblongum, 2—2½ lineas longum, album; subdiaphanum, in basi oblique retusum, durissimum; inodorum et insipidum. — *Part. const. praev.:* Farina. — *Vis:* nutriens. *Usus:* diaeteticus. — *Praep.:* Pulvis de Content. — Aliis quoque additur compositionibus.

OS SEPIAE. Weißes Fischbein, Blackfischbein. *Os de Sèche.* — *Sepiae officinalis* L., e cl. Molluscarum, ord. Cephalopodum, fam. Sepiarum, animalis marini, praecipue mari mediterraneo provenientis, pars dorsi testacea interna; crebre mari innatans reperitur. — Lamina osseo-terrea, alba, levis, oblongo ovalis, 5—10 pollicum longitudine, utrinque leviter convexa, in superiori parte ex lamellis concentricis tenuibus, corneis, subpellucidis, in inferiore parte ex substantia porosa, inani, terrea constans; fragilis est et friabilis; fere inodora, sapore subsalso-marino, terreo. — Praecipue ex Calcaria carbonica constat, membranis cartilagineis conglutinata, Etiam iodum continere verisimile est. — *Usus:* In pulvere; Pulveri strumali et Pulveribus dentifriciis addi solebat.

OSSA DE CORDE CERVI. Hirschkreuz, Hirschherzbein. *Os de Corde de Cerf.* — Ossicula oblonga, plana, irregularia, alba in basi cordis *Cervi Elaphi* (v. Cornu p. 41.) saepius forma crucis inveniun-

tur. — Olim, uti et aliorum animalium ossicula analoga, pro analeptica, antiepileptica et alexipharmaca habebantur, jam diu autem exoleverunt.

OSTREA EDULIS L. Gemeine eßbare Auster. *Huître.* — Molluscum testaceum marinum (confer. Conchae p. 40.) acephalum et apodum, consistentia mucilaginoso-gelatinosa (Peloris quae dicitur), sapore salso carneo. — *Vis:* nutriens. — *Usus:* diaeteticus; aegrotis phthisicis, enervatis praescribuntur.

OVA GALLINACEA. Hühnereier. *Oeufs de Poules.*

Galli Bankivae TEM. foeminae ova notissima e Testa, Albumine (p. 3.) et Vitello (v. infra) constantia. — *Vis:* demulcens, maxime nutriens.

Usus: diaeteticus. Ceterum Albumen, Vitellum et Testa pro medicamentis quoque adhibentur (v. suis locis).

OVA STRUTHIONIS. Straußeneier *Oeufs d'Autruche.* — *Struthionis Cameli* L., ex ord. et fam. Struthionum, avis maximae, deserta africana inhabitantis, Ova maxima, capitis infantis magnitudinem assequentia; maxime nutrientia. — Olim praecipue Testa (v. infra) ut medicamentum adhibebatur. In patria nutriendi ergo comeduntur et ut medicamentum quoque usurpantur.

OVA aliarum quoque avium, ut Meleagri Gallopavonis L. Truthühnereier (v. Axungia p. 14.), Anseris Gänseier cet. olim pro medicamento usurpabantur, ovis gallinaceis autem nihil praestant.

PALICUREA AURATA MART., PALICUREA DIURETICA MART., PAL. OFFICINALIS M. et aliae Palicureae species (Cl. cet. v. Radic. Ipecacuanhae), plantae Americae meridionalis, viribus medicatis, sed etiam noxiis, praeditae, in Brasilia ut medicamenta diuretica in hydrope, syphili cet. praescribuntur.

PANIS. Brod. *Pain.* Nutrimentum notissimum praestantissimum, ut medicamentum raro adhibetur. — Mica panis albi, Semmelbissen, Weck, pro constituente ad massam pilularum passim sumitur, externe ut emolliens adhibetur. Crusta panis roborandi causa ex jure coquitur. — *Praep.:* Aqua, Spiritus, Gelatina Panis, Emplastrum de crusta Panis. Additur aliis quoque compositionibus, ut Decocto albo Sydenhami cet.

PASSIFLORA FOETIDA L. et PASSIFLORA HIBISCIFOLIA LAM. Stinkende und Hibiskusblättrige Passionsblume, e cl. Monadelphia, ord. Pentandria, fam. Passiflorearum, plantae brasilienses, in patria externe ad erisipelatem cet. in balneis, cataplasmatibus adhibentur. — Aliarum Passiflorarum specierum fructus ut: Passifl. maliformis L., Passifl. pallidae cet. etiam pro medicamento usurpantur.

PASSULAE. Rosinen. *Raisins.* — *Vitis viniferae* L. (v. Folia p. 81.). Fructus siccati: Distinguuntur: Passulae majores, Uvae Passae, Zibebae. Große Rosinen, Zibeben, *Grosses Raisins*, *Raisins de Caisse.* — Uvae maturae siccatae Vitis viniferae communis, quae in Europa meridionali et Oriente colliguntur. In commercio occurrunt Passulae Damascenae seu Smyrnenses, Damascener oder Smyrnaer Rosinen, magnitudine fere prunorum minorum, compressae, fulvae; Passulae Calabrinae, Calabrische Rosinen ventricosae, obscure fuscae, glutinosae, saepius racemis adhuc adhaerentes et filo colligatae; Passulae Gallicae vel Hispanicae, Französische oder Spanische Rosinen, *Raisins aux Rubins*, baccae ventricosae antecedentibus paullo minores, fuscescentes; Passulae majores vulgares, gemeine große Rosinen. Baccae sunt plus minus molles, corrugatae, sub membrana tenaci carnem sapidissimam, grate dulcem et semina durissima includentes. — Passulae minores seu Corinthiacae, Uvae minores, Kleine Rosinen, Korinthen, ex *Viti viniferа apyrena* L., praecipue e Graecia advehuntur. Baccae globosae nigro-fuscae, vix pisi minoris magnitudine, carne dulcissima, seminibus carentes. — *Part.* Passularum *const. praev.:* Saccharum grumosum et mucosum, Gummi et Tartarus. — *Vis:* nutriens, demulcens. — *Usus:* In decocto. — *Praep.:* Pulpa; adduntur speciebus praesertim pectoralibus. — Sint Passulae carnosae dulcissimae, neque vero mucidae aut ab insectis erosae, quae rejiciendae.

PEDUNCULI CERASORUM. Kirschenstiele *Pedoncules des Cerises.* — *Pruni Avium* et *Pruni Cerasi* L. (v. Cerasa p. 30.) fructus Pedunculi. — Olim ut medicamentum adhibebantur; hodie merito exoleverunt.

PE-LA. Weißes Wachs. — Hoc nomine Cerae species occurrit, quae ex India orientali advehitur, cujus origo adhuc ignota. — Pro medicamento adhibetur in China. — Forsitan idem est ac Cera japonica, quae Cerae albae similis, sed fragilior molliorque; odore et sapore subrancido, facilius liquescens et facilior solutu in alcohole vini; cum alcalibus quoque facile saponem format et maxima ex parte in acidum margarinicum immutatur. — Adhiberi passim potest ad emplastra et unguenta.

PERSICAE, Mala seu Poma Persica. Pfirsiche. *Pêches.* — *Persicae vulgaris* DEC. (*Amygdali Persicae* L. v. flores p. 69.) Fructus. Drupae magnae globosae, quarum uno in latere sulcus exaratus, tomento brevi albido plerumque obductae, colore albido, flavo, rubro, cet. (multae sunt varietates), grate odorae, sub carne succulenta sapidissima grate acidulo-dulci putamen magnum, ovato-subrotundum, compressum sulcato-rugosum, fusco-rubrum, durissimum includentes (v. etiam Nuclei Persicorum p. 190.). — *Part. const. praev.:* Saccharum et Acida vegetabilia. — *Vis:* nutriens, refrigerans. — *Usus:* diaeteticus. — Reconvalescentibus passim commendantur.

† PHOSPHORUS. Phosphor. *Phosphore.*

Synon.: Phosphorus Urinae. Harnphosphor, Brandischer oder Kunkelscher Phosphor oder Lichtträger.

Paratur in officinis chemicis; parari quoque potest a pharmacopola ipso, destillatione sicca miscellae acidi phosphorici impuri glacialis (v. part. posterior.) et carbonis, ex retorta lapidea, excipulo aquam continente adaptato, igne gradatim aucto, dum phosphorus destillatur, qui, apparato penitus refrigerato, caute eximitur; in aqua calida liquatus, immittitur in infundibula tubis longis tenuibus instructa et aqua calida cincta, ut baculi formentur, qui refrigerati eximuntur et in vasis aqua repletis circumspecte asservantur. — Bacillos ita format calami scriptorii et ultra crassitudine. — Phosphorus albidus est, vix flavescens, pingue nitens, dum recens diaphanus, sub aqua asservatus, tempore crusta alba opaca, pulverulenta obducitur; commodis conditionibus concrescit, in crystallos regulariter octaedricas et rhombico-dodecaedricas; p. spec. 1,77; temperatura ordinaria consistentia est cerea, aliquantulum tenax, temperatura + 36° R. liquescit et + 260° R. ebullit et destillatur in vasis clausis; per se inodorus et insipidus, aëris aditu temperatura ordinaria nebulas albas, noctu lucentes, odore alliaceo, emittit, facillime ignescit et cum flamma alba splendidissima comburitur, acidum phosphori formans; vim electricam non ducit. Insolubilis in aqua, aegre solubilis in alcohole vini, aethere et oleis. — Substantia est sui generis immetallica, simplex. — P. Mixtionis: 196,155. — *Vis:* maxime irritans, incitans, facile nociva, deleteria.

Usus: Interne cautissime adhibendus; in pulverem redactus ope aquae vel spiritus vini, quibuscum in vasis clausis calefactus et liquatus assidue conquassatur, dum penitus refrigeratus sit, forma emulsionis, electuarii vel solutus in aethere, in minima dosi, $\frac{1}{4}$ — 1 granum non excedente; externe solutus in oleis vel unguentis. — *Praep.:* Aether phosphoratus, Alcohol phosphoratus, Oleum phosphoratum, Unguentum phosphoratum, Acidum phosphoricum purum. — Additur aliis quoque compositionibus.

PILAE MARINAE, Sphaera marina seu thalasia, Halcyona rotunda. Meerballen, Seeballen, Meerkugeln. *Péloles de mer.* — Reperiuntur mari innatantes, ad saxa, scopulos, oras marinas. — Rudera esse credunt ex *Zostera marina* L., e cl. Monandria, ord. Digynia, fam. Najadarum, planta submarina, fluctuante mari ex plantis his mortuis in globulos convoluta. Secundum aliam opinionem residua non concocta sunt piscium marinorum ab eis evomita. — Pilae subglobosae, oblongae, leves, fusco-rubellae pugni et ultra magnitudine, verum tamen minores, ex fibris intricatis plantarum marinarum constantes, saepius conchas aliasque quisquilias continentes; inodorae et insipidae, vel odore et sapore debili subfucino. — Iodi vestigia continent. — *Vis:* strumalis. — Subinde compositionibus strumalibus combustis admiscentur. Omnino autem supervacaneae sunt.

PIPER ALBUM, rotundum. Weißer Pfeffer. *Poivre blanc.* — *Piperis nigri* L. (Cl. cet. v. Cubebae p. 55.) fruticis scandentis Indiae orientalis, Fructus decorticati. — Grana globosa, albida, glabra $1\frac{1}{2}$ — 2 lineas in diametro habentia, solida; odore levi et sapore acri-aromatico, piperino. — *Part. const. praev.:* Piperium. — *Vis:*

incitans, stomachica. — *Usus:* Grana integra sumenda praescribuntur. Additur aliis quoque compositionibus. — Piper album ad parandum Piperium etiam aptum est. Sint grana albida compacta, neque vero fusca, corrugata vel inania, aut amylo vel adeo cerussa conspersa; iodi ope illud, acidi hydrothionici ope hoc detegitur.

† PIPER HISPANICUM, Piper indicum, Piper turcicum. Spanischer Pfeffer, indischer, türkischer Pfeffer. *Poivre d'Espagne, de Guinée* ou *d'Inde, Piment annuel, Coraile des Jardins.* — *Capsici annui* L. (Cl. cet. v. Baccae Alkekengi p. 14.), plantae annuae utriusque Indiae in Europa meridionali et apud nos cultae, Fructus exsiccatus. — Baccae variabiles, plerumque oblongae, obtusae, conico-subcordatae, compressae, 2—3 pollicares, laeves, nitentes, fusco-rubrae vel flavo-rubrae, flavae, calyce et pedunculo brevi praeditae, biloculares, exsuccae, sub membrana tenaci coriaceo-papyracea semina alba, compressa, lentiformia includentes; inodorae, sapore ferventissimo, linguae diu adhaerente; pulvis in aëre dispersus sternutationem vehementissimam et facile inflammationem faciei excitat. — *Part. const. praev.:* Principium resinosum acerrimum (Capsicinum). — *Vis:* maxime irritans, incidens, calefaciens. — *Usus:* Interne caute et externe, sed rarissime (non nisi in arte veterinaria) per se ut medicamentum adhibetur. — *Praep.:* Vinum, Acetum. — Additur aliis quoque compositionibus. Pro condimento inservit. — Praecipue fructus parvus, tenuis, subcylindricus, corrugatus, 1/2 pollicem vix superans, ex varietate Capsici annui proveniens, sed etiam fructus globosus, ruber, cerasi magnitudine Capsici frutescentis, in iisdem regionibus crescentis, in hunc finem, nomine Piperis Cayennensis, Cayenscher Pfeffer, Chili-Pfeffer. *Poivre de Cajenne* sumitur. — Usus Piperis hispanici ad augendam acrimoniam Aceti (p. 1.) omnino damnandus.

PIPER LONGUM, Macro-Piper. Langer Pfeffer. *Poivre long.* — *Piperis longi* L. (Cl. cet. v. Cubebae p. 55.), fruticis scandentis Indiae orientalis Fructus immaturus. — Prostat in cylindris concretis, aridis, rugosis, colore fusco-cinereo, 1—1½ pollicem longis et 2—3 lineas crassis, ex baccis globosis exiguis arcte connexis, rachi insidentibus, constantibus; odore aromatico et sapore acerrimo piperino. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Resina acris et Piperium. — *Vis:* incitans, resolvens, stomachica. Acore potentius est Pipere nigro (v. sequens). — *Usus:* Ut medicamentum hodie vix adhibetur; verumtamen additamentum plurium compositionum antiquarum. Ad parandum Piperium quoque aptum. — Aceto passim adhuc ad augendam acrimoniam, proh dolor! admiscetur.

PIPER NIGRUM. Schwarzer Pfeffer. *Poivre noir.* — *Piperis nigri* L. (v. Piper album) Fructus totus exsiccatus. — Grana globosa rugosa, fusco-nigrescentia, notissima, sub membrana et carne corrugata semina includentia nomine Piperis albi (p. 206.) nota; odore gaudet proprio grate aromatico et sapore ferventissimo aromatico. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Resina acris et Piperium. — *Vis:* incidens, calefaciens, stomachica; magis irritans quam Piper album. — *Usus:* Ut medicamentum per se vix adhibetur. — *Praep.:* Piperium et Oleum Piperis aethereum. — Additur aliis quoque compositionibus. — Praecipue autem in culinis pro condimento usurpatur. — Sit piper compactum, odore et sapore forte aromatico-acri. — Cave ne sit pipere artificiali, ex terra confecto, adulteratum, quod detegitur aquae ope, in qua artefactum dilabitur.

PISUM, Semen Pisi sativi. Erbse *Pois.* — *Pisi sativi* L. (Fl. Bad. III. 168. — Cl. cet. v. Lens p. 169.), plantae annuae, oleris tritissimi, Semen globosum albidum durum notissimum, inodorum, sapore farinoso. — *Part. const. praev.:* Farina. — *Vis:* maxime nutriens. — *Usus:* diaeteticus, fonticulis quoque pisa inserviunt; farina ad cataplasmata adhibetur.

PIX ALBA seu BURGUNDICA, Pix graeca. Weißes oder Burgundisches Pech, Griechisches Pech. *Poix blanche* ou *de Bourgogne.* — Paratur ex Resina alba (v. infra) vel resina post destillationem olei Pini rubri (p. 198.) remanente, liquefaciendo, coquendo aqua et colando. Massa rigida flavo-fuscescens, fere impellucida, parum nitens; odore et sapore ingrato terebinthaceo; frigore fragilis, fractura conchoidea, calore manus mollescens massamque tum referens maxime tenacem. — Resina Pini est Aqua intermixta et calore quodammodo mutata, partim empyreumatica. — *Vis:* balsamica, rubefaciens. — *Usus:* Externe cuti imponitur. — *Praep.:* Emplastrum piceum. — Additur aliis quoque emplastris et unguentis.

PIX LIQUIDA. Theer. *Poix liquide.*

Synon.: Resina liquida empyreumatica, Pissa. Flüssiges Pech. Goudron.

Paratur destillatione sicca e ligno plurium arborum, e. g. *Fagi silvaticae* L. Pinorum specierum cet; obtinetur plerumque

in majori copia in officinis coquendis carbonibus inservientibus, una cum Aceto lignorum (v. pars posterior). — Liquor oleosus spissus, aqua gravior, colore nigro-fusco, (ex pinis primum prodit liquor oleosus fusco-flavus, **Pix liquida alba**, Theergalle, nominatur); odore foetido empyreumatico et sapore nauseoso, acri-amaro, empyreumatico, diu adhaerente; flammam facile concipit et comburitur cum flamma splendente et fumo. — *Part. const. praev.:* Miscella est ex Kreosoto, Picamaro, Paraffino, Eupione, Aceto et aliis productis destillationis siccae adhuc non satis cognitis. Pix liquida ex Pinis adhuc continet Oleum aethereum Terebinthinae seu Pini p. 198. — *Vis:* incidens, pectoralis, diuretica et diaphoretica, conservans.

Usus: Interne in pilulis, parva dosi, externe unguentis cet. admiscetur. — *Praep.:* Kreosotum, (quod solummodo pice liquida ligni Fagi obtinetur, minime ex Pinorum pice parari potest), Pix navalis (v. seq.) et Pix alba (p. 207.) ex pice liquida alba paranda, Aqua, Unguentum, Emplastrum Picis. — Aliis quoque additur compositionibus.

PIX NAVALIS, **Pix nigra seu atra solida.** Schiffpech, schwarzes Pech. *Poix noire.* — Obtinetur evaporatione seu destillatione sicca picis liquidae. cujus est residuum. — Massa solida resinosa, fusco-nigra, nitens, opaca; odore et sapore praecedentis sed debiliore, in frigore fragilis, temperatura ordinaria tenax, ita ut in vasis inclusa lente confluat et coalescat eisque maxime adhaereat; leni calore liquefit; flammam ut praecedens concipit et per se aëris aditu cum flagrante flamma et fumo comburitur. — *Part. const.:* praecedentis, volatiliarum autem expers est. — *Vis:* eadem sed minus incidens. — *Usus:* Externe; unguentis et emplastris quibusdam officinalibus admiscetur.

PLATINA, **Platinum, Platina del Pinto.** Platin, Weißgold. *Platine, Or blanc.* — Nativa occurrit in terra alluviali, in fluviis, praecipue in America meridionali et in Russia boreali, in monte quem dicunt Ural et in officinis metallariis vel chemicis, vel a pharmacopola ipso purgatur. dum platina cruda in aqua regis dissolvitur, solutio clara, quam fieri potest maxime neutra et diluta, addita solutione salis ammoniaci praecipitatur, quod praecipitatum incandescat. — Platina hoc modo obtinetur forma massae porosae. pulverulentae, albidae. opacae, **Spongia platinae** (Platinschwamm) quae dicitur, quae calore fortissimo emollitur et mallei ictibus in massam cohaerentem redigitur. — Metallum nobile, si malleatum, splendidum, cinereo album, perdurum. tenacissimum, ductilissimum, densissimum; p. spec. 21,5 — 21,7; caloris ope difficillime funditur, sed igne fortissimo emollescit et partes discretae uti Ferrum (p. 60) malleo conjungi possunt. Insolubile in omnibus acidis; non nisi ope chlori aquosi vel aquae regis dissolvi potest. Solutio obscure fusca ope salium kali vel ammoniacum continentium colore laete flavo praecipitatur; — p. Mixt. 1233,260. — *Vis* (?). — *Usus:* Ut medicamentum vix adhibetur; novissimis temporibus tamen compositiones platinam continentes praescribere conantur, ut Platinam oxydatam, Platinam muriaticam oxydatam. — Aethiops Platinae (v. pars posterior) ad parandum acidum aceti; solutio muriatica ut reagens quoque adhibetur. — Sit platina ponderis specif. supra memorati, aëris aditu in qualibet temperatura immutabilis; acida nullam ejus partem dissolvant.

† PLUMBUM. Blei. *Plomb.*

Synon.: Saturnus.

E mineris plumbeis in officinis metallariis obtinetur. — Metallum griseo-coerulescens, splendidissimum, molle, chartae in-

fricatum inquinans, tenax, malleabile, vix elasticum, non sonans allisum, p. spec. 11,31; leni calore funditur, sed aegre calore fortissimo avolat. Pond. Mixt. 1294,498. — Aëris aditu facile oxygenium attrahit et in calcem (oxydum plumbicum) et calore obscure rubro-candente gradatim in minium convertitur; in acido nitri facile, in aliis autem acidis aegre dissolubile, nisi forte aëre adjuvante, tunc enim etiam in multis aliis facile solvitur. — Salia format decolora, si solubilia, sapore styptico-dulci et *Vi* venenata, addito acido sulphurico solutiones praecipitatum praebent album, in acidis insolubile et addito acido hydrothionico praecipitatum fusco-nigrum, pariter insolubile in acidis dilutis.

Usus: Pharmaceuticus multiplex. — *Praep.:* Oxydum (Cinis Plumbi, Aes seu Plumbum ustum, Cerussa citrina seu Massicot [p. 31.], Lithargyrium [p. 175.]), Minium (p. 182.), Cerussa (p. 31.), Saccharum Saturni, Plumbum nitricum, Magisterium Saturni; et aliis praeparatis inservit.

PLUMBAGC v. Graphites (p. 85.).

POLLEN JULORUM CORYLI. Haselblüthenstaub. *Pollen de Coudrier* ou *Noisettier.* — *Coryli Avellanae* L. (v. Lignum p. 171.). Pollen, mense Februario et Martio jam apparens. — Pulvis subtilissimus, flavus, inodorus atque insipidus.— Subinde Semini Lycopodii (v. infra) substituitur.

POLYGALA AMARA v. Herba cum Radice (p. 144.).

POMA ACIDULA. Säuerliche Aepfel. *Pommes acidules.*

Synon.: Mala acidula.

Pyri Mali L. (Fl. Bad. II. 388. — Cl. cet. v. Cydonia p. 56.), Fructus notissimus, Pomum quod dicitur, cujus innumerabiles paene sunt varietates. — Eliguntur ad usum medicum Poma acida vel acidula; ut P. Borsdorfiana et Renetia. Borsdorfer Aepfel und Reinetten. *Pommes de Borsdorf* et *Rainettes*, odore grate aromatico et sapore gratissimo acidulo-dulci, vinoso. — *Part. const. praev.:* Acidum malicum et Saccharum. — *Vis:* nutriens, demulcens, refrigerans, aperiens.

Usus: diaeteticus. — *Praep.:* Succus, Syrupus, Gelatina, Vinum, Unguentum pomatum, Unguentum ad Labia, Extractum Ferri pomatum et Tinctura Ferri pomata (v. et Cydonia loco cit.), Calcaria malica impura.

POMA ELATERII v. Cucumis asininus (p. 55.)

PRIAPUS CERVI, Hirschruthe, PRIAPUS CETI, Wallfischruthe, PRIAPUS TAURI, Ochsenruthe, et aliorum animalium pars virilis olim ut medicamentum aphrodisiacum cet. absurde adhibebatur. — Jam dudum vero exoleverunt.

PROPOLIS. Stopfwachs, Bienenharz. *Propolis.* — Ab apibus colligitur ad alvearum fissuras claudendas et suspendendos favos.— Materia flavo-fusca, tenax, glutinosa, odore grate storacino; medium quasi tenet inter ceram et resinam et miscella esse fertur ex Cerae parte una et Resinae propriae partibus 3. — Olim emplastris et unguentis addi solebat; hodie vix adhibetur.

PRUNA, Pruna domestica, Fructus Prunorum. Pflaumen, Zwetschen. *Prunes.*— *Pruni domesticae* L. (Fl. Bad. II. p. 361 et IV. 335.— Cl. cet. v. Amygdalae p. 5.), arboris notissimae, Fructus tritissimus. — Drupae, quarum plures sunt varietates, plerumque oblongo-ovatae, carne succulenta sapidissima dulci et putamine oblongo

acuto compresso. — Ad usum medicum eliguntur Pruna Damascena, Zwetschen, *Couech.s*, epidermide obscure violacea, pruinosa praedita. — *Part. const. praev.*: Saccharum et Acida vegetabilia. — *Vis*: nutriens, resolvens, aperiens. — *Usus*. diaeteticus. Pruna siccata aegrotis saepius praescribuntur. — *Praep.*: Pulpa, Conserva, Roob, Spiritus. Adduntur aliis quoque compositionibus.

PRUNA AGRESTIA, Acaciae germanicae seu nostratis. Schleben. *Prunelles sauvages.* — *Pruni spinosae* L. — (v. Flor. Acaciarum p. 60.) — Fructus; maturi sero autumno, postquam pruina adparuit, immaturi autem mense Septembri colligendi. — Drupae globosae atro-coeruleae, pruinosae, pisi majoris magnitudine et ultra, carnem succulentam maxime styptico-austeram, nimis maturarum frigore pressarum dulciusculam et putamen subrotundum, subasperum includentes. — *Part. const. praev.*: Acidum malicum, parum Sacchari et Tanninum. — *Vis*: refrigerans, adstringens, nutriens. — *Usus*: diaeteticus. Fructus exsiccati etiam pro gargarismate cet. praescribuntur. — *Praep.*: Succus inspissatus ex fructibus recentibus immaturis austerrimis parandus; Vinum, Conserva. — Hodie immerito vix adhibentur.

PULLUS GALLINACEUS. Junges Huhn *Poulet.* — (v. Gallina p. 84.), in pharmacopoea hispanica ad parandum Jusculum Pulli gallinacei lientericum receptus est.

PULMO LUPI. Wolfslunge *Poumon de Loup*, Pulmo vitulinus, Kalbslunge, *Poumon de Veau*, Pulmo Vulpis, Fuchslunge, *Poumon de Renard*, et aliorum animalium Pulmones olim ut medicamenta in pharmacopoeis recepti fuerunt et per se adhibebantur, pluribusque compositionibus admisceri solebant, ut jusculo pectorali cet. — Hodie apud nos merito exoleverunt.

PUTAMEN NUCUM JUGLANDIUM v. Cortex (p. 48.)

PYRA, Fructus Pyri. Birnen. *Poires.* — *Pyri communis* L. (Fl. Bad. II. 384. — Cl. cet. v. Poma p. 209.), arboris notissimae Fructus. — Poma notissima permultarum varietatum, carne plus minus succulenta, grate dulci et acidula. — Olim Pyra silvatica, wilde Birnen, pro medicamento eodem modo ac Mespili (p. 182.) adhibebantur. Ceterum *Usus* pyrorum diaeteticus notissimus.

QUERCUS MARINA. Meereiche, Seeeiche, Blasentang. *Varec vesiculeux.* — *Fucus vesiculosus* L. — Alga marina perennis, sectione Ficoidearum, in mari mediterraneo et atlantico submersa proveniens; fronde (thallo) plana, lineari-dichotoma, integerrima, 3 — 6 lineas lata, nervo medio prominente, vesicis geminis subglobosis, pisi magnitudine ad latera praedita, receptaculis terminalibus oblongis, torulosis, rugosis; colore est sordide et obscure viridi-fusco, siccata nigro-fusco, consistentia cartilagineo-coriacea; odore debili fucino et sapore subsalso. — *Part. const. praev.*: Salia muriatica, hydriodica et Materiae extractivae organicae. — *Vis*: incitans, resolvens, strumalis. — *Usus*: Non nisi combusta adhibetur, nomine Aethiopis vegetabilis (v. pars posterior).

RADIX ABOROBAE DO MATO. — Hoc nomine Cucumeris speciei brasiliensis Radix rapiformis, cylindrica, ramosa, sordide flava, in longitudinem striata, intus alba, fibrosa, fere insipida, sed Vi purgante praedita, in patria ut medicamentum, in hydrope maxime laudatur.

RADIX ABRI PRECATORIAE. Paternostererbsen-Wurzel. (Cl. cet. v. Rad. Liquiritiae), plantae Indiae orientalis, sapore mucilaginoso; in patria Radici Liquiritiae (v. infra) substituitur.

RADIX ACACIARUM. Schlehendornwurzel *Racine de Prunier sauvage.* — *Pruni spinosae* L. (v. Cort. p. 42.) Radix ramosa, lignosa, cortice obscure fusco tecta; sapore adstringente. — Olim ut medicamentum adhibebatur. — Hodie exolevit.

RADIX ACETOSAE. Sauerampferwurzel *Racine d'Oseille.* — *Rumicis Acetosae* L. (v. Herbam p. 90.) Radix autumno ex planta indigena colligenda; multiceps, calami scriptorii ad digiti ambitu, subnodosa, cylindrico- vel fusiformi-ramosa, fibrosa, siccata extus obscure fusca, squamis tecta, aspera, intus albida, arida; inodora, sapore adstringente-amariusculo. Infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore viridi imbuitur. — *Part. const. praev.*: Principium adstringens. — *Vis*: tonica, adstringens. — *Usus*: In substantia, infuso. — Hodie exolevit.

†RADIX ACONITI LUTEI seu LYCOCTONI. Wolfs-Eisenhutwurzel gelbe Wolfswurzel. *Racine d'Aconite tue Loup.* (v. Herb. p. 91.). Radix tuberosa, ramosa, fibrosa, obscure fusca, intus alba, carnosa; sapore primo subdulci, post acerrimo mordante. — *Vis*: venenata. — Olim ut medicamentum adhibebatur; hodie exolevit.

† RADIX ACONITI SALUTIFERI, seu Anthorae. Giftheil-Wurzel, heilsame Wolfswurzel. *Racine d'Aconite salutaire, d'Anthore.* — *Aconiti Anthorae* L. (v. Flor. p. 61.) Radix cylindrico-fusiformis, digiti crassitudine, in caudam longissimam desinens, externe obscure fusca, intus alba, carnosa; odore proprio haud ingrato et sapore amaro-acri, dulciusculo. — *Vis*: narcotica, acris, vermifuga(?) — Olim pro antidoto habebatur Ranunculi Thorae (p. 148.) et aliarum Aconiti specierum, quod non probabile. Ad pellendos vermes quoque adhibetur. — Apud nos non praescribitur.

RADIX ACORI VULGARIS seu PALUSTRIS, Acori adulterini, Radix Pseudacori, Radix Iridis palustris seu Gladioli lutei. Unächter Kalmus oder Acorus-Wurzel, Wasserschwertelwurzel. *Racine de Flambe bâtarde, d'Acore bâtarde, de faux Acore.* — *Iridis Pseudacori* L. (Fl. Bad. I. 80. — Cl. cet. v. infra Rad. Irid. Florentinae), plantae perennis, in paludibus, pratis humidis, ad fossas, vulgaris, caule erecto ramoso, 2 — 4 pedali, foliis ensiformibus longitudine caulis, integerrimis, vaginantibus, striatis, glabris, floribus luteis irideis imberbibus, laciniis corollae interioribus pistilli laminarum minoribus, Radix vel potius Caudex subterraneus hori-

zontalis, cylindricus, pollicem circiter crassus, articulatus, subramosus, rugis annulatis, et squamis externe, subtus autem praecipue fibris praeditus; externe fuscescens, intus carneus, rubellus, siccatus rugosus, asper, obscure griseo fuscus; inodorus, sapore adstringente. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens. — *Vis:* adstringens, obturans et aperiens (?), diuretica. — *Usus:* In substantia, infuso, decocto; hodie non nisi in arte veterinaria praescribitur. — *Praep.:* Succus, Electuarium diacori; aliis quoque addebatur compositionibus.

RADIX ADONIS, seu **Adonidis**, **Radix Hellebori Hippocratis** (improprie). Adoniswurzel, falsche böhmische Nieß- oder Christ-Wurzel. *Racine d'Adonis.* — *Adonis vernalis* L. (Fl. Bad. II. 530. — Cl. cet. v. Hb. Chelidonii minoris p. 108.), plantae perennis montanae Helvetiae, Sibiriae, Asiae borealis, passimque Germaniae, caule erecto subsimplici, striato, glabro vel subpubescente, foliis multifidis, segmentis lineari-setaceis, floribus solitariis terminalibus speciosis flavis, dodecapetalis, Radix tuberosa, simplex et multiceps, oblongo-rotunda, ½ — 1 pollicem crassa et 1 — 3 pollices longa, undique fibris filiformibus, 3 — 5 pollicaribus, subsimplicibus, calami straminei et ultra crassitudine, obsessa, superne in collo reliquiis caulium 1 — 3 lineas crassis, subinde concavis, duris, praedita; siccata externe atro-fusca vel nigrescens, opaca, subincana, gibbosa, arida, intus albida, carnosa, fragilis uti et fibrae leviter striatae; odore irritante nauseoso, sapore primo amaro-irritante, post peracri gutturali, diu durante; infusum aquosum obscure fuscum addito pauxillo liquoris ferri muriatici oxydati colore obscure griseo turbatur, qui evanescit, ubi plus admiscetur, tincturae gallarum et mercurii sublimati corrosivi ope in floccis sordide griseis praecipitatur. — *Part. const. praev.:* uti Rad. Hellebori nigri (?) v. infra. — *Vis:* eadem (?). — Ut medicamentum pari modo, sed rarissime suo nomine, adhibetur. Saepius radice Hellebori nigri substituitur.

RADIX AGAVES Maaschwurzel. *Racine d'Agaves.* — *Agaves americanae* L. (v. Folia p. 74.), plantae perennis succulentae Americae meridionalis, apud nos in hibernaculis (vulgo nomine Aloës) cultae, radicis Fibrae longae ramosae, siccatae superne calami scriptorii crassitudine et ultra, versus apicem attenuatae, nodosae, lignosae, epidermide tenui, sordide grisea et cortice interiori violaceo, spongioso tecta; duramine ligneo albo, tenaci, facili fissu; inodorae et fere insipidae. — *Part. const.* et *Vis* (?). — Radice Sassaparillae (v. infra) subinde substituitur

RADIX AGRIMONIAE. Odermennigwurzel. *Racine d'Aigremoine* — (v. Hb. p. 91.). Radix perennis fusiformi-cylindrica, digiti circiter crassitudine, fibrosa, externe fusca, in collo squamis nigro-fuscis tecta, intus alba et flavescens; odore grate aromatico et sapore aromatico, adstringente-amaro. — *Part. const.* et *Vis:* uti Herbae, plerumque autem illa est praestantior. — *Usus:* Idem. In America boreali praecipue ut stomachicum et febrifugum laudatur, medicorum attentione digna.

RADIX ALCEAE. Sellrißwurzel, Siamarswurzel u. s. w. *Racine de Mauve alcée.* — (v. Hb. p. 92.). Radix perennis albida, cylindrico-fusiformis, ramosa, superne digiti passim crassitudine; inodora mucilaginosa. — Hodie exolevit.

RADIX ALCHEMILLAE seu ALCHIMILLAE cet. Sinauwurzel, Löwenfußwurzel u. s. w. *Racine de Pied de Lion* (v. Hb. p. 92.). Radix perennis horizontalis, ramoso-fibrosa, superne digiti et ultra ambitu et residuis petiolorum fibrosis obsessa, obscure fusca, intus, dum recens, pallide flava, aëris aditu color celeriter augetur et postremo in fuscum abit; odore debili haud grato et sapore adstringente. Reactio infusi, *Part. const.* et *Vis:* uti Herbae, magis autem adstringens. — *Usus:* Idem.

RADIX ALETRIS FARINOSAE L. (Aletr. albae Mx.) Weiße Sternaraswurzel *Racine d'Aletris farineux.* — (Cl. cet. v. Aloes p. 3.), plantae perennis bulbosae, Americae borealis, Radix amarissima. — In patria ut tonicum, stomachicum, cholicum praescribitur.

RADIX ALKANNAE seu ALCANNAE SPURIAE, **Radix Anchusae rubrae.** Falsche Alkanne, rothe Ochsenzungenwurzel. *Racine de faux Alcanne, d'Orcanette tinctoriale.* — *Anchusae tinctoriae* L. (*Alcannae tinctoriae* TAUSCH — Cl. cet. v. Flor. Boraginis p. 62.), plantae perennis hirsutae, caule ramoso, foliis oblongis, semi-amplexicaulibus, floribus coeruleis, corolla infundibiliformi, fauce pervia, fornicibus parvis, infra faucem staminibus interpositis, Radix. — Prostat in commercio siccata, cylindrico-fusiformis, subramosa, plerumque multiceps, calami scriptorii et digiti crassitudine, rugosissima, in collo residuis petiolorum et pilis albis hirtis obsessa, cortice rugosissimo, saturate fusco-rubro, subviolaceo, molli, fragili, ex lamellis squamosis, facile separabilibus, constante et duramine albido lignoso; inodora, sapore subadstringente mucilaginoso. — *Part. const. praev.:* Principium resinosum rubro colorans sui generis (Acidum anchusicum). — *Vis:* (?). — *Usus:* Non nisi ad tingendum inservit, ut Unguentum potabile rubrum, Unguentum ad Labia rubrum cet. — Sit coloris intense rubro-violacei; radix pallida, sordide fusca, rejicienda. — Substitutam esse radicem Buglossi (v. infra) ope ligni Fernambuci coloratam facile adspectu et aquae auxilio detegitur, quae colorem extrahit, dum ex radice genuina nil excipit.

RADIX ALKANNAE seu ALCANNAE VERAE, Al-Henna, Henna, El-Hanna. Aechte orientalische Alkanne *Racine d'Henné.* — *Lawsoniae albae* LAM. (*Laws. inermis* L. et *L. spinosae* L.), e cl. Octandria, ord. Monogynia, fam. Lythrariearum, fruticis Aegypti, Arabiae et Indiae orientalis, Radix adhuc in Europa non satis cognita. — In Oriente ut adstringens, praecipue autem ad tingendum adhibetur.

RADIX ALLII. Knoblauch. *Racine d'Ail.*

Synon.: Radix Allii sativi et scorodoprasi.

Allii sativi L. (Fl. Bad. II. 15.), e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Liliacearum, plantae perennis, ubique fere terrarum cultae, caule tereti foliato, apice ante anthesin annulatim torto, foliis planis gramineis, spatha acuminata elongata, umbellam bulbiferam multo superante, staminibus alternatim trifidis, Bulbus subglobosus, mediocris, sub membrana alba papyracea sicca multiplici plures bulbulos angulosos acutos incurvos includens; odore proprio penetrante graveolente aromatico, Asae foetidae (p. 10.) simili, sapore proprio subdulci et acri. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Saccharum. — *Vis:* irritans, incidens, vermifuga, diuretica.

Usus: diaeteticus; praescribitur per se quoque, vel in infuso, pro vermifugo et externe ut rubefaciens. — *Praep.:* Succus, Syrupus, Acetum, Oxymel. — Additur Unguento contra Vermes, Aceto prophylactico et aliis compositionibus. — Nonnisi recens adhiberi potest.

RADIX ALLII SPHAEROCEPHALI L. Rundköpfiger Lauch. *Ail a tête ronde.* — (Fl. Bad. II. 20.), plantae indigenae in agris apricis, vineis, passim, caule usque ad medium foliato, foliis semi-teretibus, umbella globosa densa, purpurea, capsulifera, staminibus alternatim 3-fidis, Bulbus plerumque geminus, odore ac sapore alliaceo, sed praecedente debiliori. — Hodie exolevit.

RADIX ALLII URSINI. Bärenlauchwurzel *Racine d'Ail d'Ours.* — (v. Herb. p 92.). Bulbus perennis parvus, oblongus, albus, odore forti alliaceo. — *Vires* habet Herbae, et etiam praestantior est; — sed hodie pariter vix adhibetur.

RADIX ALTHAEAE. Eibischwurzel. *Racine de Guimauve.*

Synon.: Radix Bismalvae, R. Hibisci, Ibisci, Malvavisci. Ibischwurzel, Althäawurzel, Heilwurzel.

Althaeae officinalis L. (Fl. Bad. III. 130.), e cl. Monadelphia, ord. Polyandria, fam. Malvacearum, plantae perennis indigenae et crebro cultae (conf. Flor. p. 61. et Herb. p. 93.), Radix perennis, e planta annosiore autumno colligenda, crassa, cylindrico-ramosa, epidermide tenui grisea tecta, intus alba, carnosa; siccata et decorticata in commercio prostat in sectis cylindricis albis, calami scriptorii ad digiti et ultra crassitudine, parum tenax, fragilis, fractura granulosa et brevi fissili; inodora et sapore debili fatuo, subdulci, mucilaginoso. — *Part. const. praev.:* Mucilago, Amylum, Asparaginum (Althaeinum) et Saccharum. — *Vis:* emolliens, involvens.

Sit radix alba, levis, carnosa, neque autem lignosa, tenax, macu-

losa vel mucida, quae rejiciatur. — Substitui ei fertur Radix Althaeae roseae, quae structuram offert e fibris crassioribus filiformibus, unde ipsa mundata radix magis rugosa apparet et colorem habet sub-flavescentem; ceterum tenacior et plerumque lignosa est.

Usus: In pulvere raro, plerumque in decocto seu infuso. — *Praep.:* Syrupus, Pasta, Unguentum; Speciebus additur emollientibus, pectoralibus et aliis compositionibus.

RADIX ANCHUSAE LUTEAE. Natterköpfige Lotwurzel, gelbe Ochsenzungen-Wurzel. *Racine d'Orcanette echioide.* — *Onosmatis echioidis* L. (Fl. Bad. IV. 146. — Cl cet. v. Flor. Boraginis p. 62.), plantae perennis Europae meridionalis passimque Germaniae, locis asperis, saxosis crescentis, hirsutissimae, caule erecto, ramoso, foliis sessilibus lanceolato-lingulatis, floribus ochroleucis, breviter pedunculatis, in racemos secundos digestis, corolla tubuloso-campanulata, fauce brevissima nuda, Radix, radici Alkannae spuriae (v. supr.) similis, cui subinde substituitur. — Pari modo ad tingendum adhibetur.

RADIX ANGELICAE. Engelwurzel. *Racine d'Angelique.*

Synon.: Radix Angelicae sativae seu hortensis, Rad. Archangelicae. Angelikawurzel, Garten-Angelika, Erzengel-Wurzel, Heilig-Geist-Wurzel, Brustwurzel. *Racine de saint Esprit.*

Archangelicae officinalis Hoffm. (*Angelicae Archangelicae* L. — Fl. Bad. IV. 207. — Cl. cet. v. Ammoniacum p. 5.), plantae speciosae biennis (perennis ?) Europae mediae et borealis, passimque Germaniae, in montibus et locis demissioribus humidis, ad fluviorum ripas cet. crescentis, caule erecto ramoso, 4—5 pedali, striato, toto glabro, cavo, (descript. Foliorum v. p. 93.) umbellis terminalibus, speciosis, densis, subglobosis, floribus pallide viridescente-flavescentibus aequalibus, petalis ovatis acuminatis, apice incurvis, (de fructibus conferatur Semen) Radix bienni aetate verno tempore colligenda, celeriter siccanda et in vasis bene clausis loco sicco asservanda. Siccata prostat collo cylindrico, 1—1½ pollicem crasso et longo, rugoso et annulatim sulcato, in ramos et fibras numerosas longas, superne calami scriptorii et ultra crassitudine, rugosas, saepius implicatas desinens; colore obscure griseo-fusco, intus sordide albido, punctis resinosis flavo-rubellis conspicuis; consistentia molli carnosa; odore forti proprio, grate aromatico et sapore primo passim dulciusculo, post peracri-aromatico, amaro. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Resina mollis, aromatico-acris. — *Vis:* excitans, tonica, stomachica, diaphoretica, anticholerica.

Sit recens, maxime aromatica, acris; radix mucida, ab insectis corrosa, rejiciatur. Confunditur passim cum radice Angelicae silvestris (v. subsequens) et radice Levistici (v. infra.).

Usus: In pulvere, infuso, forma pilularum. — *Praep.:* Extractum, Tinctura, Spiritus Angelicae simplex et compositus seu theriacalis, Aqua, Oleum aethereum, Conserva, Sal. Additur aliis quoque com-

positionibus, ut Tincturae Pimpinellae compos., Essentiae Alexipharmacae Stahlii, Aceto antiseptico, cet.

† RADIX ANGELICAE ATROPURPUREAE, Dunkelrothe Engelwurzel, *Racine d'Angelique atropourprée*, — plantae magnae, crassae, perennis, Americae borealis. — In patria pro medicamento usurpatur. *Vires* venenatae ei adscribuntur.

RADIX (Rais) ANGELICAE BRASILIENSIS, Rad. Angelicae amargozae. Brasilianische Engelwurzel *Racine d'Angelique de Brésil.* — Hoc nomine Radix novissimis temporibus prostat plantae adhuc ignotae. — Frusta ramorum exhibet longa, cylindrico-fusiformia et nodosa, digitum et ultra crassa, lignosa, subflavescentia, cortice tenui sordide fuscescente-cinereo, tecta; odore anisino et sapore dulciusculo-amaro, subirritante. — In patria pro medicamento, ut stomachicum, febrifugum cet. adhiberi dicunt.

RADIX ANGELICAE LUCIDAE, Glänzende Engelwurzel, *Racine d'Angelique luisante*, — (Cl. cet. uti rad. Angelicae v. supra), plantae perennis Americae borealis, Radix crassa, ramoso-fibrosa, odore Angelicae sativae simili et sapore radici Apii (v. inf.) simili, simulque peracri, sialagogo. — In patria ut medicamentum adhibetur.

RADIX ANGELICAE SILVESTRIS. Wilde oder Wald-Engel-Wurzel, Waldangelika. *Racine d'Angelique sauvage.* — *Angelicae silvestris* L. (Fl. Bad. I. 665. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis indigenae, locis humidis, pratis, silvarum marginibus, ad vias cet. passim frequentis, Archangelicae officinali simillimae, sed caule in apice albo pubescente, floribus albis, virescente-albis et rubellis, fructibus ovalibus compressis, bialatis, solidis, valleculis univittatis, Radix, e planta annosa efficace autumno vel vere colligenda; radici Angelicae sativae similis, plerumque autem tenuior, minus ramosa, magis autem fibrosa, colore pallidiore, griseo, intus albida, porosa, pariter puncta resinosa flava ostentans; odore simili aromatico, plerumque autem debiliore et sapore aromatico-peracri, minus-amaro. — *Part. const. praev.* et *Vis:* eaedem. — *Usus:* Idem, sed immerito hodie raro a medicis praescribitur, quanquam radici Angelicae sativae vix postponenda. In arte veterinaria crebrius adhibetur. Radix lignosa, parum aromatica, aestate collecta, rejicienda.

RADIX ANSERINAE, seu Potentillae. Gänserich-Sinnekraut-Wurzel *Racine d'Anserine vulgaire.* — *Potentillae anserinae* L. (v. Herb. p. 145.) Radix perennis, tenuis, fusiformi-fibrosa, superne calami straminei usque ad scriptorii circiter crassitudine, nigro-fusca, rugoso-tuberculosa, intus alba, carnosa; inodora, sapore sub-dulci-adstringente. — Hodie obsoleta.

RADIX ANTHERICI BICOLORIS Desf. Zweifarbige Zaunblumen-Wurzel *Racine d'Antheric bicolore* — (Cl. cet. v. Hb. Phalangii p. 142.), plantae perennis Europae meridionalis, Radix fasciculata. — In Gallia meridionali pro emetico, nomine Ipecacuanhae indigenae, usurpatur.

RADIX ANTHORAE v. Rad. Aconiti lutei (p. 210.).

RADIX ANTICHOLERICAE. Schnurstrauch-Wurzel *Racine d'Anticholerique.* — *Sophorae heptaphyllae* L. Cl. cet. v. Folia Sennae p. 79.), fruticis Indiae orientalis Radix. — In frusta teretia vel plana secta prostat, colore flavescente-fusco, sapore peramaro. — Contra Choleram morbum auxilium ferre creditur. — Apud nos non adhibetur.

RADIX APII, Apii dulcis seu hortensis. Selleriewurzel *Racine de Célerie, d'Ache cultivé.* — *Apii graveolentis* L. (v. Hb. p. 95.), Radix sativa biennis, rapiformis, fibrosa, alba, succulento-carnosa; odore proprio non ingrato et sapore grate dulciusculo, subacri. — *Part. const. praev.* et *Vis:* uti Herbae, plus autem Sacchari continet. — *Usus:* diaeteticus. — Olim Radix Apii, Paludapii, Hydroselini, wilde oder Wasser Eppigwurzel *Racine d'Ache de Marais*, de planta silvestri sumebatur, quae tenuior, fusiformis, ramoso-fibrosa; odore ingrato et sapore acri-amaro, *Vi* toxica praedita. — Hodie exolevit.

RADIX APOCYNI ANDROSAEMIFOLII L. Fliegenfang oder Hundskohl-Wurzel *Racine d'Apocyne à feuille d'Androseme.* — (Cl. cet. v. Hb. Apocyni p. 95.), plantae perennis Americae borealis, Radix amara. In patria ut tonicum, emeticum, antisyphiliticum adhibetur.

RADIX AQUILEGIAE. Akeley- oder Aglei-wurzel *Racine d'Ancolie.* — *Aquilegiae vulgaris* L. (v. Flores p. 71.) Radix cylindrico-fusiformis, digiti circiter crassitudine, plus minus ramoso-fibrosa, externe atro- vel flavo-fusca, intus alba, carnosa; odore subnauseoso, sapore subdulci, amariusculo, post sub-acri. — *Part. const. praev.* et *Vis:* uti Herbae (p. 95.). — Olim ut diureticum, aperitivum, alexipharmacum, adhibebatur. — Hodie exolevit.

RADIX ARALIAE NUDICAULIS L. Nackte Aralienwurzel, graue, falsche Sassaparille *Racine d'Aralie à tige nue.* — (Cl. cet. v. Baccae Araliae p. 14.), plantae perennis subacaulis Americae borealis, Radix repens, radici Sassaparillae (v. infra) similis, sed leviter tantum sulcata et duramine tenaci lignoso carente; sapore primo dulciusculo, mucilaginoso, post amaro. — Passim Sassaparillae substituitur, quacum, quoad vires convenire dicitur et pari modo adhibetur.

RADIX ARALIAE SPINOSAE L. Dornige Aralien- oder Angelika-Wurzel. *Racine d'Aralie epineuse, d'Angelique epineuse.* — (v. Baccae p. 14.). — In patria contra rheumatismos, ut antisyphiliticum, cet. adhibetur.

RADIX ARI seu ARONIS, Radix Barbae Aronis, R. Alami, Dracontiae, Serpentariae minoris, Rad. Laphae. Aronwurzel, gemeiner oder gefleckter Aron, Pfaffen-Pint, deutscher Ingber, Zehrwurzel, Magenwurzel, Eselsohren-Wurzel. *Racine de Pied de Veau, de Gouet tacheté.* — *Ari maculati* L. (Fl. Bad. III. 585.), e cl. Monoecia. ord. Polyandria, fam. Aroidearum, plantae perennis indigenae acaulis, nemorosae, locis humidis crescentis, foliis longe petiolatis magnis, hastato-sagittatis, glabris, nitentibus, plerumque nigro maculatis, scapo palmari, pedali, glabro, apice spatham erectam albidam, intus purpuream, cucullato-acuminatam, in uno

latere hiantem et spadicem clavatum, in apice nudum, purpureum, medio et in basi floriferum et glanduliferum includentem, exhibente, Caudex subterraneus, primo vere vel sero autumno colligendus, tuberosus, ovatus vel subglobosus, subtus fibris (radicibus) praeditus, externe obscure vel flavescente-fuscus, intus albus, dum recens succulente-carnosus, lactescens, sapore acerrimo. — Siccati prostant caudices, decorticati, tubera alba oblonga vel subglobosa, nucis avellanae ad nucis juglandis magnitudine exhibentes, densa, fragilia, farinosa; inodora, sapore primo farinoso, dulciusculo-subamaro, postea plus minus acri-mordaci, semper autem multo mitiora sunt, quam caudex recens; tincturae iodi ope colore atro coeruleo imbuuntur. — *Part. const. praev.*: Amylum et Principium acre, facile destructu, nondum per se recognitum. — *Vis*: nutriens, pectoralis, resolvens, incidens. — *Usus*: In pulvere. — *Praep.*: Essentia, Extractum, Faecula, Conserva. — Additur aliis quoque compositionibus. — Hodie praecipue in arte veterinaria praescribitur. — Radix maculata, mucida vel penitus insipida, rejiciatur.

RADIX ARI DRACUNCULI L. seu Radix Serpentariae officinalis, Drachenwurzel, Schlangenwurzel, weiße Wurzel, *Racine de Gouet serpentaire* —, plantae Europae meridionalis; etiam nomine Ari gallici seu Ari majoris in discos secta prostat (videatur sequens).

RADIX ARI ITALICI LAM., Italienischer Aron u. s. w. *Racine de Gouet italien*, — (Fl. Bad. III. 583.), plantae Europae meridionalis passimque Germaniae, Ari maculati simillimae, sed majoris, foliis hastatis auriculatis et spadice cylindrico-cuneiformi, luteo. — In taleolas orbiculares scissae prostant nomine Radicis Ari gallici. — Proprietates praecedentis habent et pari modo adhibentur.

RADIX ARI ESCULENTI L., Caladii esculenti VENT.), Eßbarer Aron. *Racine de Gouet esculente*, — plantae Indiae occidentalis et Americae meridionalis,

RADIX ARI MACRORRHIZI, Großwurzeliger Aron, *Racine de Gouet macrorrhize*, plantae ceylonensis,

RADIX ARI TRIPHYLLI, Dreiblättriger Aron, *Racine de Gouet à trois feuilles*, — et aliae Ari specierum Radices, similibus gaudentes proprietatibus, partim pro medicamentis, partim pro nutrimentis usurpentur.

RADIX ARISARI. Kohlaron, Mönchskappen-Aron, gemeines Arisarum. *Racine de Gouet à capuchon*. — *Arisari vulgaris* KUNTH. (*Ari Arisari* L. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis acaulis Europae australis, Ari habitu, foliis cordato-hastatis, spatha apice cucullata fusca, spadice declinato, Radix subglobosa, acris; praecedentium habet proprietates eodemque modo adhibetur.

RADIX ARISTOLOCHIAE ANGUICIDAE L. Schlangentödtende Osterluzey. *Racine d'Aristoloche anguicide*. (Cl. cet. sequentis), fruticis Americae australis, Novae Hispaniae, Radix; odore nauseoso et *Vi* emetica. — Contra morsum serpentum venenatorum laudatur. — Succus expressus his animalibus in minima dosi ingestus, ea obstupefacere dicitur.

RADIX ARISTOLOCHIAE LONGAE VERAE. Lange ächte Osterluzey-Wurzel. *Racine d'Aristoloche longe*. — *Aristolochiae longae* L. (Cl. cet. v. Herba Aristolochiae p. 95.), plantae perennis Europae meridionalis, caule prostrato, adscendente, simplici, foliis petiolatis reniformi-cordatis, floribus axillaribus sessilibus solitariis, pallide flavis et rubro-venosis, 1-labiatis, tubo cylindrico, labio lanceolato acuto, Caudex subterraneus. — Siccatus prostat in frustis cylindricis, utrinque obtusis, tuberosis, digitum ad pollicem crassis et ultra, rugosis, duris, ponderosis, externe griseis, intus albidis, vel subflavescentibus, striis rubicundis stellatim perspersis, subporosis; odore debili subnauseoso, sapore primo dulciusculo, post ingrato amaro, subacri; iodum radicem colore atro-coeruleo imbuit. — *Part. const. praev.*: Principium extractivum amarum haud satis cognitum, et Amylum. — *Vis*: incitans, tonica, resolvens. — *Usus*: In pulvere, infuso et decocto. — *Praep.*: Extractum, Essentia, Faecula. — Aliis quoque addebatur compositionibus. Hodie rarissime, praeterquam in arte veterinaria, pro medicamento adhibetur. — Cave confundas cum sequente specie.

RADIX ARISTOLOCHIAE LONGAE VULGARIS, Rad. Aristolochiae creticae, Radix Aristolochiae tenuis. Gemeine lange Osterluzeywurzel, Donnerwurzel, Waldreben-Osterluzeywurzel, Heilblattwurzel. *Racine d'Aristoloche menue ou Clematide*. — *Aristolochiae Clematitis* L. (v. Herba p. 95.), Radix vel potius Caudex radiciformis, multiceps, cylindricus, longissimus, calami scriptorii ad digiti, passimque superne pollicis crassitudine, nodis sparsis obsessus, externe, si recens, sordide flavus, siccatus griseo-fuscus, intus albidus vel flavescens, lamellis pallidioribus stellatim intermixtus, densus, aridus; odore forti proprio aromatico haud grato, seminis Cinae (v. inf.) quodammodo simili et sapore ingrate aromatico, peramaro; tinctura iodi radicem imbuit colore nigro-coeruleo; infusum aquosum tincturae gallarum ope leviter turbatur. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum, Principium proprium amarum et Amylum. — *Vis*: incitans, tonica, resolvens, emmenagoga (?). — *Usus*: Ut praecedentis. — *Praep.*: Extractum, Aqua, Essentia. — Radix sane efficax hodie raro adhibetur, quanquam medicorum attentione omnino digna.

RADIX ARISTOLOCHIAE MAURORUM L. Maurische Osterluzeywurzel, *Racine d'Aristoloche de Maures*, — plantae perennis Syriae, caule flexuoso suberecto, foliis hastato-lanceolatis, perigoniis curva-

tis unilabiatis, labio ovato-acuto, Radix seu Caudex crassus, amarus. — Olim ut Rad. Aristolochiae longae adhibebatur. Hodie exolevit.

RADIX ARISTOLOCHIAE POLYRRHIZAE seu PISTOLOCHIAE. Französische oder spanische Osterluzey. *Racine d'Aristoloche polyrrhize.* — *Aristolochiae Pistolochiae* L., plantae perennis Galliae et Hispaniae, caule erecto, sub-ramoso, foliis cordatis acutis, denticulatis, asperis, subtus reticulatis, pedunculis, unifloris, perigoniis erectis viridibus, tubulosis, bilabiatis, labio altero brevissimo, reflexo, altero elongato, obtuso, recto, Radix seu Caudex parvus, fibris (radicibus) pluribus longis, tenuibus, fasciculatis praeditus, colore griseo-flavo, odore grate aromatico et sapore acri-amaro. — In Gallia nomine Radicis Aristolochiae tenuis usurpatur. — *Vires* praecedentium habet et quidem ad praestantiores pertinet.

RADIX ARISTOLOCHIAE RINGENTIS Vahl. Rachenförmige Osterluzey, *Racine d'Aristoloche labiée*, plantae bra iliensis, Radix fragrans ingrate aromatica. In patria uti Radix Serpentariae (v. infra) adhibetur. — Ejus loco etiam Radix Aristolochiae macrurae Gom., iisdem locis occurrentis, odore fortiore, usurpatur. — Et Radix Aristolochiae Siphonis L'Her., fruticis speciosi scandentis Americae borealis, qui apud nos in ambulacris cet. colitur, foliis maximis cordato-acuminatis et floribus magnis pulchris, curvatis, viridi-rubellis, capiti fistulae fumariae similibus, — in patria simili modo adhibetur.

RADIX ARISTOLOCHIAE ROTUNDAE VERAE. Aechte runde Osterluzeywurzel. *Racine d'Aristoloche ronde.* — *Aristolochiae rotundae* L., plantae perennis Europae australis, Aristolochiae longae (v. supra) simillimae, sed caule suberecto, foliis subsessilibus et floribus pedunculatis, perigonii labio erecto, obtuso vel emarginato, Radix vel potius Caudex crassus, subrotundus, tuberosus, adspectu passim tuberibus Solani tuberosi; consistentia, colore, odore et sapore radicis Aristolochiae longae verae similimus. — *Part. const. Vis* et *Usus:* Idem.

RADIX ARISTOLOCHIAE ROTUNDAE VULGARIS. Gemeine runde Osterluzeywurzel. *Racine d'Aristoloche ronde vulgaire.* — *Corydalidis bulbosae* Pers. (*Corydalid. cavae* Wahlenb. *Fumariae bulbosae α.* L. Fl. Bad. III. 145. — Cl. cet. v. Hb. Fumariae p. 119.), plantae perennis indigenae, in nemoribus, ad sepes cet. passim, totius glabrae, caule erecto simplici, basi nudo, foliis petiolatis biternatis, foliolis cuneiformi-incisis, multipartitis, lobis latiusculis, laete viridibus, floribus praecocibus terminalibus in racemum laxum bracteatum digestis, bracteis oblongis integerrimis pedunculo longioribus, corollis speciosis calcaratis, purpurascentibus vel albidis, siliquis polyspermis, Caudex subterraneus mense Junio et Julio colligendus, subglobosus, tuberosus, ½ — 3 pollices crassus, externe griseo fuscus, intus flavescens. Siccatus corrugatus durus et fragilis, intus viridescente-flavus, cavus, unde Radicis Aristolochiae cavae, Hohlwurzel, nomine notus. — Caudex subterraneus Corydalid. Fabaceae Pers. et Corydalid. Halleri W., (Fumariae bulbosae β. et γ. L.), plantarum iisdem locis occurrentium, praecedenti simillimarum sed caudice solido, caule ad basin squamifero, bracteis oblongis integris vel inciso-digitatis, Radicis Aristolochiae fabaceae seu solidae, dichte oder bohnenartige Osterluzeywurzel, nomine prostat; praecedenti est simillimus, intus autem solidus (non cavus ; et ambo, si recentes, odore sunt praediti nauseoso mucido, narcotico; siccati inodori, sapore peramaro; iodum radicem colore atro-coeruleo imbuit, infusum aquosum tinctura gallarum valde turbatur. — *Part. const. praev.:* Corydalinum et Amylum.— *Vis:* tonica, emmenagoga, vulneraria(?). — *Usus:* Ut praecedentium. Hodie solummodo a medicis veterinariis praescribitur. — Radix, sane efficax, digna quae a medicis magis aestimetur.

RADIX vel potius STIPITES ARISTOLOCHIAE TRILOBATAE. Dreilappige Osterluzey. *Racine d'Aristoloche trilobée*, fruticis Indiae occidentalis, caules angulosi, calamum stramineum crassi, aromatici, camphorini. In patria uti Radix Serpentariae (v. infra) adhibentur.

RADIX ARMORACIAE, Raphani rusticani seu marini. Meerrettig. *Raifort sauvage.* — *Cochleariae Armoraciae* L. (Fl. Bad. III. 41. — Cl. cet. v. Herba Cochleariae p. 110.), plantae perennis indigenae, in pratis, ad fluviorum ripas, oras maritimas passim, quae crebre colitur, foliis radicalibus maximis oblongis, caulinis inciso-serratis, floribus parvis albis in racemos laxos digestis, siliquis ellipticoblongis, Radix vel potius Caudex subterraneus, perennis, crassus, plerumque multiceps, cylindricus, subramosus, externe flavescens, intus albus, succulento-carnosus; recens si conteritur, odore penetrante acri-volatili et sapore simili pungente, subdulci.— *Part. const. praev.:* Oleum aethereum proprium, Saccharum et Amylum. — *Vis:* maxime irritans, resolvens, antiscorbutica, stomachica, rubefaciens. — *Usus:* diaeteticus. Radix non nisi recens adhibenda et interne et externe, contrita uti et Succus expressus, vel in infuso frigido cum vino cet. confecto. — *Praep.:* Aqua, Syrupus, Conserva, et aliis additur compositionibus.

RADIX ARNICAE. Fallkrautwurzel. *Racine d'Arnica.*

Synon.: Radix Ptarmicae montanae, Calthae vel Calendulae alpinae, Nardae celticae alterius, Doronici plantaginis folio, Doronici foliis caulinis acutis. Wohlverley-Wurzel, Stichwurzel, Mutterwurzel, Luciankraut-, Engelkraut-Wurzel. *Racine de*

Tabac ou *Betoine des Savojards, de montagne* ou *de Vosges, de Doronic d'Allemagne.*

Arnicae montanae L. (v. Flores p. 61 et Herba p. 96.), Radix, primo vere colligenda celeriterque siccanda et circumspecte asservanda. — Rhizoma exhibet cylindricum, praemorsum, 2—3 pollicare, calamo scriptorio vix crassius, uno latere fibris, ambitu calami straminei et tenuioribus, plerumque distantibus obsessa; dum recens externe flavo-fusca, siccata obscure fusca, fibrarum color plerumque pallidior est; rugosa, annulata, squamis fuscis passim obsessa, intus flavescens; incisione transversali 4 strata distincta ostentans, nempe corticem fuscum, partem lignosam albidam, annulum flavum et duramen album. Consistentia est carnosa fragili, foliorum et caulium rudera mollia, minime dura, lignosa; odor proprius haud grate aromaticus, pulvis naribus admotus facile sternutationem excitat, sapor aromaticus, mordax, subamarus, diu durans, radici Enulae (v. infra) subsimilis. — *Reactio, Part. const.* et *Vis:* ut Florum et Herbae.

Sit radix recens, siccata carnosa, et odore et sapore supra descripto praedita; radix mucida, vetusta vel ab insectis corrosa, rejiciatur. — Cave confundas cum Radice Solidaginis virgaureae (v. Hb. Consolidae sarracenicae p. 111.) ei simillimae, quae autem distinguitur, rhizomate plerumque crassiore, fibris numerosioribus, plerumque tenuioribus, praedita, externe uti et fibrae colore pallidiore, griseo-fusco, intus albida, strata quatuor distingui non possunt; siccata consistentia duriori, fere lignosa, superne segmentis caulium duris fere lignosis, passim fistulosis et squamis fusco-violaceis obsessa; odore minus aromatico, siccata fere inodora; ceterum pulvis etiam sternutationem excitat; sapore pariter acri sed ingratiore, haud aromatico, salivam ciente. — Porro confunditur cum Radice Hieracii umbellati L., quae rhizoma habet parvum subrotundum vel oblongum, nucis avellanae magnitudine, obscure griseo-nigrum undique fibris tenuibus pallidioribus, obsessum et superne segmentis caulium pluribus, densis, duris, lignosis, praeditum; inodora, sapore peramaro, sine acore. — Confundi quoque fertur cum Radice Inulae dysentericae (v. Hb. Conyzae mediae p. 112.), quae distinguitur colore albido et eo, quod siccata odore et sapore caret — et cum Radice Betonicae (p. 231.) et Radice Hirundinariae (v. infra).

Usus: Uti Florum (p. 61.). — *Praep.:* Extractum, Tinctura. — Additur aliis quoque compositionibus.

RADIX ARTEMISIAE seu PARTHENII. Beifuß- oder Johannisgürtel-Wurzel. *Racine d'Armoise* (v. Herb. p. 95.), Radix sero autumno e plantis annosioribus colligenda, celeriter siccanda et in vasis bene clausis, optime in pulverem redacta, loco sicco asservanda. — Rhizoma subcylindricum calami scriptorii ad digiti crassitudine, 2—3 pollices et ultra longum, utrinque fibris ramosis dense obsessum; colore, si recens, laete cinereo-fusco, siccatum obscure griseo-fusco, rugosum, striatum, intus album durum, carnosum, duramine lignoso; odore proprio haud grate aromatico-acri, sapore dulciusculo, nauseoso-acri, irritante. — *Part. const.* et *Vis:* uti herbae (?); Radix autem minus aromatica, magis acris. — Novissimis temporibus prae-

cipue contra epilépsiam datur. — *Usus:* In pulvere. — *Praep.:* Extractum; aliis quoque addebatur compositionibus. — Radix nigrescens, lignosa, fere inodora, rejiciatur.

RADIX ARTHANITAE seu CYCLAMINIS, Panis porcini. Erdscheibe, Schweinsbrod, Saubrod. *Racine de Cyclamen, Pain de Pourceau.* — *Cyclaminis europaeae* L. (Cl. cet. v. Flor. Primul. veris p. 69.), plantae perennis acaulis Europae mediae et australis, passimque Germaniae, in nemoribus, locis umbrosis, foliis radicalibus longe petiolatis cordato-orbicularibus, crenatis vel denticulatis, superne saturate viridibus et albo-maculatis, inferne purpureis, pedunculis unifloris, corolla suaveolente, amoene rosea, basi campanulata, 5-fida, laciniis reflexis, Caudex subterraneus compresso-globosus vel placentiformis, 1 — 1 1/2 pollicem latus, externe fuscus vel nigrescens, tuberculis sparsis et undique fibris longis tenuibus praeditus, intus albus, succulento-carnosus; inodorus, sapore acri-urente, inter siccandum vel si radix recens assatur omnis acrimonia perditur et sapore tum gaudet grate dulciusculo. — *Part. const. praev.:* Principium acre proprium facile destructu (Arthanitium seu Cyclamium) et Amylum. — *Vis:* radicis recentis, irritans, purgans, drastica, resolvens, diaphoretica, diuretica, emmenagoga, vermifuga, vulneraria(?), in majori dosi facile nociva. — *Usus:* Radix non nisi recens, sed interne caute, adhibenda, vel ejus succus expressus. Radix siccata vel assata nutriendi ergo comedi potest. — Hodie vix praescribitur.

RADIX ARUNDINIS DONACIS L. (Donacis arundinaceae P. de B., Scolochloae arundinaceae M. et K. Spanischen Rohrs-Wurzel. *Racine de Roseau des Jardins, de Canne de Provence.* — (Cl. cet. v. Avenam p. 12.), arundinis maximae Europae australis et Africae borealis Radix vel potius Caudex subterraneus, radicibus fibrosis obsessus. — Pro diuretico commendatur. — Saccharum ex Arundine effluens Arabibus et Persis celebratur.

RADIX ARUNDINIS VULGARIS. Gemeinen Schilfrohrs-Wurzel. *Racine de Roseau à Balais. Arundinis Phragmitis* L. (Fl. Bad. I. 261. — Cl. cet. praeced.), arundinis maximae indigenae, in paludibus vulgaris, Caudex subterraneus longus articulatus, flavescens, fibris radicibus) undique praesertim subtus dense praeditus, colore flavescente et sapore ingrato-dulci. — Olim pro medicamento ut demulcens, aperiens, diureticum cet. receptus, hodie exolevit. Basis esse dicitur Roob de Lafecteur.

RADIX ASARI. Haselwurzel. *Racine de Cabaret* (v. Herb. cum Radice p. 95.). Caudex repens subterraneus (descriptio v. loco citato). — *Usus:* In pulvere, infuso parva dosi. — *Praep.:* Extractum, Tinctura.— Additur aliis quoque compositionibus. Radix efficacissima immerito a medicis hodiernis magnopere negligitur.

RADIX ASARI CANADENSIS L. Canadische Haselwurzel. *Racine d'Asaret du Canada* et Radix Asari virginici L., Virginische Haselwurzel, *Racine d'Asaret de Virginie*, plantarum perennium Americae borealis, Caudex subterraneus, praecedenti similis, — in patria pro medicamento, emetico, diaphoretico, emmenagogo, adhibetur.

RADIX ASCLEPIADIS ASTHMATICAE L. (Cynanchi Ipecacuanhae W.) Ceylonische Schwalbenwurzel *Racine d'Asclepiade asthmatique.* (Cl. cet. v. Herb. Apocyni p. 95.), plantae perennis ceylonensis, Radix albida fibrosa, radici Hirundinariae (v. infra) similis.— In patria Hypecacuanhae loco adhibetur. Succus radicis recentis contra asthma laudatur.

RADIX ASCLEPIADIS CURASSAVICAE L. Kurassavische Schwalbenwurzel, *Racine d'Asclepiade de Curassao*, — fruticis Americae meridionalis, Radix fibrosa, pariter ut Ipecacuanha passim adhibetur.

RADIX ASCLEPIADIS INCARNATAE L., Fleischfarbige Schwalbenwurzel, *Racine d'Asclepiade incarnate*, plantae perennis Americae borealis, Radix. — In patria pro medicamento usurpatur.

RADIX ASCLEPIADIS SYRIACAE L. Syrische Schwalbenwurzel, Seidenpflanze. *Racine d'Asclepiade à la Houate*, — plantae perennis speciosae lactescentis Americae borealis, quae apud nos colitur, foliis magnis ellipticis, subtus pubescentibus, floribus axillaribus umbellatis, pendulis, incarnatis, odoratis, Radix et praecipue Cortex radicis, contra asthma laudatur. Praescribitur in pulvere vel infuso.

RADIX ASCLEPIADIS TUBEROSAE L. (Asclepiadis decumbentis W.) Knollige Schwalbenwurzel. *Racine d'Asclepiade tubereuse*, — plantae perennis Americae borealis, Radix tuberosa, fusiformis, striata, externe fusca, intus albida. — Ut diaphoreticum, expectorans, in morbis pulmonum praecipue, et externe ulceribus fungosis, venereis laudatur.

RADIX ASPARAGI, Asparagi hortensis seu sativi, Radix Alticis. Spargelwurzel. *Racine d'Asperge. Asparagi officinalis* L. (Fl. Bad. II. 49.), e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Smilacearum, plantae perennis herbaceae, inermis, Europae mediae, passimque Germaniae, locis arenosis humidis, ad fluviorum ripas, littora marina, crescentis, quae crebre colitur, caule erecto ramosissimo, foliis (ramulis foliaceis) parvis fasciculatis setaceis, basi stipulatis (foliatis), floribus sessilibus parvis, campanulatis, virescente albis, dioicis, baccis globosis laete rubris pisi magnitudine. Caudex subterraneus crassus, horizontalis, superne caulium absegminibus brevissimis et inferne radicibus fibrosis longis, calami scriptorii crassitudine, praeditus; dum recens, albidus succulentus uti et radices; siccatae radices cinereae, corrugatae, striatae, molles, subspongiosae uti et caudex, flexiles, cortice membranaceo, facili solutu, tectae, duramine tenui filiformi, sublignoso praeditae; primo vere colligenda celeriterque siccanda; inodora, sapore subdulciusculo. — *Part. const. praev.:* Asparagium et Saccharum. — *Vis:* purificans, diuretica, aperiens. — *Usus:* In decocto. — Radicibus 5 aperientibus majoribus adnumeratur. — Radix vetusta nigrescens, vel mucida, intus cava, rejiciatur.

RADIX ASPHODELI ALBI seu VERI, Radix Hastulae Regis. Weiß-Affodill-Wurzel, Goldwurzel. *Racine d'Asphodèle rameux.* — *Asphodeli ramosi* L. (Cl. cet. v. Aloë p. 3.), plantae Europae meridionalis passimque Germaniae, in collibus apricis gramineis crescentis, totius glabrae, foliis radicalibus latis lineari-lanceolatis, scapo ramoso, raro simplici, floribus speciosis albis, rubro-striatis, sexfidis, patentissimis

in racemos terminales digestis, Radix tuberosa, ex tuberibus crassis clavatis in fibras tenues desinentibus, extus fuscis, intus albis vel flavescentibus carnosis, constantes; sapore ingrate acri-amaro; inter siccandum valde corrugatur et mitior fit. — *Part. const. praev.:* Principium acre volatile, Mucilago et Amylum. — *Vis:* diuretica, emmenagoga (?), nutriens. — Olim contra multos morbos laudabatur, hodie exolevit. Radix assata vel cocta nutriendi ergo comeditur. — Crebro confunditur cum Radice Martagon (v. infra).

RADIX ASPHODELI LUTEI L. Gelbe Asphodill oder Affodill wurzel, Goldwurzel, *Racine de Verge de Jaque*, — plantae perennis iisdem passim locis quibus praecedens uti et Tauriae occurrentis, ei similis, sed caule simplici undique foliis angustioribus lineari-subulatis, glaucescentibus, spiraliter obsessus, floribus majoribus pulchre aureis, Radix, tubera tenuia, fusiformia, lutescentia, carnosa exhibens, sapore dulciusculo; inter siccandum corrugatur coloremque externe fusco-flavum assumit et insipida fit. — Pariter hodie exolevit.

RADIX ASTERIS ATTICI. Amell-Sternblumen-Wurzel. *Racine d'Aster Amellus.* — *Asteris Amelli* L. (v. Herb. p. 96.) Radix repens tenuis ramoso-fibrosa, odore grate aromatico et sapore aromatico-pungente, amaro. — Hodie exolevit.

RADIX ASTRAGALI EXSCAPI L. Schaftlose Tragant-Wurzel, Zwerg-Bocksdorn-Wurzel. *Racine d'Astragale à gousses velues.* **(Cl. cet. v. Gummi Tragacanthae p. 87.), plantae perennis Europae australis, Hungariae passimque Germaniae, in collibus aridis apricis crescentis, subacaulis, foliis pinnatis, pinnis ovalibus uti et aliis plantae partibus longe villosis, floribus breviter pedunculatis, speciosis, flavis, in racemos capitatos congestis, Radix plerumque multiceps, cylindrico-fusiformis, longa, 1—2 pedalis et ultra, calami scriptorii ad digiti crassitudine, simplex vel subramosa, saepius in ramos binos desinens, siccata externe fusca, subrugosa, intus alba porosa, fibrosa, duramine flavo, arida, tenacissima; inodora, sapore irritante amariusculo, subamaro, Stipitum Dulcamarae (v. infra) subsimili. —** *Part. const. praev.:* **Principium proprium extractivum adhuc non satis cognitum. —** *Vis:* **tonica, resolvens, diaphoretica, diuretica, antisyphilitica.** *Usus:* **In decocto. — Hodie perraro adhibetur. — Cave confundas cum Radice Saponariae aegyptiacae et Radice Glycyrrhizae silvestris (v. infra).**

RADIX ASTRAGALI MONSPESSULANI L., Tragantwurzel von Montpellier, Durchlauf-Bocksdorn-wurzel, *Racine d'Astragale de Montpellier*, — plantae perennis acaulis Helvetiae, Galliae meridionalis et Graeciae, foliis radicalibus pinnatis, pinnis elliptico-obtusis, pubescentibus, floribus rubris, in racemos declinatos digestis, Radix, praecedenti similis, externe fusca, intus alba, lignosa, sapore dulciusculo. — In dysuria laudatur.

RADIX ASTRANTIAE. Große Astrantien-Wurzel, schwarzer Sanikel, schwarze Meisterwurzel. *Racine d'Astrance à larges feuilles. Astrantiae majoris* L. (Fl. Bad. I. 606. — Cl. cet. v. Hb. Saniculae p. 151.), plantae montanae, subalpinae, in Germania, Helvetia cet. crescentis, caule erecto glabro, striato, subramoso, 1—3 pedali, foliis radicalibus longe petiolatis, 5-lobatis, lobis 3-fidis, acutis, inaequaliter duplicato-serratis, ciliatis, foliorum Saniculae (p. 151.) similibus sed acutioribus, umbellis terminalibus, sub 5-radiatis, umbellulis speciosis multiradiatis, dense fasciculatis, floribus radiantibus albis polygamis, involucellis polyphyllis patentissimis, foliolis pulchre rubellis lanceolatis, umbellulis sublongioribus, Radix parva multiceps, siccata digitum circiter crassa et 2—3 pollices longa, tuberculoso-annulata, superne lignescens, residuis caulium cavis praedita, inferne praemorsa, fibris tenuibus filiformibus undique obsessa; colore fusco-nigro, intus griseo-albido; odore nauseoso subresinoso, sapore acri sed non diu durante. — Hodie exolevit. — Passim radici Hellebori nigri (v. infra) substituitur.

RADIX ATRACTYLIS GUMMIFERAE L. (Acarnae gummiferae W.) R. Chamaeleontis albi veterum. Gummitragende Eberwurzel-Wurzel. *Racine d'Atractylis gommifère.* — (Cl. cet. v. Radic. Carlinae p. 226.), plantae perennis acaulis Europae australis, praecipue ad littora marina Graeciae crescentis, habitu Carlinae acaulis, floribus magnis albo-violaceis involucratis, involucri foliolis tricuspitatis, Radix grossa, ramosa, griseo-fusca, lactescens; odore aromatico et sapore subdulci. Resinam exsudat albidam tenacem inodoram Cautchuc (p. 29.) similem. Olim pro medicamento adhibebatur. — Hodie apud nos exolevit.

RADIX AURICULAE LEPORIS, Bupleuri, Costae Bovis. Haasenohr-wurzel. *Racine d'Oreille de Lièvre* (v. Hb. p. 96.). — Olim pro medicamento uti Herba adhibebatur. Hodie pariter exolevit.

RADIX AURICULAE MURIS seu PILOSELLAE cet. Mäuseohrwurzel u. s. w. *Racine d'Oreille de Souris* **(v. Hba. p. 96.); perennis est, repens, tenuis, fusca; inodora, sapore peramaro. —** *Part. const. Vis* **et** *Usus:* **Uti Herbae. Amaritie foliis praeponderat, hinc sane efficacior et medicorum attentione haud indigna.**

RADIX AYAPANAE v. Ayapana p. 14.

RADIX AZEDARACH. Glatte Zedrachwurzel *Racine d'Azédarach.* (v. Cort. p. 44.). In America pro medicamento adhiberi fertur.

RADIX BARBAE CAPRI. Waldbocksbart-Wurzel *Racine de Barbe du Bouc.* — *Spiraeae Arunci* L. (v. p. 62 u. 97.) Radix perennis ramoso-fibrosa, collo grosso, subtuberoso, lignoso, fusco, intus carnoso, albo, ramis numerosis longis concoloribus, calami straminei et scriptorii crassitudine, duramine lignoso tenaci praeditis; odore, si recens, aromatico, sapore adstringente amaro; tinctura iodi radicem colore coeruleo imbuit; infusum aquosum liquore ferri muriatici oxydati colore obscure viridi imbuitur. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum adstringens et amarum et Amylum. — *Vis:* tonica. — Hodie exolevit.

RADIX BARBAE CAPRINAE, Ulmariae, Reginae prati. Geisbartwurzel u. s. w. *Racine de Reine des prés.* — *Spiraeae Ulmariae* L. (v. p. 62. et p. 97.). Radix perennis, rhizomate digiti crassitudine, tuberculoso-annulata, subtus fibris longis obsessa, colore nigro-fusco, intus flavo vel fusco, spongioso-

patens; odore debili aromatico, et sapore subadstringente. — *Part. const. et Vis:* [illegible]. — Hodie non amplius adhibetur.

RADIX BARDANAE. Klettenwurzel. *Racine de Bardane.*

Synon.: Radix Lappae majoris, Arctii, Personatae. Butzenklettenwurzel. *Racine de Glouteron.*

Arctii Lappae L. (Fl. Bad. III. 353.), e cl. Syngenesia, ord. Polygamia aequali, fam. Compositarum, trib. Cynarearum, plantae speciosae biennis indigenae, ad vias, sepes, in ruderatis cet. vulgaris, caule erecto ramoso, crasso, sulcato-striato, (descript. Folior. v. p. 98.), floribus (calathiis) terminalibus et axillaribus solitariis, breviter pedunculatis vel aggregatis et glomeratis, subglobosis, calycibus (pericliniis) squarrosis, squamis uncinatis nudiusculis vel arachnoideis, flosculis infundibiliformibus aequalibus, purpurascentibus, receptaculis (anthocliniis) foveolatis (Achaenia v. Semen). — Planta pro loco natali variat magnitudine villositate cet. et passim variis nominibus occurrit, ut Arctii tomentosi Schk., Arctii majoris Schk. et Arctii minoris Schk.) Radix, primo vere e planta bienni colligenda; insigni ut plurimum est specie, cylindrico-fusiformis, simplex vel plus minus ramosa, superne digitum et ultra (passim ex varietate Arctii majoris ad 2 pollices) crassa, externe obscure griseo-fusca, intus albida, carnosa; inter siccandum valde corrugatur, sordide obscure griseo-fusca, intus albido-cinerea, levis et fragilis fit; in medio frusta radicis siccata in longum fissa plerumque medullam albam spongiosam ostentant; recens odore subnarcotico papaverino, siccata inodora, sapore dulciusculo mucilaginoso, subamaro; tinctura iodi radicem solummodo fuscam colorat; infusum aquosum frigidum liquore ferri muriatici valde praecipitatur in floccis coeruleo-nigris. — *Part. const. praev.:* Inulinum, Saccharum, Principium amarum et adstringens. — *Vis:* attenuans, alterans, resolvens, diaphoretica, diuretica.

Sit Radix carnosa, fragilis, ut supra bonae notae descripta; radix mucida vel ab insectis corrosa aut lignosa, tenax, rejicitur. — Cave confundas cum Radice Belladonnae (p. 221.), quod et tincturae iodi ope detegitur, quae radicem Belladonnae colore atro-coeruleo imbuit.

Usus: In pulvere raro, plerumque in decocto aut infuso; succus expressus quoque adhibetur. — *Praep.:* Extractum, Unguentum. Additur Speciebus Lignorum et aliis compositionibus.

RADIX BATATA DI PURGA. Purgirende Bataten-Wurzel. *Racine de Batata de Purge.* — *Convolvuli operculati* Gom. — Cl. cet. v. Rad. Jalappae v. infra), plantae volubilis perennis brasiliensis, Radix magna tuberosa. — *Vires* habere fertur easdem, quas radix Jalappae et in America meridionali pari modo adhibetur. — Gomma de Batata (p. 85.) faeculam esse dicunt resinam continentem, ex radice recenti paratam.

RADIX BEEN seu BEHEN ALBI, Rhapontici Behen. Weisser Behen, Widerstoss, Gliedreichwurzel. *Racine de Behen blanc.* — *Serratulae Behen* Dec. (*Centaureae Behen* L. — Cl. cet. v. Herb. Serratulae p. 154.), plantae perennis Syriae, caule ramoso, foliis coriaceis reticulato-venosis, inferioribus lyratis, caulinis amplexicaulibus auriculatis, floribus terminalibus solitariis speciosis aureis, squamis periclinii sca-

riosis adpressis, Radix cylindrico-fusiformis, longa, fibrosa, superne digitum crassa, cinerea, intus albida; odore grate aromatico uti et sapore, simul amaro. — Olim ut nervinum, cordialem, alexipharmacum laudabatur. — Hodie apud nos exolevit.

RADIX BEHEN ALBI seu NOSTRATIS. Gemeiner weißer Behen, wilde Seifenwurzel, Jungegesellenknopfwurzel. *Racine de Behen commun.* — *Silenes inflatae* SM. (*Cucubali Behen* L. Fl. Bad. II. 240. — Cl. cet. v. Herb. Viscaginis p. 160.), plantae perennis, ad vias, in pratis siccis cet. vulgaris, caule adscendente, inferne pubescente, superne dichotomo-ramoso, glabro, foliis sub-connatis, ovato-lanceolatis, glabris, glaucis, floribus terminalibus speciosis albis, in racemos laxos digestis, calyce inflato, reticulato, glabro, rubello, petalis profunde bipartitis crenulatis, ore denticulis praeditis, Radix repens, ramoso-fibrosa, albida; inodora et fere insipida. — Hodie exolevit.

RADIX BEEN seu BEHEN RUBRI, Radix Limonii seu Limonii maritimi. Rother Behen, Meernelkenwurzel, Limonienkrautwurzel. *Racine de Been rouge.* — *Statices Limonii* L. (v. Herb. Behen p. 98.), Radix grossa fusiformis, externe fusca, intus rubella, lignosa in taleolas vel frusta cylindrica dissecta prostat; fere inodora, sapore adstringente. — *Vires* cordiales, alexipharmacae cet. ei adscribuntur. — Hodie apud nos exolevit. — In America boreali et Radix Statices Carolinianae pro medicamento recepta est.

† RADIX BELLADONNAE. Tollkrautwurzel. *Racine de Belladonne.*

Synon.: Radix Solani lethalis seu furiosi s. maniaci.

Atropae Belladonnae L. (v. Herb. p. 98.) Radix e plantis annosioribus autumno vel primo vere colligenda et, rejectis omnibus partibus vitiosis, putridis, vetustis, uti et stolonibus lateralibus reptantibus, celeriter, sed providenter siccanda et in vasis optime clausis loco sicco caute asservanda; grossa est, cylindrico-fusiformis, plus minus ramosa, submulticeps, si recens, sordide albida, subflavescens, superne sub-violacea, (color violaceus praecipue si epidermis secatur vel in rudimentis plantae futurae conspicuus) ½—2 pollices in diametro habens, leviter annulata, in ramis glabra, intus albida, succulento-carnosa, inter siccandum corrugatur, in longum inaequaliter rugosa, dura, tactu arida, ponderosa et sordide grisea fit, intus albida vel pallide cinerea, densa, hinc inde porosa, sed difficilis fractu, et in sectione transversa puncta fuscescentia resinose nitentia ostendens; inodora, sapore fatuo, nauseoso-amariusculo, passim subdulci, subirritante, facile sensum constrictionis in oesophago relinquente; tinctura iodi radicem colore atro-coeruleo imbuit, infusum aquosum tincturae gallarum ope valde in floccis albidis praecipitatur. — *Part. const. praev.:* Atropium; (Herba hoc principio praeponderatur) et Amylum. — *Vis:* maxime narcotica, facile nociva, deleteria.

Sit radix supra ut bonae notae descripta, ponderosa, densa, praecipue intus multas partes resinosas ostentans. — Radix nigrescens, mucida, ab insectis corrosa vel porosa, levis, tenax, lignosa, omnino rejicienda. (De confusione cum radice Bardanae (v. supra) et cum radice Gentianae v. infra.)

Usus: Uti Herbae, in pulvere in minima dosi cautissime. — *Praep.:* Atropium.

RADIX BERBERIDIS v. Cort. (p. 44.)

RADIX BETAE, Betae sativae. Mangoldwurzel, Runkelrübe, Dickrübe *Racine de Bette commune.* — *Betae vulgaris* L. (v. Hb. p. 99.) Radix, e varietate radicis rapiformis sumenda, magna, externe rubra vel flavescens, viride-albida cet. intus alba, succo aquoso dulci turgens. — Olim succus expressus ad sternutationem excitandam naribus ducebatur. — Radix Betae rubrae, Rother Mangold, rothe Rübe, *Racine de Beterave*, a varietate rubra desumta, carne purpurea, praesertim eligebatur. — Nutriendi ergo passim comeduntur. — Ex his radicibus Saccharum quoque paratur.

RADIX BETONICAE. Betonienwurzel. *Racine de Betoine.* — *Betonicae offici-*

nalis L. (v. Herb. p. 99) Radix, rhizomate obliquo, cylindrico-fusiformi, 1-3 pollicari et longiori, calamum scriptorium circiter crasso, fibris numerosis descendentibus filiformibus, calami straminei raro crassis, praesertim infra et ad latera obsesso; colore, si recens, cinereo-albido, siccata laete vel obscure griseo-fuscescente, intus albo, odore recentis subnauseoso, siccata inodora, sapore ingrato, acerbo-gutturali; infusum aquosum liquore ferri muriatici oxydati colore saturate viridi imbuitur.— *Part. const. praev.* et *Vis:* uti Herbae simulque emetica esse fertur. — *Usus:* In substantia, forma pulveris, pro emetico, sternutatorio cet. Olim ut pectorale in phthisi pulmonali maxime celebrabatur. Hodie, forsitan immerito, vix adhibetur. Confunditur passim cum Radice Arnicae p. 216.)

RADIX BISTORTAE, **Radix Colubrinae** seu **Serpentariae vulgaris**. Natterwurzel, Schlangenwurzel, Giftwurzel, Krebswurzel. *Racine de Bistorte.* — *Polygoni Bistortae* L. (Fl Bad. II. 165. — Cl. cet. v. Hb. Centumnodii p. 105.), plantae perennis in pratis humidis, praesertim montosis, passim vulgaris, caule simplici erecto, glabro, monostachio, foliis speciosis ovato-oblongis, integerrimis, subundulatis, radicalibus longe petiolatis, in petiolum alatum decurrentibus, caulinis sessilibus, omnibus glabris, subtus glaucis, floribus amoene incarnatis, odoris, in racemum spiciformem congestis, corollis octandris et trigynis, Radix autumno e plantis adultis colligenda, cylindrica, plus minus incurva vel aliquoties inflexa, digitum ad pollicem crassa, undique fibris filiformibus praedita, externe nigro-fusca, annulata, intus rubra, densa, carnosa, duramine punctis nigricantibus cincto; inter siccandum valde indurescit, arida fit et non admodum corrugatur; si recens, odore debili lepidino, siccata, inodora, sapore peradstringente; infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope coeruleo-nigrum coloratur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens et Amylum. — *Vis:* tonico-adstringens, sanguinem sistens, vulneraria. — *Usus:* In pulvere, infuso et decocto, et interne et externe. — *Praep.:* Extractum. — Hodie radix efficax immerito rarissime adhibetur. Ad atramentum quoque et coria paranda apta.

RADIX BONI HENRICI, Lapathi unctuosi. Stolzn Heinrichs Wurzel Hundsmelde- oder Schmergel-Wurzel. *Racine de Bon Henry.* — *Chenopodii Boni Henrici* L. (v. Herba p. 100.) Radix perennis fusiformi ramosa, subflavescens; sapore acri-amaro. Ovibus contra phthisin praescribitur. Apud nos non adhibetur.

RADIX BORRAGINIS, Buglossi latifolii seu veri, Boraich- oder Boretschwurzel. *Racine de Bourrache* (v. Flores et Herb. p. 62 et 100), — annua Radix, ramoso-fibrosa, albida.— Olim ei *Vires* antimelancholicae adscribebantur. Jamdudum autem exolevit.

RADIX BRANCAE URSINAE GERMANICAE. Deutsche Bärenklau-Wurzel oder Heilkraut-Wurzel. *Racine de berce Branc ursine, de fausse Acanthe.* — *Heraclei Sphondylii* L. (v. Herb. p. 100.) Radix, e planta annosiore, autumno colligenda, grossa, cylindrico-ramosa, externe flavescente-fusca, intus albida, recens, si vulneratur, lac flavum edens; odore haud grato aromatico, et sapore acri-aromatico, amaro. — *Part. const.* et *Vis:* uti Herbae (?).— Viribus medicatis herba radice sane praeponderatur, medicorum attentione digna, quanquam hodie vix cognita est. Lithavienses ex radice cibum nomine Barcos parant, quem ut panem comedunt.

RADIX BRANCAE URSINAE ITALICAE seu verae, Radix Acanthi. Aechte Bärenklauwurzel. *Racine de Branc ursine, d'Acanthe.* — *Acanthi mollis* L. (v. Herb. p. 100.) Radix nigrescens, intus alba, insipida, mucilaginosa. — Uti Herba adhibebatur. Hodie exolevit.

RADIX BROMI CATHARTICI VAHL., Purgir-Trespenwurzel, *Racine de Bromus cathartique,* — (Cl. cet. v. Avena p. 12.), graminis Chilensis Radix tuberosa, carnosa, fibrosa. — In patria pro purgante adhibetur. — Simili modo Bromi purgantis L., graminis canadensis Radix, in America boreali pro emetico usurpari fertur.

RADIX BRUSCI seu RUSCI, Myrthacanthae. Bruchwurzel, Mäusdorn-Wurzel. *Racine de petite Houx, de Rusc* ou *de Frelon.* — *Rusci aculeati* L. (Cl. cet. v. Folia Lauri alexandr. p. 77.), fruticis parvi aculeati sempervirentis Europae australis, Angliae, Helvetiae passimque Germaniae, foliis (seu ramulis foliaceis) sub-4-fariam positis, parvis, ovato-lanceolatis, pungentibus, glaberrimis, nitentibus, parallele-nervosis, saturate viridibus, coriaceis, supra floriferis, floribus parvis sub-nudis, albo-rubellis, Radix horizontalis, cylindrica, digitum fere crassa, flexuosa, annulata, superne impressionibus caulium emarcidorum, inferne fibris radicum calamum stramineum ad scriptorium crassis praedita; laete cinereo-flavescens, intus albida, densa, passim sublignosa; inodora, sapore peculiari irritante, primo dulciusculo, gutturali, postremo nauseoso-amariusculo. — *Vires* diureticae ei adscribuntur et Radicibus 5 aperientibus majoribus adnumerabatur. — Hodie obsoleta. — Saepius nomine Radicis Brusci, radices Antherici ramosi et Antherici Liliaginis L. (v. Herb. Phalangii p. 142 et 143), in officinis prostant, quae Rhizoma exhibent tenue, 1—2 pollicare, undique fibris pluribus tenuibus, 1/2 — 1 pedalibus, albidis, siccatae pallide cinereis, mollibus, levibus obsessum; inodorae et insipidae.

RADIX BRYONIAE, **Vitis albae** seu **silvestris**, **Uvae anginae**. Zaunrübe, Zaunrübenwurzel, Stickwurzel, Hundskürbsenwurzel, weißer Enzian passim. *Racine de Bryone, de Couleuvrée,* ou *de Vigne blanche.* — *Bryoniae dioicae* L. et *Bryoniae albae* L. (Fl. Bad. III. 712 et 713. — Cl. cet. v. Colocynthides p. 40.), plantarum perennium Europae, quarum prior apud nos ad sepes, in dumetis vulgaris, posterior autem ra-

rius, alterius alteri simillimarum, caulibus tennibus scandentibus, asperis, ramosis scirrhiferis, foliis petiolatis, cordato-palmatis, 5-lobis, utrinque calloso-asperis, floribus axillaribus, longe pedunculatis, corymbosis, parvis, albidis, viride-nervosis. prioris dioicis, posterioris hermaphroditis, fructibus (peponibus) baccatis parvis, globosis, prioris plantae coccineis, posterioris nigris, Radices praegrandes crassae, rapiformi-fusiformes, longae, passim bifidae, externe flavescente-griseae, rugosae, interrupte annulatae et verrucis oblongis sparsis obsessae, intus albae, carnoso-succulentae; celeriter transversim in taleolas scissae. siccandae, dum corrugentur et discos exhibeant leves, porosos, plures annulos concolores et lamellas peripherice positas conspicuas, colore cinereo-albos tactu asperos et aridos, fragiles, fractura laete fuscescente-opaca, triturando pulverem albidum praebentes. Odor radicis recentis nauseosus, uti et sapor, qui simul acer et amarissimus; radix siccata inodora, sapore nauseoso-amarissimo, iodum radicem colore atro-coeruleo imbuit, infusum aquosum liquore ferri muriatici oxydati in floccis albido-cinereis praecipitatur. — *Part. const. praev.:* Principium peculiare extractivum (Bryonium) et Amylum. — *Vis:* drastica, purgans, emetica, diuretica. — *Usus:* In pulvere, infuso vel decocto; succus radicis recentis expressus quoque adhibetur; interne caute in parva dosi administranda. — *Praep.:* Extractum, Syrupus et Faecula. Additur aliis quoque compositionibus. — Radix nigrescens vetusta, mucida vel ab insectis corrosa, rejiciatur. (De confusione cum radice Columbo v. p 230.)

RADIX BRYONIAE NIGRAE, TAMNI seu TAMI, Sigilli Mariae. Schwarze Zaunrübe, Schmeerwurzel, Jungfernwurzel, *Racine de Sceau de Notre Dame, de Bryone noire, de Vigne noire.* — *Tami communis* L. (Fl. Bad. III. 758. — Cl. cet. v. radix Chinae p. 229.), plantae perennis Europae australis passimque Germaniae, ad sepes, silvarum margines; habitu fere Bryoniae, sed caulibus volubilibus, glaberrimis, foliis cordato-acuminatis integerrimis, glabris, floribus viridescente-albidis parvis, racemosis, baccis subglobosis rubris, Radix magna, crassa, tuberoso-subrotunda, externe nigra, intus alba, glutinoso-viscosa; sapore acri. — *Vires* drasticae, diureticae ei adscribuntur. — Hodie obsoleta.

RADIX BUBONII LUTEI. Weidenblätterige Alantwurzel *Racine d'Inule à feuilles de Saule.* — *Inulae salicinae* L. (Fl. Bad. III. 461. — Cl. cet. v. Radix Enulae v. infra), plantae perennis indigenae in pratis montosis apricis, passim, caule erecto glabro, superne ramoso, foliis amplexicaulibus, anguste lanceolatis, utrinque glabris, margine scabris, saturate viridibus, floribus speciosis luteis solitariis, caulem ramosque terminantibus, Radix aromatica. — Olim ut nervinum pro medicamento usurpabatur. Hodie exolevit.

• RADIX BUGLOSSI seu LINGUAE BOVIS, R. Anchusae. Ochsenzungenwurzel *Racine de Buglosse.* — *Anchusae officinalis* L. (v. Flores p. 63 et Herba p. 100.) Radix subfusiformis, ramosa, superne digitum et ultra crassa, externe fusco-nigra, intus albida, carnosa; inter siccandum valde corrugatur et intus subporosa fit; inodora, sapore dulciusculo, mucilaginoso. — *Part. const. praev.:* Mucilago et Saccharum. — *Usus:* Idem qui Herbae. — Hodie pariter exolevit. Confunditur passim cum radice Consolidae majoris, rad. Cynoglossi et radice Viperinae (v. infra).

RADIX BUGLOSSI BORRAGINIS FOLIO. Immergrüne Ochsenzungenwurzel. *Racine de Buglosse à feuilles de Bourrache.* — *Anchusae sempervirentis* L., plantae perennis Europae australis, Radix. — Olim pro medicamento adhibebatur, hodie exolevit.

RADIX BUGLOSSI SILVESTRIS. Acker-Ochsenzungen-Wurzel, Acker-Krummhals-Wurzel *Racine de Buglosse sauvage.* — *Anchusae arvensis* M. B. (*Lycopsis arvensis* L. — Fl. Bad. I. 431.), plantae annuae in arvis vulgaris, totius hispidae, caule erecto subdichotomo, foliis amplexicaulibus oblongis subsinuato-dentatis, floribus terminalibus in racemos secundos digestis, coeruleis, tubo corollae inflexo, Radix parva, ramoso-fibrosa, albida. Hodie obsoleta.

RADIX BULBOCASTANI. Erdkastanie, Erdnuß. *Terre-Noix bulbeuse.* — *Cari Bulbocastani* KOCH (*Bunii Bulbocastani* L. — Fl. Bad. I. 629. — Cl. cet. v. Herba Cicutae p. 108.); plantae perennis arvensis Europae australis passimque Germaniae, caule erecto striato, glabro, ramoso, foliis compositis, laciniis anguste-linearibus brevibus, umbellis terminalibus multiradiatis, floribus uniformibus albis, involucris et involucellis polyphyllis, (Fructus uti Carvi, v. Semen) Radix vel potius Caudex subterraneus globoso-angulosus, 1/2 — 1 pollicem crassus, externe obscure fuscus, intus albus carnosus, sapore dulciusculo-acerbo. — Olim contra haemopthysin adhibebatur. Hodie exolevit. — Radices assatae vel coctae, grate dulces, Castaneis similes sunt et nutriendi ergo comeduntur.

RADIX CAA-APIAE, Caapebae. Kaapeba-Grieswurzel *Racine de Caapeba, de Liane à serpent.* — *Cissampeli Caapebae* L., e cl. Dioecia, ord. Monadelphia, fam. Menispermacearum, fruticis scandentis Americae australis, Radix pennam scriptoriam et ultra crassa, verrucosa, striata, curvata, dura, inferne et a latere fibris tenuibus praedita, griseo-flavescens, intus albida, sapore acri-amaro. — *Vim* diureticam et emeticam habere ferunt et uti radix Hypecacuanhae adhibebatur. — Hodie exolevit. — Planta recens uti et succus ejus expressus ut vulnerarium, antidotum contra morsum serpentum venenatorum in patria adhibetur.

RADIX CAINCAE seu CAHINCAE, Cainanae seu Cahinanae, Caninanae, Radix Serpentariae brasilianae, Rais Preta. Cainca- oder Cahinca-, Kahinka-Wurzel, Chiocca-Wurzel. *Racine de Cainca* ou *de Cainana.* — *Chiococcae racemosae* JACQ. (Cl. cet. v. Radix Hypecacuanhae v. infra), fruticis Antillarum et Americae meridionalis, Radix cylindrico-ramosa, rhizomate 1 — 2 pollices crasso, ramis longis, calamum scriptorium ad digitum et ultra crassis, qui plerumque in commercio prostant, subflexuosis; cortice laete vel obscure flavescente-griseo-fusco, subrugoso, aspero, dense tuberculis sparsis subsemi-annulatis passim obsesso,

$\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ lineam crasso, tecta, intus albida et sub-flavescens, lignosa, tenax, dura, ponderosa; odore praecipue corticis debili ingrato, subacri, sapore nauseoso-acri, amaro, masticando salivam ciente; pars lignosa inodora et fere insipida est. — *Part. const. praev.:* Acidum caincanicum (Cainanium) et Emetium (?). — *Vis:* irritans, diuretica, emmenagoga, tonica (?), emetica (?), laxans, alexipharmaca (?). Laudatur praecipue in hydrope. — *Usus:* In pulvere, infuso, decocto. — *Praep.:* Tinctura, Extractum, Acidum caincanicum. — Cave confundas cum radice Caincae falsae, quae pallidior. — Aliae Chiococcae species, ut Chiococca anguifuga MART. et Chiococca densiflora M., frutices brasilienses, similes habent radices similibusque proprietatibus praeditae sunt; unde etiam nomine Caincae vel Rais Preta, Cruzadinha, Ipecacuanhae Joazairone cet. prostant et pari modo, praecipue autem contra morsum serpentum venenatorum, usurpantur.

RADIX CALAGUALAE seu CALAHUALAE. Calaguala-Wurzel. *Racine de Calaguala.* — *Polypodii Calagualae* RUIZ. — (Cl. cet. v. Radic. Filicis), filicis Americae meridionalis, Caudex horizontalis. Fragmenta offert cylindrica, calamum scriptorium ad digitum crassa, 6—8 pollicaria, flexuosa, sulcata, segmentis stipitum sparsis, distantibus, 1—3 pollicaribus obsessa, ita ut e longinquo cornubus cervinis quodammodo similia appareant, nuda, nitentia, colore castaneo, passimque tamen paleis concoloribus obsessa, intus laete rubello-fusca, densa, dura; inodora, sapore dulcinsculo-adstringente. — *Part. const.* et *Vis:* uti Radicis Polypodii (v. infra). — Hodie apud nos exolevit. — In patria uti et Hispania, Italia cet. autem ut resolvens, diaphoreticum, tonico-adstringens, pectorale, antisyphiliticum cet. passim adhibetur. — Ceterum hoc nomine plurium Filicum specierum, in America meridionali habitantium, Radices (quae dicuntur) prostare veri est simile: Ut Aspidii coriacei Sw., Asp. discoloris LANGSD., Acrostichi Huascaro RUIZ., Tectariae Calagualae CAV. cet., quae partim minores, tenuiores, colore pallidiore fusco-ferrugineo et paleis dense obsessae apparent. — Omnino supervacaneae et omnes fere vetustae sunt. Hinc ex medicamentorum copia rejiciendae.

RADIX CALAMI AROMATICI. Kalmuswurzel. *Racine de Calamus aromatique.*

Synon.: Radix Calami vulgaris seu Acori veri, Radix nautica. Gewürzkalmus, Magenkalmus, Ackerwurzel, Zehrwurzel, Magenwurzel, deutscher Zittwer. *Racine d'Acorus odorant*, de *Roseau aromatique*.

Acori Calami L. (Flor. Bad. II. 63.), e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Aroidearum, plantae perennis indigenae, in fossis, paludibus, rivulis passim vulgaris, foliis longis lineari-ensiformibus, margine subundulatis, utrinque in medio nervo acuto prominente praeditis, uti et scapus erectus foliaceo-compressus, inferne uno latere acutus, altero canaliculatus, supra spadicem lateralem cylindrico-conicum, subincurvum, virescente-flavum, ensiformis, glaberrimis, nitentibus, rigidis, Caudex horizontalis, primo vere vel autumno colligendus, cylindrico-subcompressus, pollicem circiter crassus, praelongus, annulato-geniculatus, ramosus, externe pallide fuscescens, viridescens et rubescens, subtus praecipue multis fibris (radicibus) albis filiformibus et punctis nigrescentibus obsessus, intus albus, poruloso-carnosus, mollis et sub-flexibilis; celeriter, a fibris liberatus, siccandus, quo facto corrugatur et colorem assumit obscuriore-fuscum, si cortex adest; plerumque quoque cortice privatur; mundatus albo-cinerascens, plus minus fuscescens, fragilis fit, densus et levis; facilis in pulverem albidum redactu; odore forti aromatico, si recens, subnauseoso, siccatus grato, sapore acri-aromatico, post amaro; tinctura iodi radicem colore atro-coeruleo imbuit. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Resina acris, Principium extractivum amarum et Amylum. — *Vis:* nervina, incitans, stomachica, carminativa, antiscorbutica.

Sit radix sana, aromatica ut bonae notae supra descripta; radix maculata, intus fusca vel mucida vel ab insectis corrosa, aromate egens, rejiciatur. (De confusione cum radice Acori vulgaris conf. p. 210.).

Usus: In pulvere et infuso. — *Praep.:* Extractum, Oleum aethereum, Aqua, Tinctura, Confectio. — Additur aliis quoque compositionibus.

RADIX CALCITRAPAE seu CARDUI STELLATI. Sterndistelwurzel. *Racine de Chausse trappe.* — *Centaureae Calcitrapae* L. (v. Herb. p. 102.) Radix cylindrico-fusiformis, fibrosa, superne digitum circiter crassa, sub cortice griseo duramen album includens; inodora, sapore amariusculo. — Olim pro nephritico, febrifugo habebatur. Hodie exolevit.

RADIX CANNAE INDICAE. Indianische Blumenrohrwurzel. *Racine de Canne indienne* (Cl. cet. v. Arrow-root p. 9.), plantae perennis utriusque Indiae, Radix crassa, tuberosa, flavescente-alba, carnosa. — Olim ut medicamentum adhibebatur. Hodie exolevit. — Nomine radicis Cannae indicae albae alexipharmacae olim radix quoque Maranthae indicae usurpabatur. — Radix Cannae angustifoliae L. pro excitante, diaphoretico cet. in India orientali adhibetur. — Radices hae Amylo abundant simulque plus minus aromaticae sunt.

RADIX CARDUI MARIAE. Mariendistelwurzel u. s. w. *Racine de Chardon Marie.* — *Silybi mariani* GAERTN. (v. Herb. p. 104.) Radix annua, crassiuscula, cylindrico-fusiformis, fibrosa, albida. — Olim pro medicamento usurpabatur. — Hodie exolevit.

RADIX CARDUI TOMENTOSI, Acanthii, Onopordi, Spinae albae. Gemeine Krebsdistel-, Eselsdistel-Wurzel u. s. w. *Racine de Chardon aux Anes.* — *Onopordi Acanthii* L. (v. Herb. p. 104.). Radix fusiformis, fibrosa, superne digitum et ultra crassa, pedalis et longior, externe flavescens, intus alba; sapore salso, amariusculo. — *Part. const. praev.* et *Vis:* uti Herbae (?). *Usus:* Idem. Hodie immerito vix adhibetur.

RADIX CARDUI VENERIS seu DIPSACI. Weber-Karden-Wurzel u. s. w. *Racine de Chardon à Foulon.* — *Dipsaci silvestris* MILL. et *Dipsaci fullonum* MILL. (v. Herb. p. 105.) Radix crassa, ramoso-fibrosa, brevis, albida; sapore peramaro. — Olim ut stomachicum, pectorale, vulnerarium adhibebatur. Hodie exolevit, quanquam vires medicatae ei non deesse videntur.

RADIX CARICIS ARENARIAE. Sandriedgras-Wurzel.
Racine de Laiche de Sable.

Synon.: Radix Graminis rubri seu majoris, Radix Sarsaparillae germanicae. Sandseggen-Wurzel, Flugsandried-Wurzel, rothe Queckenwurzel, deutsche Sassaparill. *Racine de Salsepareille d'Allemagne.*

Caricis arenariae L. (Fl. Bad. III. 612.), e cl. Monoecia, ord. Triandria, fam. Cyperacearum, graminis perennis praecipue Germaniae uti et reliquae Europae borealis, locis arenosis humidis, ad littora marina passim, culmis incurvis vel suberectis, $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ pedalibus, basi squamis fuscis obsessis et inferne foliatis, striatis, superne nudis, marginibus asperis, foliis glabris striatis, margine et carina asperis, spicis compositis, oblongis acutiusculis, spiculis alternis densis, superioribus masculis, inferioribus foemineis, mediis androgynis (apice masculis), stigmatibus binis, Radix repens vel potius Caudex subterraneus, horizontalis, longissimus, dichotomo-ramosus, articulatus, calamum stramineum et ultra crassus, externe sordide et pallide griseus, articulis pollicaribus, squamis vaginantibus longis, laceris, obscure fuscis, obsessus; intus unicolor albus, margine tenui fuscescente corticis cinctus, sub quo annulus vasorum fistulosorum fuscorum conspicuus, flexilis, tenacissimus, in longitudinem facilis fissu; odor radicis recentis peculiaris, haud ingratus, subbalsamicus, turionum Pini (v. infra) subsimilis,

in radice siccata debilior, sapor leviter dulciusculus, subirritans, balsamicus; tinctura iodi radicem colore atro-coeruleo imbuit. — *Part. const. praev.:* Principium proprium extractivum, Oleum aethereum et Amylum. — *Vis:* subexcitans, resolvens, diuretica, diaphoretica, sanguinem purificans, antisyphilitica.

Sit radix genuina, proprietatibus supra descriptis praedita. — Cave confundas cum radice Caricis hirtae vel intermediae, quae inodorae (conf. et sequentes).

Usus: In decocto. — *Praep.:* Extractum, Mellago. Additur et speciebus quibusdam.

RADIX CARICIS HIRTAE, Radix Caricis arenariae falsae. Rauhe Riedgras-Wurzel, falsche Sandseggen-Wurzel. *Racine de Laiche de Sable faux.* — *Caricis hirtae* L. (Fl. Bad. III. 673), graminis nobis in sabulosis humidis, ad fluviorum ripas, in pratis vulgaris, culmis erectis, foliis et vaginis pilosis, spicis sexu distinctis, superioribus 2—3 masculis approximatis, inferioribus remotis solitariis foemineis, stigmatibus 3, Caudex subterraneus, locis sabulosis occurrens, praecedenti simillimus, sed distinguitur colore externe flavo-rubro-fusco seu rufo, squamis concoloribus brevioribus, non solum in articulis, sed etiam passim inter articulos radiculis fibrillosis obsessus, intus albidus; in sectione transversali annulus in medio apparet fuscescens, caret autem annulo vasorum fistulosorum sub cortice; porro inodorus est et insipidus. — Nostris regionibus radix haec saepissime radici Caricis arenariae genuinae falso substituitur.

RADIX CARICIS INTERMEDIAE L. Mittlere Seggenwurzel. *Racine de Laiche intermediaire* (Fl. Bad. III. 614.), graminis apud nos vulgatissimi, habitu Caricis arenariae, sed culmo erecto, plerumque altiore, spiculis superioribus et inferioribus foemineis, intermediis autem masculis, Caudex subterraneus, omnino cum praecedente convenit, subinde externe colore obscuriore et magis radiculis fibrillosis obsessus; ceterum pariter et inodorus et insipidus.

RADIX CARLINAE. Eberwurzel. *Racine de Carline.*

Synon.: Radix Carlinae humilis, Radix Cardopatiae seu Cardopatii, Chamaeleontis albae (improprie, v. Rad. Atractylis p. 219.). Englische Distel, Roßwurzel, wilde Artischocke.

Carlinae acaulis L. (Fl. Bad. III. 385.), e cl. Syngenesia, ord. Polygamia aequali, fam. Compositarum, trib. Cynarearum, plantae perennis montanae, subalpinae, Germaniae, Helvetiae et reliquae Europae mediae, locis asperis apricis, foliis radicalibus magnis, pinnatifido-squarrosis, spinosis, in orbem congestis, flore (calathio) solitario praemagno, flosculis viride-violaceis aequalibus, pappo longo albo cinctis, squamis calycis (periclinii) exterioribus imbricatis, sinuato-dentatis, spinis simplicibus et compositis armatis, inferioribus elongatis in radium album nitentem congestis, receptaculo (anthoclinio) paleaceo foveolato, Radix multiceps cylindrico-ramosa, superne digitum ad pollicem et ultra crassa, externe fusco-flava, intus flavescens, inter siccandum corrugatur et siccata in commercio prostat in frustis plerumque calamum scriptorium ad digitum, passimque superne pollicem crassis et 4—8 pollices longis, plus minus curvatis, submulticipitibus et subtus ramosis, passim in longitu-

dinem sectis, perrugosis, hinc inde tuberculosis, asperis, levibus, fragilibus, sordide griseo- vel flavescente-fuscis, intus albidis, porosis, multis punctis resinosis fuscis nitentibus intermixtis; odore proprio ingrate aromatico irritante; pulvis facile sternutamentum excitat; sapore dulciusculo, peracri-aromatico; tinctura iodi radicem solummodo brunneam colorat. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Resina et Inulinum. — *Vis:* incitans, nervina, stomachica, diaphoretica, alexipharmaca (?).

Sit radix odora, aromatica, resinosa; vetusta autem, fere inodora vel ab insectis corrosa, rejiciatur.

Usus: In pulvere, electuario, infuso vinoso. — *Praep.:* Extractum, Aqua, Oleum destillatum, Radix condita. Addebatur olim multis compositionibus, hodie praecipue est additamentum primarium Pulveris Equorum; praecipue enim radix in arte veterinaria adhibetur. — Olim maxime celebrata, contra ipsam pestem, ut ferunt cum successu, adhibebatur; in morbis humanis adhuc medicorum attentione digna.

RADIX CARLINAE SILVESTRIS seu HERACANTHAE. Gemeine oder wilde Eberwurzel *Racine de Carline à tige.* — *Carlinae vulgaris* L. (v. Herb. p. 105.) Radix tenuis fusiformi-ramosa, ceterum praecedenti subsimilis. — Hodie pariter atque Herba obsoleta.

RADIX CAROLI SANCTI. Sanct Karls-Wurzel. *Racine de saint Charles.* — Hoc nomine Radix olim prostabat plantae adhuc non satis cognitae, in provincia Mechoacan crescentis, humulo, ut ferunt, similis, crasso capite, ex quo alia oriuntur digiti majoris crassitudine, colore candicans; odore, praesertim corticis, facile abscedentis, aromatico et sapore amaro subacri. — *Vires* sudorificas et emeticas ei adscribebant et in multis malis, e. g, rheumaticis, capitis doloribus, ad consolidandam gingivam, ad defendendos dentes a corruptione commanducanda commendabatur; porro pro emmenagogo, contra epilepsiam cet. — Apud nos vix unquam nota fuit.

RADIX CARTHAMI TINCTORII L. Saflor-Wurzel. *Racine de Carthame.* — (v. Flores p. 63.). Nuper ut anthelminticum contra taeniam commendabatur.

RADIX CARYOPHYLLATAE. Nelkenwurzel. *Racine de Benoite.*

Synon.: Radix Sanamundae, Lagophthalmi, Gei urbani. Benediktwurzel, Weinwurzel, Stüllenwurzel. *Racine de Récise, de Galliot.*

Gei urbani L. (Fl. Bad. II. 457.), e cl. Icosandria, ord Polygynia, fam. Rosacearum, plantae perennis locis umbrosis subhumidis, nemoribus, ad sepes cet. vulgaris, caulibus erectis, superne subramosis, striatis, uti et folia radicalia, petiolata, interrupte pinnata, lyrata et caulina superiora ternata et simplicia, piloso-scabriusculis, stipulis magnis, subrotundo-ovalibus, inciso-dentatis, floribus terminalibus solitariis, luteis, erectis vel subnutantibus, fructibus pilosis, arista nuda geniculata praeditis, Radix primo vere locis montosis asperis e plantis annosioribus colligenda, plerumque multiceps, rhizomate coniformi 1—3 pollicari, subpraemorso, superne digitum, subinde pollicem crasso, laete vel obscure fusco, squamis brevibus annulatim obsesso et fibris pluribus sub-concoloribus vel pallidioribus cinereis, calamum stramineum circiter crassis undique praedito, intus pallide carneo vel violaceo, limbo flavescente; aëris

aditu color celeriter evanescit; consistentia dense carnosa; inter siccandum corrugatur et obscurior fit, fusco-rufescens vel flavescens, dura, aspera, fragilis, humorem ex aëre non facile attrahit; odore grate debili aromatico caryophyllino et sapore adstringente, amariusculo; tinctura iodi radicem coeruleam colorat et infusum aquosum liquore ferri muriatici oxydati colore coeruleo-nigro, et aquae calcis ope colore pulchre violaceo-rubro imbuitur et praecipitatur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium adstringens, Acidum gallicum et Amylum. — *Vis:* incitans, tonica, nervina, febrifuga.

Sit radix fusca, carnosa, odore, praecipue si trituratur, grate caryophyllino; vetusta autem, pallida, lignosa, fere inodora, rejiciatur.— Cave confundas cum radice Caryophyllatae aquaticae (v. subsequens).

Usus: In pulvere, electuario, praecipue autem in infuso. — *Praep.:* Extractum, Tinctura. Additur aliis quoque compositionibus.

RADIX CARYOPHYLLATAE ALPINAE. Alpen-Nelken-Wurzel, Berg-Benedikten-Wurzel. *Racine de Benoite alpine.* — *Gei montani* L. (*Sieversiae montanae* SPR. — Fl. Bad. II. 461. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis montanae, subalpinae Helvetiae passimque Germaniae et reliquae Europae mediae, habitu fere praecedentis, sed minoris et floribus terminalibus pulchre luteis majoribus, fructibusque arista longa plumosa recta praeditis, Radix crassa cylindrica, fibrosa, externe nigro-fusca, intus pallide rubella, odore et sapore praecedentis simili. — Hodie apud nos exolevit.

RADIX CARYOPHYLLATAE AQUATICAE seu BENEDICTAE SILVESTRIS, Gei rivalis. Wasser-Benedikten-Wurzel, Sumpfnelkenwurzel, Wiesengaraffelwurzel. *Racine de Benoite de ruisseaux.* — *Gei rivalis* L. (Fl. Bad. II. 458. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis in pratis humidis, ad rivulos cet. passim frequentis, Gei urbani similis, sed caule plerumque humiliore, floribus majoribus nutantibus, calycibus inflatis petalis pallide rubellis majoribus, rufescentibus, hirsutis, aristis fructuum superne pilosis, Radix vel potius Caudex subterraneus, horizontalis, cylindrico-ramosus, articulatus, pennam scriptoriam ad digitum minimum crassus, externe fuscus vel rubro-fuscus, passim squamis majoribus fuscis tectus et inferne tantum fibris (radicibus) paucioribus praeditus, intus albidus; inter siccandum pariter corrugatur, durus, subcorneus et asper fit; odore simili sed debiliori, sapore peradstringente; ad reagentia ut praecedens sese habens. — *Part. const. praev.:* eaedem, minus autem Olei aetherei. — *Vis:* circiter eadem; antepraecedens autem praestantior. — *Usus:* Idem. — In nonnullis regionibus haec radix adhuc nomine Rad. Caryophyllatae colligitur.

RADIX CASSUMUNIAR, Cassamunar, Casmonar, Rissagon, Rad. Zedoariae luteae, Zerumbethi. Blockzittwer, falscher runder Zittwer, Kassamunar oder Cassamuniar. *Racine de Cassamuniar.* — *Zinziberis Cassumunar* ROXB. (Cl. cet. v. Cardamomi p. 26.), plantae perennis Indiae orientalis, insularum Moluccensium, Javae, Caudex tuberosus. In commercio prostat transversim secta in taleolas externe griseas, geniculis uti in Galanga notatas, intus flavescentes; odore fragrante aromatico et sapore aromatico, acri-amaro. — Ceterum nominibus supra notatis varias radices ex variis Zinziberis speciebus ut: Zinziberis Zerumbet ROSC. cet. vendi veri simile est. — Apud nos exolevit.

RADIX CAULOPHYLLI THALICTROIDIS M. (Leontices thalictroidis L.). Wiesenrautenartige Stengelblatt- oder Loewenblattwurzel. *Racine de Caulophyllum thalictroide.* (Cl. cet. v. Baccae Berberidum p. 14.), plantae perennis virginiensis, Radix. — In patria ut antispasmodicum et diaphoreticum magnopere laudatur.

RADIX CEANOTHI. Seckelblumen-Wurzel. *Racine de Ceanothe* (v. Flor. p. 76.).— In America boreali ut purgans et antisyphiliticum adhibetur.

RADIX CENTAURII MAJORIS, Radix Rhapontici vulgaris (impropria). Tausendgulden-Flockenblumen-Wurzel. *Racine de grand Centaurée.* — *Centaureae Centaurii* L. — (Cl. cet. v. Herb. Cardui benedicti p. 104.), plantae perennis montanae, alpinae, Europae meridionalis, caule 3 — 4 pedali, foliis decursive pinnatis, glabris, pinnis oblongis, subbifidis, mucronato-serratis, extima majori tripartita, floribus speciosis pulchre purpureo-violaceis, squamis calycis (periclinii) ovato-obtusis integerrimis, glabris, inermibus, Radix crassa praelonga, externe nigrescens, intus purpureo-maculata, carnosa, subaromatica, amaro-adstringens. — Olim pro medicamento adhibebatur. Hodie exolevit.

RADIX CEPAE. Zwiebel, Zipolle. *Oignon.* — *Allii Cepae* L. (Fl. Bad. II. 206. — Cl. cet. v. Radix Allii p. 212.), plantae perennis ubique fere cultae, notissimae, caule fistuloso ventricoso uti et folia radicalia, umbellis densis sphaericis, floribus

albis capsuliferis, staminibus alternis, 3-cuspitatis, Bulbus speciosus, depresso-globosus, ex membranis concentricis arcte adpressis, flavo vel fusco-rubris vel albidis, exterioribus exsuccis papyraceis, interioribus mucilaginoso-succulentis constans; odore et sapore acri alliaceo. — *Part. const. praev.* et *Vis:* uti rad. Allii; sed mitior est. — *Usus:* diaeteticus; in culinis usitatissima; ceterum et pro antiscorbutico, diuretico et anthelmintico, externe ut rubefaciens usurpatur.

RADIX CEPAE ASCALONICAE. Eschlauch Schalotten. *Racine d'Eschalotte.* -- *Allii ascalonici* L., plantae perennis Asiae minoris, Syriae, quae apud nos crebre colitur, habitu praecedentis, sed minoris, foliis et scapis tenuioribus, umbellis capitato-globosis, floribus parvis coeruleis, Bulbus oblongo-ovalis, ex pluribus bulbulis violaceis, membrana rubro-flava cinctis, constans. — Proprietates Allii et Cepae habet conjunctas. Olim etiam ut medicamentum recepta. Hodie nonnisi in culinis adhibetur.

RADIX CEPAE OBLONGAE seu PORRI. Röhrenlauch, Winterzwiebel, Jakobs-Zwiebel, Porre, Fleisch auch. *Racine de Porreau.* — (v. Herba Porri p. 145.) Bulbus parvus oblongus, albus, simplex. -- Ut praecedentes et Herba adhibetur.

RADIX CERVICARIAE MAJORIS seu TRACHELII. Nesselblätterige Glockenblumen-Wurzel, Halskrautzäpflein-Wurzel *Racine de Campanule gantelée.* -- *Campanulae Trachelii* L. (v. Herb. p. 106.) Radix crassa, ramoso-fibrosa, sublignosa. — Olim pro medicamento adhibebatur. Hodie uti et Herba exolevit.

†RADIX CHAMAELEONTIS NIGRI. Schwarze Chamäleon-Wurzel, doldentraubige Saflor-Wurzel. *Racine de Chamaeleon noire.*-- *Carthami corymbosi* L. (*Onobromatis corymbosi* SPR. — Cl. cet. v. Flor. Carthami p. 63.), plantae perennis spinosissimae, Italiae, Graeciae et Africae borealis, foliis duplicato-pinnatifidis, floribus paniculato-corymbosis, pulcherrime coeruleis, bracteis et squamis calycis (periclinii) spinosissimis, receptaculis (anthoclinii) villosis, Radix grossa, externe nigra, rugosa; sapore acerrimo-mordaci. — *Vis:* venenata, acris, narcotica. — Olim externe adhibebatur. Hodie exolevit. (De Chamaeleonte albo conf. Rad. Atractylis p. 219.).

† RADIX CHELIDONII MAJORIS L. Großen Schöllkrauts-Wurzel. *Racine de la grande Chélidoine.* — (v. Herb. p. 107.) Radix submulticeps, ramoso-fibrosa, e plantis annosioribus autumno colligenda celeriterque siccanda et loco sicco asservanda, rhizomate fusiformi, calamum scriptorium ad digitum et ultra crasso, externe saturate flavo-fusco, squamis nigro-fuscis, fibris numerosis filiformibus et capillaceis obsesso, intus aurantiaco, duramine plerumque albido, lignoso; si vulneratur succum aurantiacum exsudat; inter siccandum magnopere corrugatur, obscuratur et fibrae colorem subnigrum assumunt; si recens, odore nauseoso-acri et sapore per-acri, amariusculo, siccata inodora, sapore minus acri, plus autem amaro; infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore obscure viridi imbuitur et tincturae gallarum ope in floccis flavescente-albidis praecipitatur. — *Part. const.*, *Vis* et *Usus:* Herbae, sed rarius adhibetur, quanquam radix valida ei plerumque sit praeferenda. — Radix corrosa vel tota fere lignosa, paene insipida, rejicienda.

RADIX CHELIDONII MINORIS, Ficariae. Kleinen Schöllkrauts-Wurzel, Feigwarzenwurzel. *Racine de la petite Chelidoine.* -- *Ranunculi Ficariae* L. (v. Herb. p. 108.) Radix primo vere ante florum evolutionem colligenda; tubera parva fasciculata, oblongo-cuneiformia, 1/2 — 1 pollicem longa, externe cinereo-albida, intus alba, succulento-carnosa, inodora, sapore acri, (saepius autem, praecipue si serius colligitur, omni acrimonia caret et dulcescit), tinctura iodi radicem colore atro-coeruleo imbuit. — *Part. const. praev.*: Principium acre fugax et Amylum. — Radix recens olim externe contra nodos haemorrhoidales, ficos, rimas cutis applicabatur. — Hodie exolevit.

RADIX CHINAE, Chinae ponderosae, orientalis, Rad. Cinnae. Chinawurzel. *Racine d'Esquine* ou *Squine*— *Smilacis Chinae* L. (Cl. cet. Rad. Sarsaparillae v. infra), fruticis scandentis Chinae, Cochinchinae, Japoniae, Radix vel potius Caudex subterraneus tuberosus. In commercio prostat siccatus, fibris (radicibus) expers, tubera exhibens 3 — 8-pollicaria et 1 — 2 pollices crassa, subcompressa, plus minus inaequaliter gibbosa, partim aspera, rugosa, partim glabriuscula, hinc inde a cortice fusco tenui, arcte adhaerente, liberata, partim adspectu tuberis oblongi Solani tuberosi, intus pallide carnea, albida vel fuscescentia, structura densa, partim sublignosa, perdura, partim subporosa, non tenacia, ponderosa; inodora, sapore fatuo amariusculo, sub-irritante. Tinctura iodi radicem colore nigro imbuit; infusum aquosum liquore ferri muriatici oxydati intense atro-fuscum coloratur.— *Part. const. praev.:* Principium proprium extractivum irritans, adstringens (?) et Amylum. — *Vis:* sudorifica, sanguinem purificans, antisyphilitica (?), nutriens. — *Usus:* In decocto. — *Praep.:* Faecula, Gelatina, Syrupus Chinae compositus. Etiam Sago species ex ea paratur et in patria Oryzae loco pro nutrimento usurpatur. — Sit radix ponderosa, densa, intus rubella; radix decolor autem, levis, porosa, cariosa, rejiciatur. — Cave ne sit Lithargyro inquinata, quod ad explendos poros applicabatur, quod facile adspectu et acidi hydrothionici ope detegitur, quo colore imbuitur nigro. — Radix Chinae americanae vel occidentalis, spuriae, amerikanische oder westindische falsche Chinawurzel *Racine d'Esquine americaine, de fausse Squine;* Caudex est *Smilacis Pseudo-Chinae*, fruticis terrae mexicanae, Jamaicae cet., qui externe obscure fuscus, intus albus vel vix rubellus, levior et magis

porosus; unde facilis a Radice Chinae verae distinctu. — Eodem modo aliarum Smilacis specierum Candices dignoscuntur.

RADIX CHLORANTHI OFFICINALIS et CHLORANTHI BRACHYSTACHYOS Bl., e cl. Gynandria, ord. Triandria, fam. Chloranthearum, plantarum javensium, Radices peraromaticae; — in patria in febribus malignis maxime laudantur.

RADIX CHRISTOPHORIANAE, Aconiti racemosi, Hellebori nigri falsi. Christophswurzel, Wolfswurzel, falsche schwarze Nieswurzel. *Racine de saint Christoph.* — *Actaeae spicatae* L. (Fl. Bad. II. 468.), e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Ranunculacearum, plantae perennis in regionibus montosis Germaniae, Helvetiae et reliquae Europae uti et Asiae passim crescentis, caule erecto subbipedali, superne subgeniculato-ramoso, glabro, rigido, foliis magnis 3-ternatis, superioribus ternatis, foliolis lanceolato-ovatis, subcordatis, 2—3 lobis, inciso-serratis, floribus albis 4-petalis, in racemum parvum ovatum congestis, staminibus petala decidua aequantibus, fructibus baccatis subglobosis nigris splendentibus, Radix ramoso-fibrosa, rhizomate brevi, cylindrico, subcompresso, calamum scriptorium ad digitum minimum crasso, recto vel curvato, subnodoso, radici Galangae (p. 242.) simili, annulatim geniculato, in longitudinem striato, superne in segmenta caulium brevia, plerumque concava, dura, sublignosa desinente, subtus et ad latera fibris pluribus longis, calamum stramineum crassis et tenuioribus, inferne ramoso-fibrillosis praedito. Saepissime plures radices cohaerent fibris intricatis, ita ut radicem tuberoso-multicipitem mentiantur; colore est plus minus saturate brunneo, intus albido, consistentia densa, carnosa; inter siccandum parum tantum corrugatur, fibrae levissime striatae apparent, colorem radix assumit obscurum, fusco-nitentem, intus cinereum; duramine obscuriori radiis pallidioribus stellatim circumdato; in sectione transversa apud fibras crux apparet albida duraminum filiformium quadrangulorum tenacium, hinc fibrae in flectendo non facile franguntur, cortex autem saepius solvitur et duramen lignosum subinde perduci potest. Odor radicis recentis debilis ingrate dulciusculus, radicis Liquiritiae quodammodo similis, siccatae fere nullus, sapor primo amarus, post irritans, acri-dulciusculus; infusum aquosum dilutum liquoris ferri muriatici oxydati ope primo colore pulchre viridi imbuitur, post nigro-viridi; sacchari saturni ope in floccis flavis praecipitatur; tincturae gallarum ope vix, et solutionis mercurii sublimati corrosivi ope non turbatur. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum amarum et adstringens et Resina acris (?). — *Vis:* narcotica, acris (?), purgans, diuretica, resolvens, pectoralis, discutiens. — Olim contra scabiem, strumas, adhibebatur. Saepissime autem Radix cum Helleboro nigro (p. 247.) confunditur et ejus loco adhibetur.

RADIX CHRISTOPHORIANAE AMERICANAE seu ACTAEAE. Traubentragende Christophswurzel oder Schwarzwurzel, amerikanische Schlangenwurzel. *Racine d'Actée à grappes.* — *Actaeae racemosae* L. (*Cimicifugae Serpentariae* Pursh. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis Americae borealis, quae apud nos in hortis passim colitur, praecedenti in omnibus partibus simillimae, sed majoris, caule 4—5 pedali, foliis duplicato-pinnatis, caulinis biternatis, foliolis adspectu praecedentis, racemis elongatis, 5—8 pollicaribus, pedicellis et bracteis albis, floribus calyce corollaque praeditis, graveolentibus, fructibus capsularibus oblongis unilocularibus, a latere dehiscentibus, Radix, praecedenti simillima, saepius autem major; rhizomate crassiore, obscure brunneo, fibris passim pallidioribus praedito; odore et sapore praecedentis simili, sed amariori, ad reagentia aeque sese habens. — *Part. const.* et *Vis:* praecedentis (?). — In patria in morbis pectoris et ipsa phthisi pulmonali uti et blenorrhoea maxime laudatur. — Forsitan radicem praecedentem ei substitui licet (?).

RADIX CHYNLEN seu CHIN-LEN eadem est ac Lignum Serpentum (p. 174.).

RADIX CICHORII. Wegwartwurzel. *Racine de Chicorée.*

Synon.: Radix Cichorii agrestis. Gemeine Cichorien- oder Hindläuft-Wurzel, Feldwegwartwurzel. *Racine de Chicorée sauvage.*

Cichorii Intybi L. (Fl. Bad. III. p. 351.), e cl. Syngenesia, ord. Polygamia aequali, fam. Compositarum, trib. Cichorearum, plantae perennis, ad vias, agrorum margines, in pratis siccis cet. vulgaris, caule erecto, divaricato-ramoso, hirsuto,

(descriptio Flor. et Folior. v. p. 65 et 108.) Radix autumno colligenda celeriterque siccanda, cylindrico-fusiformis, subramosa, superne digitum ad pollicem crassa, longa, externe albido-cinerea, subflavescens, intus albida, carnosa, duramine ligneo, lutescente, passim annulo fuscescente cincto; vulnerata lactescens; inter siccandum corrugatur, rugosa et plus minus griseo-fusca, intus alba vel flavescens et fragilis fit, tenacior; inodora, sapore peramaro; tinctura iodi radicem nonnisi colore fusco imbuit. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum amarum. — *Vis:* tonico-resolvens.

Sit radix recens, carnosa, amara; fere insipida autem, lignosa, vel ab insectis corrosa, rejiciatur. (Cave confundas cum Radice Taraxaci v. infra.)

Usus: In decocto, speciebus admiscetur. — *Praep.:* Extractum, Syrupus Cichorii cum Rheo, Confectio, Aqua et Conserva.

RADIX CICHORII seu CICHOREI HORTENSIS, sativae, Seris sativae. Garten-Wegwart- oder Hindläuften-Wurzel, Garten-Cichorie. *Racine de Chicorée cultivée.* — Ejusdem plantae sed cultae Radix crassior, plus succulenta, mitior, dulcescens. — Pari modo ac praecedens adhibetur. Cedit et in usum culinarium et radix tosta potum Coffeae aemulum praebet (Cichorien-Kaffee).

RADIX CICHORII BULBOSI. Knollige Wegwart- oder Löwenzahnwurzel. *Racine de Chicorée bulbeuse.— Leontodontis bulbosi* L. (Cl. cet. praeced.), plantae perennis Europae australis et Africae borealis, foliis radicalibus oblongo-lanceolatis, subdentatis, glabris, scapo superne incrassato, glanduloso-piloso, floribus luteis, squamis calycis (periclinii) exterioribus lineari-lanceolatis, patentibus, Tubera radicis repentis albida, nucis avellanae magnitudine. — Olim pro medicamento adhibebatur. Hodie exolevit.

† RADIX CICUTAE AQUATICAE seu VIROSAE. Wasserschierlings-Wurzel, Giftwütherigswurzel. *Racine de Ciguë aquatique.* — *Cicutae virosae* L. (v. Herba p. 109.), Radix vel potius Caudex horizontalis grossus, cylindrico-compressus, multiceps, subviridis vel pallide fuscescens, punctis nigrescentibus annulatim et subtus fibris (radicibus) albidis, calamum scriptorium passim crassis praeditus, intus albus, in medio inanis, in loculos transversos distinctus; consistentia carnoso-succulenta, si vulneratur lac flavescens exsudans; odore aromatico haud ingrato, radicis Apii (p. 214.) subsimili, sapore simili dulcinsculo. — *Part. const. praev.* et *Vis:* uti Herbae; omnino autem praestantior et facile deleteria. — Olim praesertim externe ad ulcera, tumores induratos et ipsum cancrum, et interne adhibebatur. Hodie immerito vix praescribitur, quanquam radix efficacissima medicorum attentione omnino digna.

RADIX CINERARIAE PALUSTRIS L. Sumpfaschenkraut-Wurzel. *Racine de Cineraire de marais.* — (Fl. Bad. III. 451. — Cl. cet. v. Rad. Arnicae p. 216.), plantae perennis indigenae palustris, caule erecto simplici, sub-apedali, villoso, fistuloso, foliis semiamplexicaulibus, late lanceolatis, acutis, sinuato-dentatis, radicalibus subpinnatifidis, villosis, Radix ramoso-fibrosa. — In Russia ex ea unguentum paratur cum oleo cannabis, quo utuntur in panaritiis, aliis quoque ulceribus sanandis.

RADIX CIPO DE CAMERAS. Hoc nomine Radix quaedam ex America adducebatur, cui vires radicis Ipecacuanhae adscribebant et quam pro Hypecacuanha flava, specie Caa-apiae (p. 223.) habebant (v. quoque rad. Hypecacuanhae albae p. 250.).

RADIX CLEMATIDIS SILVESTRIS. Gemeine Waldreben- oder Brennkrautwurzel *Racine de Clematide sauvage.* — *Clematidis Vitalbae* L. (v. Herb. p. 110.) Radix repens, ramosa. — Uti Herba olim adhibebatur. Hodie exolevit.

RADIX CLEOMES DODECANDRAE L. Zwölfmännige Cleome-Wurzel. *Racine de Cleome dodecandrée,* e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Capparidearum, plantae Indiae orientalis, Radix. — Pro anthelmintico habetur.

RADIX COCI NUCIFERAE L. Cocospalmen-Wurzel. *Racine de Cocos* (v. Oleum Palmae p. 197.). Ab incolis in decocto, cum radice Zinziberis, ut febrifugum maxime laudatur.

RADIX CODIAEI CHRYSOSTICTI Rumph. (*Crotonis variegati* L. — Cl. cet. v. Grana Tiglii p. 85.), arboris Indiae orientalis, Radix. — Ab incolis pro purgante usurpatur.

RADIX seu BULBUS COLCHICI. Zeitlosenwurzel, Lichtblumenwurzel, wilder Safran. *Racine de Colchique, de Mort aux Chien, de Tue Chien, de Chiennée, de Safran bâtard* ou *de prés, de Vieillotte.* — *Colchici autumnalis* L. (v. Flores p. 65.) Bulbus, mense Junio et Julio colligendus et rejecto bulbo corrugato anni praeteriti, si vis asservare, in taleolas transversim sectus, caute et celeriter siccandus; rotundus, sub-

pyriformis, 1 — 1½ pollicem crassus, externe obscure brunneus, intus albus, densus, succulento-carnosus, in secta transversa redactus, discos exhibens suborbiculares, odore, si recens, nauseoso, raphanino, siccatus inodorus, sapore dulciusculo-amaro, post acri-gutturali, tinctura iodi radicem colore atro-coeruleo imbuit. — *Part. const. praev.:* Colchicium et Amylum. — *Vis:* uti florum. — *Usus:* Idem. — *Praep.:* Acetum, Oxymel, Mel, Tinctura, Vinum, Aqua medicinalis *Husoni*, Extractum, Colchicium, Faecula. — Sit bulbus recens justo tempore collectus, plenus, subrotundus; bulbus autem primo vere vel sero autumno collectus, uno latere vel utrinque excavatus et si transverse sectus, taleolas exhibens panduraeformes, sapore plus dulci, minus amaro-acri, vel radix siccata vetusta, insipida et ab insectis corrosa, omnino rejiciatur.

RADIX COLLINSONIAE. Collinsonienwurzel *Racine de Collinsonie.* — *Collinsoniae canadensis* L. (v. Herba p. 111.) Radix crassa et longa, nodoso-ramosa, fibrosa, aromatica. — *Vis et Usus:* Uti Herbae. Plus autem aromatis continet.

RADIX COLUMBO. Kolumbowurzel. *Racine de Colombo.*

Synon.: Radix Colombo seu Columbae, Calumbae, Kalumba- oder Kalumb-Wurzel.

Menispermi palmati L. (*Cocculi palmati* Dec. — Cl. cet. v. Cocculi p. 38.), fruticis scandentis Africae australis, Radix. In taleolas scissa prostat, discos plerumque exhibens 1 — 2 pollicares et latiores, 2 — 4 lineas crassos, suborbiculares, vel oblongos, repandos, saepius plus minus curvatos; vel segmenta tenuiora cylindrica aut fusiformia, digitum crassa, 1 — 2 pollices longa, colore pallide griseo-flavescente, subvirescente, cortice obscure griseo-fusco, partim in subrubicundum, partim sordide viride abeunte, in longitudinem profunde et irregulariter sulcato, arido praedita; sub epidermide cortex flavescente-viridis; discorum superficies plus minus inaequalis, aspera, sub cortice in tres partes diversas distingui potest, quarum altera pallide virescente-flava, annulum tenuissimum fuscum cingit, qui duramen includit pallidius, cinereo-flavescens, rimis excentricis percussum, in medio plerumque obscurius et punctis sparsis vasorum lignescentium praeditum; sublevis est radix, sed compacta, subsonans, fragilis, carnosa, fractura opaca, passim subporosa, triturando pulverem flavescente-cinereum praebens; odore debili nauseoso, sapore peramaro, diu durante; tinctura iodi radicem colore atro-coeruleo imbuit; infusum aquosum neutrum acidi salis ope in floccis sordide griseo-flavescentibus praecipitatur, tinctura gallarum ope vix turbatur, aliquo autem tempore post miscella colorem obscure virescente-fuscum assumit. — *Part. const. praev.:* Columbium et Amylum. — *Vis:* tonica, stomachica, sedans tormina, narcotica (?).

Sit radix recens ut supra bonae notae descripta; radix decolor vel maculata, spongiosa aut cariosa, fere insipida, rejiciatur. — Cave confundas cum radice Bryoniae (p. 222.) vel radice Columbo falsa, seu spuria, genuinae simili, in similes taleolas dissecta, sed colore plus luteo vel sordide aurantiaco, minime subviridi, cortice fuscescen-

te-griseo, transverse rugoso et annulato, segmentis tenuioribus, radici Gentianae (p. 243.) simillimis, intermixta, superficie interiori concolore, in duo tantum strata distincta, quorum interius concavum, annulo fusco uti et vasis lignosis experte; levior, fere suberosa; odore debili radicis Gentianae simili et sapore amaro, post subdulciusculo-aromatico; tinctura iodi radicem non nisi fuscam colorat; liquor kali caustici e radice ammoniacum elicit; infusum aquosum acidulum liquoris ferri muriatici oxydati ope colore obscure fusco imbuitur. Hanc radicem Columbo falsam radicem F r a s e r a e W a l t e r i esse probabile est (v. p. 242). Confundi quoque dicitur cum radice Saponariae aegyptiacae (v. infra).

Usus: In pulvere, pilulis, infuso et decocto. — *Praep.:* Extractum, Tinctura. — Additur aliis quoque compositionibus.

RADIX CONGO. — Hoc nomine ex Sumatra radix adportatur plantae adhuc ignotae, radicis Caricis arenariae similis, odore et sapore aromatico, quae in patria contra elephantiasin laudatur.

RADIX CONSOLIDAE MAJORIS. Wallwurzel.
Racine de grande Consoude.

Synon.: Radix Symphyti. Beinwell • oder Bein-Wurzel, Schwarzwurzel, Schmeerwurzel. *Racine d'Oreille d'Ane.*

Symphyti officinalis L. (Fl. Bad. I. 427.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Boraginearum, plantae perennis locis humidis, in pratis, salicinis, ad rivulos cet. vulgaris (de descript. conf. Herba p. 111.), Radix autumno colligenda, fusiformi-ramosa, superne digitum ad pollicem crassa, pedalis et longior, externe nigra, glabra, intus alba, succulento-carnosa, siccata externe rugosa, intus pallida, cornea, subnigrescens, compacta, dura, fere inodora, sapore subadstringente, inter masticandum multum mucilaginis praebens; tinctura iodi radicem nigram colorat, infusum aquosum frigidum liquore ferri muriatici oxydati in floccis sordide et obscure viridibus praecipitatur. — *Part. const. praev.:* Mucilago, Amylum et Principium adstringens.

Sit radix recens, carnosa; radix mucida autem vel cariosa omnino rejiciatur.

Usus: In decocto, partim radix recens, partim siccata. — *Praep.:* Succus, Syrupus, Conserva. — Additur aliis quoque compositionibus. — Hodie rarius adhibetur quam meretur.

RADIX CONSOLIDAE TUBEROSAE vel FLORE LUTEO. Knollige Schwarzwurzel u. s. w. *Racine de Consoude tubéreuse.* — *Symphyti tuberosi* JACQ., Germaniae cet. passim, *Symphyti bulbosi* SCHIMPER, in vineis (Heidelbergae), plantarum perennium praecedenti similium, sed foliis superioribus semi-decurrentibus, ovato-lanceolatis, floribus posteriores minoribus ochroleucis, limbo corollae ad medium partito, laciniis ovato-erectis uti et antheras, filamenta et dentes calycinos subaequantibus, Tubera, caudici subterraneo filiformi adhaerentia, irregulariter nodosa, subglobosa, externe nigrescentia; prioris Caudex subterraneus obliquus, dentato-squamosus, apice ramoso-tuberosus; ambo intus alba carnosa. — Olim pro medicamento adhibebantur; hodie exoleverunt. — Praecedentis viribus praedita esse veri-simile est.

RADIX CONTRAJERVAE, D r a c a e n a e. Peruvianische Giftwurzel, Bezoarwurzel, Widergift. *Racine de Contrajerve de Pérou.* — *Dorsteniae brasiliensis* LAM. *Dorsteniae Contrajervae* L., *Dorsteniae Houstoni* L. et *Dorsteniae Drakenae* L. et ut veri est simile aliarum D o r s t e n i a e specierum, e cl. Monoecia, ord. Tetrandria, fam. Artocarpearum, plantarum perennium Americae meridionalis, Radices vel potius Caudices subterranei, nodosi, tubera exhibentes subglobosa vel oblongo-ovata, 2—4 lineas crassa et 2—6 lineas longa, in fibras (radices) longas filiformes desinentia et aliis fibrillis capillaribus divaricatis praedita, quae passim invicem involvuntur, ita ut tanquam plures radices concretae appareant, rugosissima, aspera, griseo-fusca vel flavo rubella, intus alba vel cinerea, dura sed fragilia; odore proprio, forte-aromatico uti et sapore, qui simul acer-amariusculus; tinctura iodi radicem colore coeruleo-nigro imbuit. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium extractivum (?) et Amylum. — *Vis:* excitans, nervina, diaphoretica, febrifuga,

antidysenterica, alexipharmaca (?). — *Usus:* In pulvere vel infuso. — *Praep.:* Tinctura, Syrupus. Addebatur aliis quoque compositionibus. — Hodie apud nos vix adhibetur. Saepissime etiam in commercio vetusta, viribus carens, prostat.

RADIX CONTRAJERVAE NOVAE seu ALBAE, Rad. Contrajervae majoris seu mexicanae. Mexicanische Giftwurzel *Racine de Contrajerve de Mexique.* — *Psoraliae pentaphyllae* L. (Cl. cet. v. Rad. Liquiritiae p. 257.), plantae perennis mexicanae, Radix, digitum ad 2 pollices crassa, cortice fusca inaequaliter rugosa, alburnum album et duramen lignosum includente; aromatica, dulciuscula. — Praecedentis eam vires habere ferunt. — Hodie obsoleta.

RADIX CONVOLVULI MAJORIS. Zaunwindenwurzel. *Racine de grande Liseron, de Liseron des haies.* — *Convolvuli Sepium* L. (v. Herba p. 111.) Radix repens longissima, flexuosa, cylindrica, calamum scriptorium et ultra crassa, si recens alba, carnosa, siccata pallide fusca, fragilis; sapore nauseoso-acri, amaro. — *Part. const. praev.:* Resina drastica. — *Vis:* purgans. — *Usus:* In pulvere. — Ex radice resina parari potest resinae jalappae similis.

RADIX CONVOLVULI PANDURATI L. Geigenblätterige Windenwurzel, Kaffander- oder Kuffanderwurzel. *Racine de Liseron à feuilles pandurée* —, plantae perennis Americae borealis, Radix grossa. In patria pro purgante, in morbis nephriticis cet. usurpatur.

RADIX COPTIS TRIFOLIAE SALISB. (Hellebori 3-folii L.) 3blättrige Nieswurzel, kleinste Nieswurzel, *Racine de Coptis trifoliée*, — Cl. cet. v. Rad. Hellebori nigri p. 247.), — plantae perennis parvae Americae borealis, Groenlandiae, Camtschatca, Sibiriae asiaticae, foliis ternatis, scapo aphyllo unifloro, floribus parvis albis, Parnassiae (p. 66.) similibus, Radix repens, flava, nitens, amara. — Pro stomachico habetur et cum ligno Quassiae et radice Columbo comparatur.

RADIX CORONAE IMPERIALIS. Kaiserkronen-Wurzel *Racine de Couronne imperiale.* — *Fritillariae imperialis* L. (Cl. cet. v. Flor Liliorum alb. p. 67.), plantae perennis superbae, persicae, nobis hortensis, caule crasso, 2—3-pedali, foliis lanceolatis glabris uti et tota planta, floribus magnis, campanulatis, plerumque aurantiacis vel luteis, hexapetalis, in apice caulis sub coma foliorum pendulis et verticillum exhibentibus, Bulbus grossus globosus, flavus, ex lamellis crassis constans; odore nauseoso, sapore acri. — *Vis:* venenata (?). — Olim pro medicamento adhibebatur. — Hodie exolevit.

RADIX CORRUDAE. Spitzblätterige Spargelwurzel. *Racine d'Asperge sauvage.* — *Asparagi acutifolii* L. (Cl. cet. v. Radix Asparagi p. 218.), plantae frutescentis Europae temperatioris, passimque Germaniae (Austriae) ad littora marina crescentis, caule divaricato ramoso, albido, ramis brevi-pilosis, foliolis (ramulis) fasciculatis minimis, linearibus, rigidulis, pungentibus, sempervirentibus, floribus albido-flavis, baccis obscure rubris, Radix. — Olim pro medicamento, diuretico, cet. adhibebatur. Apud nos exolevit.

RADIX CORYPHAE. Schirmpalmenwurzel. *Racine de Corypha.* — *Coryphae umbraculiferae* L., palmae grandis Indiae orientalis, Radix tuberosa succulenta; in discos dissecta et siccata asservatur; structura lignosa, alba, medulla spongiosa; sapore adstringente. In Java contra diarrhoeam adhibetur.

RADIX COSTI, videatur Costus (p. 54.).

RADIX CRASSULAE, Telephii, Fabariae, Fabae crassae. Knollige Sedumwurzel, fette Hennen-Wurzel, Donnerbartwurzel u. s. w. *Racine de Joubarbe des Vignes* cet. — *Sedi Telephii* L. (v. Herb. p. 112.) Radix rhizomate cylindrico repente, digitum circiter crasso, undique tuberibus parvis, oblongis, albis, carnosis, in fibram longam filiformem desinentibus, obsessa; inodora et insipida; tinctura iodi tubera colore atro-coeruleo imbuit. — *Part. const. praev.:* Mucilago (?) et Amylum. — *Vis:* refrigerans, mundificans, antiepileptica (?), nutriens. — Hodie obsoleta. — Pro nutrimento adhiberi potest.

+ RADIX CROTONIS TIGLII L., Purgir-Crotonwurzel, *Racine de Pignons d'Inde*, — (v. Grana Tiglii p. 85.), viribus purgantibus praedita; in insula Batavia et Amboina, praecipue in hydrope, in minima dosi praescribitur.

RADIX CRUCIATAE. Gold-Waldmeisterwurzel, Kreuzkraut-Wurzel. *Racine de Croisette velue.* — *Galii Cruciatae* SCOP. (*Valantiae Cruciatae* L. — v. Herba p. 113.) Radix repens, fibrosa, colore croceo. — Olim pro medicamento contra hernias cet. adhibebatur — Hodie exolevit.

RADIX CUCUMERIS ASININI. Eselsgurken- oder Springgurken-Wurzel. *Racine de Concombre d'Ane.* — *Momordicae Elaterii* L. (v. Cucumis asininus p. 55.) Radix annua crassa, subrapiformis, longa, ramoso-fibrosa, alba, succulenta; inodora, sapore acerrimo-urente et amaro. — *Part. const. praev.:* uti Fructus (?). — *Vis:* pariter drastica. — Olim recens pro purgante et ad parandum Unguentum adhibebatur. Hodie exolevit.

RADIX CUCUMERIS SATIVI L. Garten-Gurkenwurzel. *Racine de Concombre* — (v. Cucumis p. 55.) pariter Viribus emeticis praedita fertur.

RADIX CURCUMAE. Kurkumawurzel, Gilbwurzel, Gelbsucht-Wurzel, gelber Ingwer. *Racine de Curcuma, de Safran d'Inde.* — *Curcumae longae* L. (Cl. cet. v. Cardamomi p. 26.), plantae perennis Indiae orientalis, Chinae et Cochinchinae, Tubera. Distinguuntur: 1) Radix Curcumae longae, lange Kurkuma, tubera subcylindrica, $1\frac{1}{2}$—3 pollicaria, digitum minimum crassa vel tenuiora, pleramque plus minus curvata, tuberculoso rugosa, propaginibus (ramis) et cicatricibus ramulorum decerptorum parvis hinc inde praedita; 2) Radix Curcumae rotundae, runde Kurkuma u. s. w., tubera subglobosa vel ovata, nucis avellanae ad nucis juglandis magnitudine, annulatim rugosa, arida, propaginibus passim tenuibus radicis Curcumae longae similibus, praedita; ambo externe griseo-flava, intus saturate vel fusco-lutea, perdura, ponderosa, fractura subaequali, parum resinoso-nitente, non facilia in pulverem intense luteum redactu; odore aromatico, radici zinziberis simili sed debiliore et sapore peracri-aromatico, commanducando salivam colore luteo tingentia. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium resinosum luteo-colorans. — *Vis:* incitans, resolvens, diuretica. — *Usus:* In pulvere; rarissime interne

adhibetur. Additur Pulveri sternutatorio viridi. — Adhibetur praecipue ad tingenda varia unguenta, ut: Unguentum Althaeae, Ungt. ad Labia citrinum cet. Inservit etiam pro reagente. — Sit densa, dura, ponderosa, aromatica, colore intense luteo; curcuma cariosa, fere inodora vel frustula oblonga compressa, intus sordide fusca exhibens, rejiciatur.

RADIX CURCUMAE DE BATAVIA. Kurkuma aus Batavia, Tommon. *Racine de Curcuma de Batavie.* — Hoc nomine Radix vel potius Rhizoma prostat tuberosum, subpyri-vel fusiforme, bi-tripollicare et superne digitum et ultra crassum, rugosissimum, annulatum, externe laete fuscescente- et flavescente-griseum, intus aurantiacum; odore et sapore praecedentis. — Forsitan radix est Curcumae viridiflorae Roxb.

RADIX CYANI. Blaue Kornblumenwurzel u. s. w. *Racine de Bluet.* — *Centaureae Cyani* L. (v. Flor. p. 65.) Radix tenuis, parva, divaricato-ramosa, fibrillosa, albida, sapore amariusculo. — In pharmacopoea hispanica pro medicamento recepta est.

RADIX CYCLAMINIS v. Rad. Arthanitae (p. 218.).

RADIX CYNANCHICAE. Bräunewurzel, Halswurzel. *Racine de Cynanchique.* — *Asperulae cynanchicae* L. (Fl. Bad. I. 331.— Cl. cet. v. Herba Hepaticae stellatae p. 124.), plantae perennis, in collibus apricis, locis aridis arenosis, passim frequentis, caule tetragono, ramoso, foliis subquaternis, ad unum latus versis, anguste linearibus, inaequalibus, floribus terminalibus subfasciculatis, minutis, rubellis, corollis quadrifidis, Radix repens, fibrosa, flavo-rubescens. — Olim praecipue in angina commendabatur. — Hodie exolevit.

† RADIX CYNAPII, Cicutariae Apii folio seu Cicutae minoris. Hundspetersilienwurzel, Gleißewurzel, kleine Schierlingswurzel. *Racine de petite Ciguë, d'Ethuse Ache-des-Chiens.* — *Aethusae Cynapii* L. (v. Herb. p. 109.) Radix plerumque tenuis, fusiformis, albida; sapore dulciusculo, subacri, *Vi* narcotica, venenata. — Pro medicamento vix adhibetur. Cave confundas cum radice Petroselini (v. infra).

RADIX CYNARAE SPINOSAE seu SCOLYMI ACULEATI. Kardonen-Wurzel, Kardun-Artischokenwurzel, spanische Kardenwurzel. *Racine de Cardon d'Espagne.* — *Cynarae Cardunculi* L. (Fl. Bad. IV. 602. — Cl. cet. v. Flor. Cynarae p. 65.), plantae perennis iisdem locis quibus Cynara Scolymus crescentis et cultae, ei simillimae, sed foliis omnibus pinnatifidis, spinosis, floribus (calathiis) minoribus, squamis calycinis ovatis spinosis, Radix crassa ramosa. — Externe contra sphacelum adhibetur. Apud nos exolevit.

RADIX CYNOGLOSSI. Hundszungenwurzel. *Racine de Cynoglosse.* — *Cynoglossi officinalis* L. (v. Herba p. 114.) Radix, e planta bienni primo vere colligenda, fusiformis, simplex vel ramosa, superne digitum, passimque unum usque ad tres pollices crassa, externe nigrescente-rubra vel fusca, glabra, intus alba, carnosa, inter siccandum corrugatur et rugosa fit; odore si recens, nauseoso murino, subnarcotico, siccata inodora, sapore ingrato fatuo, mucilaginoso. — *Part. const. praev.:* Principium peculiare volatile narcoticum (?) et Mucilago. — *Vis:* narcotica (?). — *Usus:* Uti Herbae. — *Praep.:* Extractum, Massa Pilularum de Cynoglosso. — Sit radix recens, carnosa; cariosa autem vel lignosa rejiciatur. — Cave confundas cum radice Buglossi (p. 223.) et radice Viperinae (v. infra).

RADIX CYPERI ESCULENTI, v. Bulbuli Thrasi (p. 22.).

RADIX CYPERI LONGI seu ROMANI ODORATI. Lange Cyperwurzel, wilder Galgant. *Racine de Souchet long.* — *Cyperi longi* L. (Cl. cet. praecedentis), graminis cyperacei perennis Europae australis, Helvetiae, passimque Germaniae et Angliae, Radix vel potius Caudex subterraneus. Siccatus prostat in segmentis cylindricis, ramosis, geniculatis, 4—6 pollicaribus, calamum scriptorium et ultra crassis, externe griseo-fuscis, in longitudinem sulcatis, cortice subspongioso et duramine pallide rubicundo, lignoso, tenaci; odore grate aromatico, amariusculo. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* incitans, stomachica, discutiens, diuretica. — *Usus:* In pulvere, infuso. — *Praep.:* Acetum Cyperi longi aromaticum. — Radix vetusta, fere inodora, rejiciatur. — Apud nos vix adhibetur.

RADIX CYPERI ROTUNDI seu ORIENTALIS, majoris. Runde asiatische Cypernwurzel. *Racine de Souchet ronde.* — *Cyperi rotundi* Vahl. et *Cyperi officinalis* Nees ab Esenb. (Cl. cet. praecedentis), graminum cyperaceorum Europae australis et Africae borealis, praecipue Aegypti, Radix vel potius Caudex subterraneus, tuberosus. — Prostat in tuberibus oblongo-subglobosis vel ovatis, nucis avellanae et ultra magnitudine, inferne in apicem subcurvatum desinentibus, annulatis, in longitudinem tenerrime striatis et cicatricibus obsessis, externe colore laete fusco, intus cinereo, subrubicundo, structura compacta, sublignosa; odore fragrante aromatico, praecipue si affricantur, et sapore amaro, aromatico camphorino. — *Part. const.* et *Vis:* praecedentis, plerumque autem magis aromatica. — *Usus:* Idem. — *Praep.:* Tinctura. Praecipue ad suffiendum usurpatur. Admiscetur Pulveri fumali Berolinensi. — Radix vetusta, cariosa, levis, parum odora, rejiciatur. — Alii Cyperi specierum caudices tuberosi ut: Cyperi rotundi L. (Cyperi tetrastachyos Tenore) cet. nomine Radicis Cyperi rotundi passim in commercio prostant.

RADIX CYPRIPEDII LUTEI. Gelbe Frauenschuh-Wurzel *Racine de Cypripede jaune.* — *Cypripedii pubescentis* W. (?), plantae perennis Americae borealis, Radix. In patria ut antispasmodicum cet. radicis Valerianae loco usurpatur. — Forsitan Radix Cypripedii Calceoli L., plantae pulchellae indigenae, iisdem virtutibus est praedita (?).

RADIX DACTYLONIS seu GRAMINIS ITALICI et HISPANICI. Fingerhirsenwurzel, Hundszahn-Berumda-Wurzel. *Racine de Pied de Poule, de Dactylon.* — *Digitariae Dactyli* Scopol., *(Digitariae stoloniferae* Schrad., *Panici Dactylonis* L., *Cynodontis Dactylonis* Rich. — Fl. Bad. I. 131. —

Cl. cet. v. Radix Graminis p. 245.), graminis perennis Europae australis et mediae passimque Germaniae, in collibus siccis, agris sabulosis, ad vias cet., stolonibus praelongis sarmentosis, culmis adscendentibus subsimplicibus, foliis brevibus, subtus pilosis, glaucis, vaginis glabris, ligulis ciliatis, spicis terminalibus digitatis, subquaternis, patentibus, linearibus, angustis, spiculis secundis biserialibus, muticis, subunifloris, caryopsibus coriaceo-tunicatis, Radix vel potius Caudex subterraneus, repens, longissimus, articulatus, calamum stramineum et ultra crassus, externe flavescens et viridescens, intus albus farinoso-farctus, tenax, radici Graminis (p. 245.) simillimus; sapore dulci. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus*: Uti radicis Graminis; Saccharo proprio ? (Cynodino) uberiorem esse ferunt. — Apud nos vix adhibetur, frequenter autem in Italia, Hispania et aliis Europae australis regionibus.

RADIX DATURAE FASTUOSAE L. Rothe Stechapfelwurzel. *Racine de Datura fastueuse* (v. Hb. p. 114.). — In India orientali praecipue Cortex radicis contra asthma adhibetur.

RADIX DAUCI, Dauci sativi. Möhre, Mohrrübe, gelbe Rübe. *Racine de Carotte cultivee.* — *Dauci Carotae* L. (Fl. Bad. I. 627. — Cl. cet. v. Ammoniacum p. 5.), plantae biennis ad vias, in pratis siccis cet. vulgatissimae, quae crebre colitur, totius hirsutae, caule erecto, ramoso, foliis subtriplicato-pinnatifidis, laciniis angustissime lanceolatis, mucronatis, umbellis speciosis terminalibus multiradiatis, involucro multifido umbellam subaequante, floribus albis radiantibus (de fructibus conf. Semen). Radix e planta culta sumenda, crassa, conico-fusiformis, plus minus lutea vel aurantiaca, succulento-carnosa; odore proprio ingrato acri et sapore dulci, subirritante. — *Part. const. praev.*: Saccharum, Principium proprium colorans (Carotium) Acidum pecticum et paullum Olei aetherei. — *Vis*: nutriens, demulcens, resolvens, anthelmintica, mundificans. — *Usus*: diaeteticus. Radix recens solummodo adhiberi potest; cruda comedenda praescribitur, vel succus ejus expressus; externe radices rasae cancro cet. imponuntur. — *Praep.*: Roob, Acidum pecticum. — Radix Dauci silvestris, e planta silvestri, multo tenuior est, plus minus ramosa, cinereo-albida, tenax, fere lignosa; sapore acri et amaro; *Vi* nociva praedita esse dicitur. — Vix unquam pro medicamento usurpabatur. — Passim cum radice Pimpinellae (v. infra) confunditur.

RADIX DENTARIAE MAJORIS, Squamatae seu Squamariae, Anblati, Coralloidis. Schuppenwurzel, große Zahnwurzel, Streubelwurzel, Kreuzwurzel. *Racine de Dentaire grande.* — *Lathraeae Squamariae* L. (Fl. Bad. II. 681.), e cl. Didynamia, ord. Angiospermia, fam. Orobanchearum, plantae parasiticae indigenae, locis umbrosis silvaticis, praecipue radicibus Fagi silvaticae superincrescentis, Radix, primo vere colligenda, crassa, ramosa, praecipue e squamis imbricatis, subrotundis, albidis, carnosis constans; inter siccandum magnopere corrugatur et nigrescit. — Olim ut antiepilepticum celebrabatur. Nunc exolevit.

RADIX DENTARIAE MINORIS seu ANTIDYSENTERICAE. Knollentragende Zahnwurzel, Korallenwurzel, weiße Steinbrechwurzel. *Racine de Dentaire petite.* — *Dentariae bulbiferae* L. (Fl. Bad. III. 50. — Cl. cet. v. Herb. Nasturtii p. 138.), plantae perennis Europae mediae passimque Germaniae, locis umbrosis silvaticis, montanis crescentis, caule erecto simplici, glabro, foliis inferioribus pinnatis, superioribus 5-natis, ternatis et simplicibus, foliolis lanceolatis serratis, subasperis, bulbulis axillaribus et floribus terminalibus corymboso-racemosis, speciosis, laete rubris, siliquis longis teretiusculis, lanceolatis, elastice desilientibus, valvulis revolutis, seminibus subovatis, Radix repens, corallina, dentato-squamosa, alba, carnosa, sapore ingrato acri. — Olim contra infantum tormina, dysenteriam, hernias et vulnera laudabatur. — Hodie exolevit. — Dentariae heptaphyllae quoque et Dentariae pentaphyllae, plantarum praecedenti similium, iisdem passim locis occurrentium, Radices saepius hoc nomine sumebantur.

RADIX DENTELLARIAE seu DENTILLARIAE, Sancti Antonii. Zahnwurzel oder Bleiwurzel. *Racine de Dentellaire.* — *Plumbaginis europaeae* L. (v. Herba p. 114.) Radix perennis, cylindrico-fusiformis, ramosa, superne digitum ad pollicem crassa, longa, glabra, externe flavescente-fusca, intus flavescens vel rubescens, carnosa; inter siccandum corrugatur et rugosa, externe obscure fusca fit, duramen pallidius, stellato-flabelliforme, includens; inodora, sapore primo dulciusculo-irritante, radicis Liquiritiae simili, post acri, diu durante, salivam ciente. — *Part. const. praev.*, *Vis*, et *Usus*: Uti Herbae. — Apud nos exolevit.

RADIX DENTIS CANIS. Hundszahnwurzel. *Racine de Dent de Chien.* — *Erythronii Dentis Canis* L. (Cl. cet. v. Flor. Liliorum alborum p. 67.), plantae perennis Europae australis, passimque Germaniae et Sibiriae, caule brevi purpureo, basi bifolio, foliis elliptico-oblongis, superne saepius maculatis, glabris, flore terminali nutante, campanulato, purpureo, hexapetalo, limbo reflexo, petalis tribus interioribus basi bicallosis, Radix vel potius Bulbus tenuis, tuberosus, carnosus, membranis siccis obvolutus, superne in 3 vel 4 dentes, dentibus caninis subsimiles, fissus; inodorus, mucilaginosus, nutriens. Radicis Salep (v. infra) loco adhiberi potest. — Apud nos exolevit. Tatari Bulbum pro nutrimento comedunt.

RADIX DICTAMNI seu DIPTAMNI ALBI, Radix Fraxinellae seu Fraxini pumilae. Weiße oder gemeine Diptamwurzel, Aschwurzel, Eschenwurzel, Spechtwurzel. *Racine de Dictame blanc* ou *de Fraxinelle.* — *Diptamni albi* L. (Fl. Bad. II. 196. — Cl. cet. v. Herba Rutae p. 148.), plantae perennis Europae meridionalis et mediae passimque Germaniae, locis montosis lapideis et silvaticis, caule erecto simplici, uti et folia patentia petiolata, pinnata, pinnis ovatis subserrulatis, obscure viridibus, punctato-pellucidis, subviscido, floribus terminalibus speciosis in racemum erectum digestis, rubellis, venis purpureis percursis, vel niveis, pentapetalis patentibus, Radix cylindrica ramosa, si recens externe flavescens, intus alba. Siccata provenit plerumque in segmentis simplicibus, rectis vel plus minus ramosis et curvatis, calamum scriptorium ad digitum crassis, albis vel cinereo-albis, subflavescentibus, cortice crasso, levi, sub-spongioso, farinoso, fragili, duramen ligneum tenax, flavescens, facile solutu includente, quod iners separandum; tunc radix solummodo ex

cortice constans, fistulosa vel convoluta apparet; odore debili, sed grate aromatico et sapore aromatico-amaro; tinctura iodi radicem colore coeruleo-nigro imbuit. — *Part. const. praec.:* Oleum aethereum, Resina, Principium amarum et Amylum. — *Vis:* tonico-incitans, stomachica, febrifuga, emmenagoga, antiepileptica (?), anthelmintica (?). — *Usus:* In pulvere et infuso. — *Praep.:* Tinctura (?). — Addebatur aliis quoque compositionibus, ut: Pulveribus epilepticis cet. Hodie raro adhibetur. — Radix inodora et fere insipida rejiciatur.

† RADIX DIGITALIS. Fingerhutwurzel. *Racine de Digitale pourprée.* — *Digitalis purpureae* L. (v. Herba p. 114.) Radix crassa, ramoso-fibrosa, albida, carnosa, e planta bienni primo vere colligenda et celeriter siccanda; odore et sapore uti Herbae; paribus quoque virtutibus gaudere veri est simile; sed hodie vix pro medicamento usurpatur.

RADIX DIOSCOREAE ALATAE L., Geflügelte Yamswurzel, *Racine de Dioscorée ailée,* — plantae perennis volubilis Indiae orientalis, Tubera crassa amylacea. — In patria pro nutrimento usitatissimo usurpantur. Paratur etiam ex his et aliis Dioscoreae specierum radicibus, ut: Dioscoreae sativae, Dioscoreae villosae, plantarum, quarum prior Indiae orientalis, posterior Americae borealis, Sago.

RADIX DORONICI, Doronici latifolii seu Romani. Gemsenwurzel, Krafiwurzel, Schwindelwurzel, Leoparden-u ürger-Wurzel. *Racine de Doronic.* — *Doronici Pardalianchis* L. (Fl. Bad. III. 468. — Cl. cet. ut Radic. Arnicae p. 216.), plantae perennis Helvetiae, Tyrolis passimque Germaniae meridionalis et mediae, montanae, subalpinae, caule erecto, 1 1/2—3 pedali, superne subramoso, hirsuto, foliis radicalibus longe petiolatis, cordatis, obtusis, obtuse denticulatis vel integerrimis, caulinis inferioribus in petiolum alatum decurrentibus, superioribus amplexicaulibus, passim auriculatis, hirsutis, floribus terminalibus solitariis, speciosis, flavis, floribus Arnicae (p. 61.) similibus, sed pallidioribus, ligulis radii angustioribus et achaenis radii pappo destitutis, Radix repens vel potius Caudex subterraneus, cylindricus, geniculatus, calamum scriptorium et ultra crassus, in exordio tuber formans globosum vel oblongum, nucis avellanae et ultra magnitudine annulatum, superne subvirescens, inferne albidum et fibris tenuibus (radicibus) obsessum, intus album, carnoso-succulentum; si recens odore debili, aromatico-irritante et sapore dulciusculo, post ingrate amariusculo, subacri, inter siccandum valde corrugatur et colorem fuscum assumit, facile humorem ex aëre attrahit et mucescit. Iodum radicem colore fusco tantum imbuit. — *Part. const. praec.:* Saccharum, Inulinum et parum Aromatis. — *Vires* ei adscribebantur miraculosae et specificum habebatur contra vertiginem; perperam venenata quoque habebatur, — addebatur et aliis compositionibus. — Hodie exolevit. — Nominibus supra memoratis etiam Doronici scorpioidis L. et Doronici plantaginei L., plantarum perennium, in iisdem passim regionibus crescentium, Radices colligebantur.

RADIX DRACONTII FOETIDI L., (Pothi foetidi Sims.) Stinkende Drachenwurzel, *Racine de Pothos fétide,* (Cl. cet. v. Rad. Ari p. 214.), plantae perennis Americae borealis, Ari habitu, Radix vel potius Caudex subterraneus tuberosus, crassus, fibris (radicibus) pluribus praeditus; odore penetrante foetido et sapore peracri. — In patria ut antispasmodicum, pulveris forma vel in decocto adhibetur.

RADIX DRACUNCULI AQUATICI. Sumpf-Callen- oder Drachenwurzel, Wasser-Aron-Schlangenwurzel. *Racine de Serpentaire aquatique.* — *Callae palustris* L. (Fl. Bad. III. 580. — Cl. cet. praecedentis), plantae perennis indigenae, praecipue autem Europae borealis, in paludibus crescentis, Radix vel potius Caudex subterraneus, horizontalis, elongatus, digitum circiter crassus, geniculatus, fuscus, subtus praecipue fibris (radicibus) albis praeditus; sapore primo miti, post acri mordace, diu durante; facile inflammationem in ore excitat. — *Part. const. praec.:* uti radicis Ari et aliarum specierum affinitarum, Principio acri praecipue praeponderat. — Hodie exolevit. Radix assata vel cocta mitis fit et pro nutrimento usurpari potest.

RADIX DULCAMARAE. Bittersüßwurzel *Racine de Douce-Amère* (v. Stipites). — Pro medicamento passim, sed rarissime, commendatur. — *Vires* stipitum possidere verisimile est, quod serius explorandum.

RADIX et CORTEX RADICIS EBULI seu SAMBUCI HUMILIS, agrestis sive Chamaeactis. Attigwurzel, Zwerg- oder Acker-Hollunderwurzel. *Racine d'Yèble.* — *Sambuci Ebuli* L. (v. Baccae p. 15, Flor. p. 65 et Herba p. 115.) Radix vel potius Caudex subterraneus, longe lateque repens, luxurians, primo vere vel autumno colligendus, cylindricus, digitum circiter crassus, ramosus, albidus, carnosus, in intervallis fibrarum (radicum) fasciculos et novas plantas emittens; inter siccandum corrugatur et rugosus, laete cinereo-fuscescens, intus albidus, porosus fit; si recens, odore penetrante nauseoso uti et sapore, qui simul amariusculus et acer. Praecipue Cortex interior albidus proprietates habet memoratas; duramen interius fere insipidum; unde Cortex recens praecipue adhibebatur, quae viribus praedita purgantibus, diureticis, hydragogis. — Hodierno autem tempore immerito vix adhibetur.

RADIX ECHITIS LONGIFLORAE Desv., Langblumige Flammenstrauchwurzel, *Racine d'Echites à longs Fleurs,* — (Cl. cet. v. Cort. Conessi p. 46.), fruticis brasiliensis, Radix crassa tuberosa, napiformis, cortice crasso sulcato, ochraceo; carnosa, lactescens, acerrima. — In patria pro medicamento, praecipue in curandis animalibus uti et hominibus externe adhibetur.

RADIX ENULAE. Alantwurzel. *Racine d'Aunée commune.*

Synon.: Radix Helenii seu Inulae, Enulae campanae, Elemi. Olaub- oder Aland-Wurzel, Brustalant, Helenenwurzel.

Inulae Helenii L. (Fl. Bad. III. 459. — Cl. cet. v. Flor. Chamomillae p. 64.), plantae perennis speciosae Europae mediae, Angliae, Galliae, Belgiae, passimque Germaniae, locis silvaticis montosis, in sepibus, agris cet. et cultae, caule erecto, 3—6 pedali, crasso, firmo, uti et folia radicalia maxima in petiolum decurrentia et caulina amplexicaulia, oblongo-ovata, inaequaliter denticulato-crenata, rugoso, aspero, villoso, floribus (calathiis) terminalibus magnis, luteis, in corymbum digestis, squamis calycis (periclinii) exterioribus magnis foliaceis, ovatis, squarrosis, ligulis radii numerosissimis angustis, receptaculo (anthoclinio) nudo, achaenis 4-gonis, pappo simplici, sessili, piloso, coronatis, Radix grossa, primo vere vel autumno e plantis annosioribus colligenda celeriterque siccanda, cylindrico-ramosa, supernè digitum ad pollicem et ultra crassa, passim collo tuberoso multicipiti, pugni crassitudine, praedita, ramis crassis et longis, curvatis; glabra, externe flavo-fuscescens, intus alba, carnosa; siccata autem externe laete griseo-fusca, parum rugosa, intus cinereo-albida, punctis fuscescentibus adspersa; sub cortice annulus conspicuus fuscescens; consistentia densa, dura, ponderosa, sed fragilis, fractura inaequali opaca, in scindendo partes resinoso-nitentes ostentans; in triturando pulverem pallide-cinereum praebens; odore forti, haud ingrate aromatico, inter odorem radicis Calami et radicis Iridis medio, et sapore irritante aromatico, subnauseoso; tinctura iodi radicem non nisi fuscam colorat. — *Part. const. praev.:* Camphora propria et Inulinum. — *Vis:* incitans, tonico-stomachica, diaphoretica, diuretica, anthelmintica (?).

Sit radix densa, ponderosa, carnosa, valde aromatica; radix cariosa vel mucida, aut lignosa, parum odora, rejiciatur.

Usus: In pulvere, electuario, infuso et decocto. — *Praep.:* Extractum, Tinctura, Unguentum, Conserva, Conditum, Vinum. — Additur aliis quoque compositionibus.

RADIX EPHEMERI MATTHIOLI. Matthiols Tagblumenwurzel. *Racine d'Ephemerum.* — *Lysimachiae Ephemeri* L. (*L. salicifoliae* MILL. — Cl. cet. v. Herba Lysimachiae p. 130.), plantae pulcherrimae Galliae, Sibiriae, Persiae, caule erecto, foliis lineari-lanceolatis glaucis et floribus amoene rubellis, racemum elongatum terminalem formantibus, Radix fibrosa, grate odora et adstringens. — Apud nos non adhibetur.

RADIX ERINACEAE seu GENISTAE ERINACEAE. Igel-Wollblumen-Wurzel. *Racine de Vulneraire hérissée.* — *Anthyllidis Erinaceae* L. (Cl. cet. v. Radix Liquiritiae p. 257.), fruticis ramosissimi Hispaniae et Africae borealis, Radix magna, lignosa, adstringens (?). — Olim pro medicamento adhibebatur. Hodie exolevit.

RADIX ERYNGII seu SIRINGII, Acus Veneris, Capituli Martis, Asteris inquinalis, Cardui volutantis aculeati. Mannstreuwurzel, Radendistel-, Brackendistel-Wurzel. *Racine de Panicaut* ou *de Chardon Roland.* — *Eryngii campestris* L. (Fl. Bad. I. 601. — Cl. cet. v. Rad. Astrantiae p. 219.), plantae perennis indigenae, aculeatissimae, ad vias, in arvis siccis cet. vulgaris, caule erecto divaricato-ramosissimo, duro, foliis 3-nato-bipinnatifidis, radicalibus petiolatis, caulinis auriculato-amplexicaulibus, spinoso-denticulatis, glabris, reticulato-venosis, albidis, rigidis, umbellis capitatis terminalibus, ovatis, in cymas digestis, flosculis virescente-albis, paleis

et involucri foliolis simplicibus, spinosis, calyce corolla longiori, fructibus solidis, cum spermapodio connatis, Radix fusiformis, praelonga, tenuis, superne digitum vix crassa, griseo-fusca; inter siccandum corrugatur et rugosa, superne passim annulata fit, coma penicilliformi, ex residuis petiolorum laete grisea, praedita, intus flavescens carnosa; facile humorem ex aëre attrahit, tunc mollis, tenax; fere inodora, sapore dulciusculo-mucilaginoso. — *Part. const. praev.*: Saccharum et Mucilago. — *Vis:* nutriens, pectoralis, diuretica, stimulans (?). — *Usus*: In decocto. — *Praep.*: Conserva, Radix Eryngii condita. Radicibus 5 aperientibus minoribus adnumerabatur. — Aliis quoque addebatur compositionibus. Hodie apud nos rarissime adhibetur.

RADIX ERYNGII AQUATICI L., Wassermannstreuwurzel, *Racine de Panicaut aquatique*, — plantae perennis Americae borealis, caule dichotomo, foliis lineari-lanceolatis, remote ciliato-spinosis, parallelenervosis, capitulis (umbellis) pallide viridibus, globosis, involucri foliolis capitulo brevioribus. In patria pro medicamento adhibetur et radici Contrajervae (p. 223.) par ponitur.

RADIX ERYNGII MARITIMI L., Meermannstreu Wurzel, Meerwurzel, *Racine de Panicaut maritime*, — plantae perennis Europae et Africae borealis, ad oras marinas crescentis, caule crasso decumbente, ramoso, sulcato, albido, foliis radicalibus subrotundo-3lobis, spinosis, labio medio recurvo, superioribus palmatis, ramoso-nervosis, rigidis, capitulis (umbellis) ovatis, flosculis pallide coeruleis, involucri foliolis amplis, capitula superantibus, 3-cuspitatis, Radix repens, crassa, longissima, succulenta, grate odora, sapore dulciusculo-mucilaginoso. Virtutes radicis Eryngii campestris ei adscribuntur eodemque modo, sed apud nos non, adhibetur. — Radix Eryngii tricuspitati L. pari modo passim adhibetur.

RADIX ERYTHRONII FLAVESCENTIS DILL. Gelbe Hundszahnwurzel, *Racine d'Erythrone à fleurs jaunes*. — (Cl. cet. v. Rad. Dentellariae p. 236.), plantae perennis Americae borealis, Bulbus. — In patria pro emetico adhibetur; cocta autem vel assata pro nutrimento inservit. — Pari modo Bulbus Erythronii indici ROTTL. (Ledebouriae hyacinthinae ROTH.) in India orientali adhiberi et radicis Salep. (v. infra) loco usurpari fertur.

† RADIX ESULAE seu TITHYMALI. Eselsmilch- oder gemeine Wolfsmilch-Wurzel. *Racine de Tithymale, d'Esule*. — *Euphorbiae Esulae* L. (v. Hb. p. 117.) Radix cylindrico-ramosa, longa, flavescente-fusca, intus alba, lactescens, acerrima. — Proprietates Herbae habet et pari modo, sed apud nos non, adhibetur.

† RADIX et CORTEX RADICIS ESULAE MAJORIS. Große Sumpfwolfsmilch-Wurzel. *Racine d'Esule* ou *d'Euphorbe de marais*. — *Euphorbiae palustris* L. (v. Herba p. 117.) Radix crassa, ramosa, externe fusco-rubella, intus alba et rubella; accrrima, praecipue cortex, qui imprimis colligebatur. — *Vires* habet Herbae. — Sed pariter hodie apud nos non adhibetur.

† RADIX et CORTEX RADICIS ESULAE MINORIS, Tithymali Cyparissiae seu Cupressini. Kleine Wolfs- oder Eselsmilch-Wurzel, Cypressen-Wolfsmilch-Wurzel, Bauern Rhabarber. *Racine d'Euphorbe Cyprès*. — *Euphorbiae Cyparissiae* L. (v. Herba p. 117.) Radix multiceps, ramosa, fibrosa, nodosa, externe flavo-rubella, intus alba, lactescens, acerrima. *Viribus* praecedentium praedita et interne ut purgans et externe ad delendas verrucas et clavos, cet. adhibebatur. — *Praep.*: Extractum. Addebatur aliis quoque compositionibus, ut Extracto cholagogo Rolfinkii, Hydragogo eximio Renodaei, Pilulis de Esula Farneli cet. Sed pariter hodie apud nos vix adhibetur.

RADIX EUPATORII, Cannabinae aquaticae, Avicennae, Sanctae Cunigundae cet. Wasserdost- oder Wasserhanfwurzel, Sct. Kunigundenwurzel u. s. w. *Racine d'Eupatoire* ou *d'Avicenne*. — *Eupatorii cannabini* L. (v. Herba p. 117) Radix, autumno colligenda, cylindrica, calamum scriptorium ad digitum crassa et 2 — 4 pollices et ultra longa, undique fibris pluribus filiformibus ad calamum scriptorium usque crassis turionibusque obsessa, si recens laete cinereo-albida, siccata griseo-fuscescens; odore proprio haud grate aromatico irritante, sapore acri-pungente et amaro. — *Part. const.* et *Vis:* uti Herbae; praestantior autem est. — *Usus:* Idem, pariter autem hodie vix adhibetur, quanquam viribus medicatis praedita, et medicorum attentione digna.

† RADIX EUPHORBIAE COROLLATAE L., Großblüthige Wolfsmilchwurzel, *Racine d'Euphorbe à grandes fleurs*, — plantae perennis Americae borealis, pro emetico adhibetur.

† RADIX EUPHORBIAE VILLOSAE KIT., Zottige Wolfsmilchwurzel, *Racine d'Euphorbe velue*, — plantae perennis Hungariae, Galliciae, Poloniae, Sibiriae, Radix ramosa, albida, peracris. — *Viribus* emeticis et purgantibus praedita. — Nuper infusum aquosum radicis recentis pro specifico in hydrophobia laudabatur.

† RADIX EUPHORBIAE IPECACUANHAE L., Brech-Wolfsmilchwurzel, *Racine d'Euphorbe vomitive*, — plantae perennis Americae borealis, Radix cylindrica, tenuis, flavescente-cinerea, duramine lignoso cortice crassiore. — Viribus emeticis praedita et olim pro Ipecacuanha vera (p. 249.) habita. — In patria ut medicamentum adhibetur.

RADIX FARFARAE seu TUSSILAGINIS, Becchii, Ungulae caballinae cet. Huflattig- oder Roßhub-Wurzel u. s. w. *Racine de Pas d'Ane*. — *Tussilaginis Farfarae* L. (v. Herba p. 118.) Radix, sero autumno colligenda, cylindrica, ramosa, flexuosa, tenuis, calamum scriptorium circiter crassa, si recens, albida, carnosa, siccata externe flavo-fuscescens, superne passim violacea, rugosa, tuberculis sparsis obsessa, intus alba, fragilis; inodora, sapore dulciusculo-mucilaginoso, subamariusculo et adstringente; tinctura iodi radicem nonnisi fuscam colorat; infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore atro-viridi turbatur. — *Part. const.* et *Vis:* uti Herbae (?). — *Usus:* Idem. — *Praep.*: Looch. Additur Electuario resumptivo cet. — Radix vetusta, mucida, cariosa vel lignosa, rejiciatur.

RADIX FILICIS. Farrnwurzel. *Racine de Fougère mâle.*

Synon.: Männliche Farn- oder Farrenwurzel, Männlein-Wurmtüpfelfarrnwurzel, Bandwurm-, Waldfarrn-Wurzel, männliche Nierenfarrnwurzel, Johannishand, Johanniswurzel.

Aspidii Filicis maris Sw. (*Polypodii Filicis maris* L., *Nephrodii Filicis maris* R. Br.), e cl. Cryptogamia, ord. et fam. Filicum, plantae perennis indigenae, in silvis, dumetis, ad vias, in sepibus, praecipue locis lapidosis, passim vulgaris, fronde oblonga, lata, acuta, bi-pinnata et bi-pinnatifida, erecta, $1\frac{1}{2}$ — 3-pedali et $\frac{1}{2}$ – $\frac{3}{4}$ pedem lata, stipite paleaceo, pinnis oblongo-lanceolatis, pinnulis oblongis latiusculis, obtusis, serratis, glabris, soris subtus praeditis biserialibus, orbicularibus, indusiis medio affixis peltatis, subrotundo-reniformibus, Radix vel potius Caudex semi-subterraneus horizontalis vel obliquus, praelongus, cylindrico-obconicus, undique propaginibus (stipitum reliquiis) adscendentibus, imbricatis, oblongis, pollicaribus et longioribus, angulosis, 2—4 lineas crassis, plus minus curvatis uti et fibris (radicibus) tenuibus, ramoso-fibrillosis et paleis nitentibus tectus, ita ut crinibus intricatis in nodum collectis, 1—2 pollicum crassitudine, e longinquo similis est; externe colore castaneo, nitente, praecipue propaginum, intus pallide flavo-viridi, consistentia carnosa. Ab omnibus partibus decoloribus, nigrescentibus, fibris et paleis, stipes et propagines sedulo separandae et caute sed celeriter indivise vel solummodo stipes, minime autem propagines, in longitudinem fissae siccandae. Siccata radix densa carnosa, pulverem praebet pallide flavescente-viridem; in vasis bene clausis, optime in pulverem redacta, loco sicco asservanda. Odore est peculiari subnauseoso, sapore dulciusculo-adstringente, post rancido-oleoso; tinctura iodi radicem colore coeruleo-nigro imbuit; infusum aquosum liquore ferri muriatici oxydati colore nigro turbatur. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue proprium (?) vel cum Principio peculiari combinatum, Resina, Principium adstringens, Saccharum et Amylum. — *Vis:* anthelmintica.

Sit radix recens siccata, supra ut bonae notae descripta, propaginibus fusco-nitentibus crassis, integris, intus penitus pallide viridibus, carnosis praedita; radix vetusta autem, intus fusca vel propaginibus tenuibus nigris exsuccis praedita, uti et pulvis fuscus, omnino rejiciatur. — Cave confundas cum radice Aspidii Filicis foeminae Sw. (Polypodii Filicis foeminae L., Asplenii Filicis foeminae Bernh., Athyrii Filicis foeminae R. Br.), plantae pariter vulgaris et iisdem locis occurrentis, descriptae simillimae, sed stipite nudo, fronde bipinnata, pinnulis angustioribus acutis, inciso-

denticulatis, denticulis bi-trifidis, soris oblongis, indusiis a latere affixis. Caudex hic subterraneus multo brevior est, fere perpendicularis, propagines imbricatae tenuiores, compresso-canaliculatae, colore obscuriore fusco, inter siccandum fere nigrescit et magis corrugatur, ita ut maxima ex parte e tunicis coriaceis constet; intus minima ex parte tantum sordide viridis. Aliae Radices vel Caudices similes ut: Nephrodii cristati et Nephrodii dilatati Mx., (Aspidii cristati et Aspidii dilatati Sw., Polypodii L.) cet. semper tenuiores et breviores sunt, carent etiam paleis et odore proprio radicis genuinae supra memorato. — De radice Pteridis aquilinae L. conf. sequens.

Usus: In pulvere (qui recens pallide viridescens esse debet), in decocto (minus apte).— *Praep.:* Oleum pingue resinosum. Additur aliis quoque compositionibus vermifugis.

RADIX FILICIS FEMINAE seu **FOEMINAE**, Radix Filicis majoris ramosae. Farrenwurzel-Weiblein, Jesus Christus-Wurzel, Adler-Farrn-Wurzel. *Racine de Fougère femelle, de Ptéride.* — *Pteridis aquilinae* L. (Cl. cet. praeced.). — Filicis Germaniae maximae, perennis, in dumetis, silvis caeduis cet. vulgaris, stipite erecto 2 — 5-pedali, glaberrimo, rigido, fronde terminali supradecomposita, ramis 3 magnis horizontaliter expansis, bi-pinnatis, foliolis subsessilibus lanceolatis, integerrimis, inferioribus pinnatifidis, laciniis oblongis obtusis, margine subreflexo, soris subtus marginalibus linearibus, indusio margine adnato tectis. Radix vel potius Caudex subterraneus sero autumno colligendus, horizontalis, cylindricus, longissimus, subramosus, vermis instar flexuoso-curvatus, calamum scriptorium ad digitum minimum crassus, subnodosus et hinc inde fibris tenuibus tectus, externe fuscus, opacus, tomento quasi brevissimo passim tectus, versus stipitem glaber et nigrescens, cortice crasso et duramine sublignoso, albido et virescente, fusco-maculato; in sectione obliqua figura conspicua, aquilae duplici quodammodo similis; inodorus, si vero teritur aut cum aqua infunditur nidorem exspirat nauseoso-oleosum; sapore nauseoso-amariusculo subadstringente; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit; infusum aquosum mucilaginosum liquore ferri muriatici oxydati colore nigro-fusco turbatur. *Part. const. praev.:* uti praecedentis (?). — *Vis:* eadem (?). — *Usus:* Idem; praecipue etiam contra taeniam, sed apud nos immerito vix, adhibetur. — Radix vetusta, intus fusca vel nigrescens rejiciatur.

RADIX FILIPENDULAE, Saxifragae rubrae, Rad. Oenanthes (?), Filicis floridae seu Osmundae (?). Filipendel- oder rothe Steinbrechwurzel, Wasserfarrn. *Racine de Filipendule, de Saxifrage rouge, de Fougère aquatique.* — *Spiraeae Filipendulae* L. (v. Flores p. 65 et Herba p. 118.) Radix perennis, sero autumno colligenda; tubera exhibens oblonga vel turbinata, 1/2 - 3 pollices longa, in fila exeuntia, quibus nova tubera adnexa sunt, ita ut plura cohaereant (filipendula), colore externe obscure fusco, intus pallide rubello, dum recens, carnosa; odore debili, sed grate aurantiaco, sapore dulciusculo, acerbo, subamaro et adstringente; inter siccandum corrugatur, rugosa, densa et dura fit; tinctura iodi radicem colore coeruleo-nigro imbuit; infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope pariter coeruleo-nigro coloratur. — *Part. const. praev.:* Paullum Olei aetherei, Principium adstringens, Saccharum et Amylum. — *Vis:* nutriens, tonica, vulneraria, antiepileptica (?), diuretica, lithontriptica (?). — Hodie vix adhibetur. — Ex radice recente multa Faecula seu Amylum parari potest.

RADIX FOENICULI, Foeniculi vulgaris seu dulcis. Fenchelwurzel. *Racine de Fenouil.* — *Foeniculi vulgaris* GAERTN. (*Anethi Foeniculi* L., *Mei Foeniculi* SPR. — v. Herb. p. 119 et Semen) Radix, sero autumno colligenda, fusiformis, subramosa, superne digitum ad pollicem et ultra crassa, 1 — 2 pedes longa, superne annulata, inferne tuberculis sparsis et fibris praedita, externe cinereo-albida, intus alba carnosa; inter siccandum corrugatur et in longitudinem rugosa fit, externe colore pallide cinereo, intus alba, duramine flavescente, saepius mundata prostat; odore, si recens, foeniculino et sapore aromatico-dulci, siccata parum odora et sapida; tinctura iodi radicem colore coeruleo-nigro imbuit. — *Part. const. praev.:* Saccharum, Amylum et parum Olei aetherei. — *Vis:* nutriens, incitans, stomachica, aperiens ((?). — *Usus:* In infuso, speciebus admiscetur. — Radicibus 5 aperientibus majoribus adnumerabatur. — Hodie raro adhibetur. Radix vetusta cariosa vel lignosa rejiciatur.

RADIX FRAGARIAE seu **FRAGULAE**. Erdbeerwurzel. *Racine de Fraisier.* — *Fragariae vescae* L. (v. Herb. p. 119.) Radix autumno colligenda, rhizomate cylin-

drico-fusiformi, tenui, subcurvato, 2 — 3 pollicari, superne squamis laete ferrugineis tecto et subtus fibris longis filiformibus, ramosis, fuscis praedito, intus flavescente-rubellum, carnosum, duramine lignoso, Radix ex plantis cultis plerumque crassior, subtuberosa, rugosissima, colore obscuriore et fibris pluribus praedita; inodora, sapore adstringente; infusum aquosum liquore ferri muriatici oxydati colore coeruleo nigro imbuitur. — *Vis:* tonica, vulneraria. — *Usus:* In infuso. Hodie rarissime adhibetur.

RADIX FRANCISCEAE UNIFLORAE POHL. Einblumige Franzisceen Wurzel, *Racine de Franciscée à une fleur*, — plantae brasiliensis e fam. Scrophularinearum, Radix nauseoso-amariusculo-acris. — *Vi* drastica praedita. — In patria praecipue in lue venerea inveterata laudatur.

RADIX FRASERAE seu COLUMBO AMERICANAE. Amerikanische Frasera oder Columbo-Wurzel *Racine de Colombo de Mariette* ou *d'Amrique*. — *Fraserae Waltheri* Mx., e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Gentianearum, plantae perennis Americae borealis, Radix crassa amara. — In patria Radix Colombo loco adhibetur. Eandem esse, quae supra (p. 232.) ut Radix Columbo falsa seu spuria descripta est, veri est simile.

RADIX FRAXINELLAE eadem est quae Radix Dictamni albi (p. 236.).

RADIX GALANGAE. Galgantwurzel. *Racine de Galanga.*

Alpiniae Galangae Sw. (*Marantae Galangae* L. (?) — Cl. cet. v. Cardamomi p. 26.), plantae perennis Archipelagi malaccensis, sumatrensis, Radix vel potius Caudex subterraneus radiciformis, tuberoso-cylindricus, curvatus, ramosus, geniculatus. Distingui solent: 1) Radix Galangae major, großer Galgant, *grand Galanga*, — segmenta exhibet 2 - 3 pollicaria et digitum ad pollicem crassa, externe fusco-rubra, in longitudinem tenere striata et annulis tenuibus albidis, 1 — 3 lineas distantibus praedita, intus pallidiora, rufescentia, passim griseo-flavescentia; 2) Radix Galangae minor, kleiner Galgant, *petite Galanga*, — frusta exhibens praecedentium simillima sed tenuiora, calamum scriptorium ad digitum minimum vix crassa, externe saturatius fusca, annulis albidis distinctius apparentibus. Galanga haec ab alia planta, adhuc ignota, passim derivatur. Quod autem hodie Galangae minoris nomine venditur, nihil aliud est nisi frusta tenuia ex eadem specie a mercatoribus selecta. — Galanga dura et densa est, tenax, structura fibrosa, difficilis in pulverem laete fusco-rubrum redactu; odore grate aromatico et sapore aromatico, peracri-urente, diu adhaerente. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Resina aromatica peracris. *Vis:* excitans, nervina, stomachica, emmenagoga (?).

Sit Galanga densa, ponderosa, grate aromatica; vetusta autem, fere insipida vel cariosa rejiciatur. — Cave confundas cum Radice Galangae spuriae, a Kaempferia Galanga L. derivata, quae pallidior et odore praedita zinziberino. Cum radice Cyperi longi et Cyperi rotundi (p. 235.) vix unquam confundatur.

Usus: In pulvere raro. — *Praep.:* Tinctura, Oleum aethereum. Additur aliis quoque compositionibus, ut: Tincturae aromaticae, Essentiae carminativae Wedelii, Aquae anhaltinae, Aq. mirabili cet.

RADIX GALEGAE VIRGINIANAE L. Virginische Geisrauten Wurzel, *Racine de Galéga de Virginie*. — (Cl. cet. v. Herb. Galegae p. 119.). In patria ut anthelminticum adhibetur.

RADIX GALII MONTANI CRETICI. Strauchlabkraut Wurzel. *Racine de Caille-lait de Crète.* — *Galii graeci* L. (Cl. cet. v. Rad. Rubiae tinctorum p. 274.), fruticis Graeciae, Cretae insulae, Radix crassa et longa, lignosa, sapore acerbo. — Apud nos exolevit.

RADIX GEI CANADENSIS. Kanadische Nelken- oder Benedikten Wurzel *Racine de Benoite de Canada* — (Cl. cet. v. Rad. Caryophyllatae p. 227.), plantae perennis Americae borealis, Radix.— In patria ut tonicum, praecipue in diarrhoea infantum, maxime laudatur.

RADIX GEI VIRGINIANAE L., Virginische Benedikten- oder Nelkenwurzel *Racine de Benoite de Virginie*, plantae pariter Americae borealis, Radix.— In patria pro radice Caryophyllatae usurpatur. Iisdem praedita proprietatibus.

RADIX GENTIANAE. Enzianwurzel. *Racine de Gentiane.*

Synon.: Radix Gentianae majoris seu luteae, Rad. Gentianae rubrae, R. Gentianae veterum. Gelber oder rother Enzian, großer Enzian, Gentian, Bitterwurzel, Berg-Fieberwurzel. *Racine de Gentiane jaune* ou *de grande Gentiane*.

Gentianae luteae L. (Fl. Bad. I. 585.), e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Gentianearum, plantae speciosae perennis montanae, subalpinae et alpinae, Europae mediae, Helvetiae, Germaniae cet., caule 1½—3 pedali simplici, fistuloso, foliis oppositis, inferioribus petiolatis ellipticis, superioribus sessilibus subconnatis, subcordato-ovatis, omnibus integerrimis, 5-nervis, glabris, floribus verticillato-fasciculatis luteis, calyce tunicato spathaceo, ab uno latere profunde fisso, corolla rotata, profunde 5-partita, Radix, e planta annosa autumno colligenda, cylindrica vel cylindrico-subfusiformis, subramosa, superne digitum ad pollicem et ultra crassa, 1½—4 pedalis, externe fusca, intus flava, carnosa. Siccata prostat in segmentis ½—1 pedalibus, passim in longitudinem fissis, externe praecipue in collo insigniter annulatis, inferne et in ramis plus minus irregulariter in longitudinem rugosis, intus colore plus minus flavo, vel aurantiaco, in sectione transversali 3 partes distinctae conspicuae, cortex fuscus crassiusculus, qui lineam periphericam densam et medullam carnosam subspongiosam includit; in statu ordinario hygroscopico mollis, tenax et flexilis, plane exsiccata, fragilis, facilis in pulverem fuscescente-flavum redactu; odore, si recens, subnauseoso, subacri, siccata odore debili aromatico, sapore peramaro, diu faucibus adhaerente, primo subdulciusculo; tinctura iodi radicem nonnisi colore fusco imbuit. — *Part. const. praev.*: Gentianinum. — *Vis:* tonica, stomachica.

Sit radix crassa, intus colore intense luteo vel aurantiaco, carnosa, peramara; vetusta autem, cariosa vel mucida, aut lignosa, pallida rejiciatur. Haud raro ei aliarum Gentianae specierum radices substituuntur, ut: Gentianae punctatae L., Gentianae pannonicae Scop., Gentianae purpureae L., plantarum perennium iisdem passim locis ac descriptae crescentium, plerumque autem minorum, corollis cuneiformi-campanulatis, speciosioribus, flavo- et purpureo-pictis vel purpureis; quae radices plerumque minores, colore intus pallidiore vel obscuriore fuscescente; ceterum iisdem proprietatibus praeditae.— Cave confundas cum radice Veratri albi L., plantae ante inflorescentiam Gentianae luteae adspectu subsimilis, sed radix ipsa valde a radice Gentianae discrepat (v. Rad. Hellebori albi p. 246.); porro cum

radice Belladonnae (p. 221.), quae praeter cetera discrimina descripta sapore caret insigni amaro et tincturae iodi ope colore coeruleo-nigro imbuitur.

Usus: In pulvere, infuso et decocto. — *Praep.:* Extractum, Tinctura simplex et composita, Vinum gentianinum, Gentianinum. Additur aliis quoque compositionibus amaris.

RADIX GENTIANAE ALBAE seu CERVARIAE ALBAE. Weiße Enzian, oder große weiße Hirschwurzel. *Racine de Gentiane blanche, de Laser à larges feuilles.* — *Laserpitii latifolii* L. (Fl. Bad. I. 655. — Cl. cet. v. Radix Angelicae p. 213.), plantae perennis speciosae montanae, subalpinae, Germaniae, Helvetiae et reliquae Europae, caule erecto superne ramoso, foliis magnis expansis, duplicato-pinnatis, foliolis passim 2 — 3 pollicaribus, oblique cordatis, mucronato-dentatis, glabris, vaginis amplis ventricosis, umbellis terminalibus magnis, multiradiatis, planis, involucris et involucellis polyphyllis reflexis, floribus albis seu rubellis aequalibus (descript. fructus v. Semen infra), Radix crassa multiceps, cylindrico-ramosa, 1 1/2 pedes et ultra longa, superne coma penicilliformi fibrarum laete fuscarum praedita, externe cinereo-fusca, intus alba, sublactescens; inter siccandum externe nigrescens, et rugosa, aspera fit; saepius mundata prostat et frusta exhibet alba levia; odore forti aromatico, radici Angelicae simili et sapore acri-aromatico, mordaci et amaro. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Resina acris et Principium amarum (?). — *Vis:* stomachica, alexipharmaca (?). — *Usus:* In pulvere, infuso, praecipue cum cerevisia parato, a rusticis. Ceterum hodie radix efficax immerito vix a medicis, non nisi passim veterinariis, pro medicamento adhibetur. — Radix vetusta, cariosa, fere inodora, omnino rejiciatur.

RADIX GENTIANAE ASCLEPIADEAE L. Schwalbenwurzartiger Enzian, *Racine de Gentiane asclépiadée* (Fl. Bad. I. 588.), plantae perennis montanae, subalpinae, Germaniae, Helvetiae, Hispaniae, Caucasi cet., caule erecto, 1 — 2-pedali, foliis cruciatim oppositis, amplexicaulibus, subcordato-ovatis, acuminatis, 5-nervis, in margine asperis, floribus axillaribus oppositis, corolla speciosa cuneiformi campanulata, 5-fida, coerulea, intus punctis saturatioribus picta, Radix multiceps flava, amara. — Proprietates Gentianae luteae possidet (?). Apud nos autem exolevit.

RADIX GENTIANAE CATESBAEI NUTT. Catesbaeus-Enzian, *Racine de Gentiane de Catesby*, plantae perennis Americae borealis, Radix flexuosa, ramosa, amara. — In patria officinalis est.

RADIX GENTIANAE CHIRAYTAE ROXB., (Henriceae pharmacearchae LEM. LIS.) Chiraita-Wurzel, *Racine de Chiraita* (Cl. cet. praecedentis), plantae perennis Indiae orientalis et Aegypti, Radix, Gentianae luteae cet. similis; secundum aliam descriptionem siccata in commercio occurrens, frustula exhibet 6-pollicaria et calamum scriptorium crassa, undique tuberculis sparsis praedita, externe rubicunda, intus alba, sapore amarissimo. — In patria ut tonicum, stomachicum, febrifugum maxime aestimatur. — Sed Calamum verum veterum esse, quod nuper contendebatur, falsum est.

RADIX GENTIANAE CRUCIATAE L., Kreuz-Enzianwurzel, Kreuzwurzel, Sibyllenwurzel, Modelgeer, Heil aller Schäden, *Racine de Gentiane crucifère* (v. Herb. p. 112.), Radix perennis, digitum crassa, ramosa, albida, amara. *Viribus* praecedentium praedita. — Olim praecipue ut vulnerarium laudabatur. Hodie exolevit.

RADIX GENTIANAE INDICAE. Indischer Enzian. *Racine de Gentiane d'Indes.* — Hoc nomine a Lusitanis radix quaedam geniculata, pallide flavescens, variis tuberculis et circulis, Hypecacuanhae instar, calamistrata, ante aliquod tempus ex America allata fuit, quae saporis tam penetrantis aromatici tantaeque amaritudinis, neutiquam autem ingratae, esse fertur, ut nostra Gentiana, Colocynthis aliaque amara cum hac collata, insipida ac inertia vocari mereantur (?) — Laudabatur praecipue ut febrifugum praestantissimum, ita ut ex sola masticatione et saliva deglutita febres tanquam incantamento fugare perhibeant. Planta hujus radicis miraculosae (?) adhuc ignota est.

RADIX GENTIANAE NIGRAE seu CERVARIAE NIGRAE. Schwarzer Enzian, große schwarze Hirschwurzel, Hirschheilwurzel, Hirsch- oder Bergpetersilchenwurzel. *Racine de Carotte de montagne, de Persil de montagne.* — *Peucedani Cervariae* LAPEYR. (*Athamantae Cervariae* L. — Fl. Bad. I. 656. — Cl. cet. v. Rad. Angelicae p. 213.), plantae perennis indigenae speciosae, caule erecto firmo, superne ramoso, glabro, sulcato-striato, foliis radicalibus magnis, sub-triplicato-pinnatis, caulinis paucis sessilibus, pinnulis ovatis, mucronato-denticulatis, glabris, rigidis, nitentibus, subtus reticulatis, umbellis terminalibus magnis multiradiatis, planis, involucris et involucellis polyphyllis, floribus albis vel rubellis aequalibus (de fructibus conf. Semen), Radix, e plantis annosioribus primo vere colligenda, crassa, fusiformis, 8—12 pollicaris, superne digiti pollicisve ambitum aequans et coma penicilliformi fibrarum fuscarum rigidarum ex petiolorum ruderibus praedita, uniceps, raro multiceps, annulata, inferne (siccata) in longitudinem sulcato-rugosa et hinc inde verrucis obsessa, externe obscure griseo-fusca, subnigrescens, aspera, intus sordide alba, flavescens, punctis resinosis sparsis percussa, dura sed fragilis, consistentia densa, farinoso-carnosa, odore forti aromatico balsamico, et sapore acri-aromatico. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Resina acris. — *Vis:* incidens, nervina, febrifuga (?). — *Usus:* In pulvere. — Hodie solummodo in arte veterinaria usurpatur. — Radix vetusta, cariosa, aromate egens, rejiciatur. — Saepius cum Radice Meu (p. 259.) confunditur.

RADIX GENTIANAE PURPUREAE L., seu Cursutae, Purpurrother Enzian. *Racine de Gentiane pourprée*, — radicis Gentianae luteae similis, sed plerumque

tenuior, colore obscuriore fusco, rugosissima, annulis autem transversalibus carente; ceterum pariter amara et haud raro pro vera radice Gentianae luteae colligitur (p. 243.).

RADIX GENTIANELLAE seu GENTIANAE AUTUMNALIS. Kleine Herbstenzian-Wurzel. *Racine de Gentianelle.— Gentianae Amarellae* L. (v. Herba p. 121.) Radix fibrosa, flavescens, amara.— Hodie pariter atque Herba exolevit.

RADIX GENTIANELLAE ALPINAE MAGNO FLORE. Stiellose oder großblumige Enzianwurzel *Racine de Gentiane grandifleure. — Gentianae acaulis* L. (Fl. Bad. I. 591. — Cl. cet. praeced.) plantae alpinae, caule vix digitali 4-gono, foliis lanceolatis acutis, 3-nerviis, glabris, in rosulam congestis, flore terminali solitario, magno, azureo, cuneiformi-campanulato, 5-fido, Radix multiceps, praemorsa, fibris crassiusculis obsessa, amarissima. — Olim praecipue in morbis biliosis commendabatur. Hodie pariter obsoleta.

RADIX GENTIANELLAE HIPPION. Frühlings-Enzian Wurzel. *Racine de Gentiane printanniere. —Gentianae vernae* L. (Fl. Bad. I. 593.), plantae in pratis humidis, praecipue montosis, praecedenti similis, sed minoris, foliis radicalibus in orbem congestis, ovatis, sub-3-nerviis, caulinis multo majoribus, floribus parvis coeruleis infundibiliformibus, 5-fidis, dentibus minutis, argute bifidis, laciniis interjectis, Radix fibrosa, — Hodie obsoleta.

RADIX GERANII MACULATI L., Gefleckte Storchschnabelwurzel, *Racine de Bec de Grue tachetée* (Cl. cet. v. Herba Geranii batrachiodis p. 121.), plantae perennis Americae borealis, Radix crassa, tuberosa, peradstringens. — In patria forma pulveris vel infusi in diarrhoea, contra aphtas cet. adhibetur.

RADIX GERANII TUBEROSI L., Knollige Storchschnabelwurzel, *Racine de Bec de Grue tubereuse,* — plantae perennis Europae australis, Caucasiae, Radix tuberosa, adstringens. — Externe ut adstringens adhibetur.

RADIX GILLENIAE. Gilleniemwurzel. *Racine de Gillenie. — Gilleniae trifoliatae* MOENCH. (*Spiraeae trifoliatae* L.— Cl. cet. v. Rad. Barb. caprinae p. 219.), plantae perennis Americae borealis, Radix ramoso-fibrosa, flexuosa, tenuis, vix calamum scriptorium crassa, hinc inde impresso-geniculata, radici Hypecacuanhae (p. 249.) subsimilis, sed pallidior, externe flavescens, intus alba, duramine lignoso. — In patria pro emetico, Hypecacuanhae loco, usurpatur. Ceterum vires emeticas incertas esse ferunt. — Pari modo etiam Radix Gilleniae stipulaceae NUTT., plantae item Americae borealis, adhibetur.

RADIX GINSENG seu NINSI, Ninzin, Dsin, Zingin, Jinchen, Gin-sen, Gensing Jaenson, Jaensom, Nisii. Indianische oder japanische auch nordamerikanische Kraftwurzel, Ninsing oder Ginseng, Schinschenq *Racine de Ninzin* ou *de Ginseng. — Panacis quinquefolii* L., e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Araliacearum, plantae perennis Americae et Asiae borealis, Chinae, caule erecto herbaceo, foliis ternis, petiolatis, quinatis, foliolis oblongis, acuminatis, duplicato-serratis, mucronatis, umbella simplici, floribus albis, fructibus baccatis, bicoccis, scrotiformibus, rubris, Radix rapiformi fusiformis vel subcylindrica, subbifida. Siccata prostat in frustis calamum scriptorium ad digitum minimum, subinde fere pollicem crassis, et 2—3 pollices longis, rectis vel plus minus curvatis, rugosis, superne annulatis, externe cinereo-flavescentibus vel fuscescentibus, intus albis et flavo-punctatis, fragilibus, consistentia carnoso-farinosa, subspongiosa; odore debili aromatico et sapore primo dulciusculo irritante, radicis Liquiritiae simili, post aromatico-amariusculo. Olim ex China adportabatur decorticata, aqua fervida perfusa vel vaporum aquae ope calefacta et celeriter siccata; tum ab ima parte usque ad medium dura, rufa, resinosa et quasi pellucida, cornea fit. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Saccharum et Principium extractivum amarum (?). — *Vis:* nutriens, pectoralis, febrifuga, analeptica (?), aphrodisiaca (?). — In China, Japone et India orientali pro medicamento universali maxime aestimatur et vires ei adscribuntur miraculosae, ita ut ejus usu homines veluti immortalitatem consequi perperam sibi persuadeant. — *Usus:* In pulvere vel infuso, uti Thea. — *Praep.:* olim Morsuli. — Magno in pretio adhuc in India est; olim unica uncia quinquaginta florenis Hollandicis et ultra vendebatur, imo auri pretium excedebat. Apud nos merito haec radix, plerumque vetusta, vana proveniens, exolevit. In America autem boreali radix recens et efficax ut febrifugum cet. Chinae loco passim usurpatur. — Novissimis temporibus aliae quoque radices nomine Ginseng venduntur: e. g. quaedam cylindrica, geniculata, tenuis, fusco-nigrescens et pluribus fibris concoloribus intricatis in uno latere praedita; odore forti, radicis Serpentariae (p. 283.) simili, et sapore valerianino; forsitan ab Aristolochiae specie originem ducens.

RADIX GITHAGINIS seu NIGELLASTRI. Kornraden- oder Kornnelken Wurzel *Racine de Lampette de blés. — Lychnitis Githaginis* SCOP. (*Agrostematis Githaginis* L. v. Herba p. 121.) Radix simplex fusiformis, fibrosa, albida; inodora, sapore amariusculo. — Hodie exolevit.

RADIX GLAUCII LUTEI seu PAPAVERIS CORNICULATI. Gehörnte Mohnwurzel. *Racine de Pavot cornu. — Glaucii lutei* SCOP. (*Chelidonii Glaucii* L. — v. Herba p. 141.) Radix, primo vere e planta bienni colligenda, cylindrico-ramosa, externe fusca, recens, si vulneratur succum croceum acrem exsudans. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus:* Uti Herbae.

RADIX GLYCYRRHIZAE SILVESTRIS. Wilde Süßholzwurzel. *Racine d'Astragale réglisier. — Astragali glycyphylli* L. (v. Herba p. 122.) Radix praelonga, cylindrico-ramosa, externe fusca, intus alba, lignosa, tenax; sapore subdulciusculo. — Hodie exolevit. Passim cum Radice Astragali exscapi (p. 219.) confundi fertur.

RADIX GMELINAE ARBOREAE ROXB., Baumartige Gmelinenwurzel, *Racine de Gmelina arborée* (Cl. cet. v. Herba Verbenae p. 159.), arboris Indiae orientalis, Radix. — In patria ut carminativum, pectorale cet. crebre adhibetur.

RADIX GRAMINIS. Graswurzel. *Racine de Chiendent.*

Synon.: Radix Graminis canini, arvensis seu albi. Kriechende- oder Quecken-Weizenwurzel, Hundsgraswurzel, Päden.

Tritici repentis L. (Fl. Bad. I. 294.), e cl. Triandria, ord. Monogynia, fam. Graminearum, plantae perennis ubique in

arvis, vineis, hortis cet. vulgaris, culmo erecto, subtus subincurvo, foliis gramineis (v. p. 122.), superne subasperis, spica longa gracili, disticha, spiculis sub 5-floris, glumis lanceolatis acutis, 5-nerviis, inferioribus muticis vel aristatis (plantae pro loco natali maxime variabilis), Radix vel potius Caudex subterraneus, repens, primo vere vel autumno colligendus, longissimus, filiformis, calamum stramineum circiter crassus, articulato-geniculatus, subramosus, geniculis pollicaribus, squamis papyraceis et fibris (radiculis) capillaribus terminatis, quae sedulo defricandae; albus, glaber, tenax, intus succulento-carnosus; inter siccandum paullum corrugatur et stramineus durusque fit; inodorus, sapore grate dulci, subirritante. — *Part. const. praev.:* Saccharum sui generis et Principium extractivum. — *Vis:* nutriens, resolvens, aperiens, diuretica, alterans.

Sit bene mundata et exsiccata, albo-flavescens, carnosa, grate dulcis; nigrescens autem vel exsucca, lignosa, fere insipida aut mucida, acidula, rejiciatur.

Usus: In decocto, passim succus expressus. — *Praep.:* Extractum et Mellago. — Additur etiam variis speciebus.

RADIX GRAMINIS NODOSI. Knollige Graswurzel, französische Raigraswurzel. *Racine de Fromentale.* — *Holci avenacei* Scop. (*Avenae elatioris* L. — Fl. Bad. I. 249. — Cl. cet. praecedent.), Graminis vulgatissimi pratensis, adspectu avenae, sed floribus minoribus polygamis, Caudices passim tuberosi, pisi ad nucis avellanae magnitudine; sapore dulci. — Hinc inde ut praecedens adhibetur.

†RADIX GRATIOLAE, Gratiae Dei. Aurinwurzel, Gottes Gnadenwurzel u.s.w. *Racine de Gratiole.* — *Gratiolae officinalis* L. (v. Herba p. 122.) Radix vel potius Caudex subterraneus repens, cylindrico geniculatus, calamum scriptorium crassus, albus, carnoso-succulentus, verticillatim fibrosus, amarissimus. — *Part. const. praev.: Vis* et *Usus:* Uti Herbae; sed hodie rarissime adhibetur.

RADIX GUACO. Guacowurzel. *Racine de Guaco.* Eodem modo adhibetur atque Herba (p. 122.), passimque ei praefertur.

RADIX GUAJAVAE. Guajavawurzel. *Racine de Gajavier rouge.* Eodem modo atque Folia (p. 76.) adhibetur.

RADIX HEDYSARI SENNOIDIS W., Sennesblätterartige Hahnenkopfwurzel, *Racine de Sainfein à feuilles de Senné* — (Cl. cet. v. Radix Liquiritiae p. 257.), fruticis Indiae orientalis, Radix. — In patria ut incidens et tonicum adhibetur.

RADIX HELENAE SANCTAE, Rad. Cyperi Hernand. Sanct Helenenwurzel. *Racine de la Sainte Hélène.* — Cyperi forsitan speciei, hucusque ignotae, Radix. — Ex America advehitur. Nodosa est, pollicis crassitudine, extrinsecus nigra, intus alba, saporis aromatici, Galangae similis. — Sphaerulas faciunt ex nodis recitandis ad numerum precibus idoneas, quibus de collo suspensis, tam Hispani quam Indi, multas tribuunt virtutes. Indi radices recentes conterunt, totique corpori in balneo se lavaturi inducunt, persuasi enim eis constringi et membra roborari. Pulvis interne ex vino haustus ad ventriculi dolores et urinae difficultatem commendatur.

RADIX HELIANTHI TUBEROSI L., Erdäpfel, Erdbirnen, Erdartischocke, Jerusalems Artischocke, Knollige Sonnenblumenwurzel, *Racine de Topinambour*, (Fl. Bad. III. 494.) e cl. Syngenesia, ord. Polygamia frustranea, fam. Compositarum, trib. Radiatarum, plantae perennis brasiliensis, nobis cultae, caule 4—8-pedali et altiori, superne ramoso, uti et folia ovato-cordata, triplinervia, scaberrimo, floribus (calathiis) numerosis mediocribus, flavis, Tubera crassa oblonga, tuberibus Solani tuberosi subsimilia, sed magis gibboso-annulata, externe rufescentia, intus alba, carnoso-succulenta, sapore dulciusculo, subnauseoso. — *Part. const. praev.:* Inulinum et Saccharum. — *Vis:* nutriens. — *Usus:* diaeteticus. — Ad parandum Inulinum quoque apta.

RADIX HELONIAE DIOICAE Pursh. (Veratri lutei L.), Zweihäusige Schwindblumenwurzel, *Racine d'Helonias dioïque*, — (Cl. cet. sequentis) plantae perennis Americae borealis, Radix. In regione fluminis Ohio Hypecacuanhae nomen gerit.

† RADIX HELLEBORI ALBI. Weiße Nießwurzel. *Racine d'Ellébore blanc.*

Synon.: Radix Ellebori albi, Veratri. Weiße Germer-Wurzel, Schampanierwurzel. *Racine de Vératre blanc.*

Veratri albi L. (Fl. Bad. IV. 709.), e cl. Hexandria, ord. Trigynia, fam. Colchicacearum, plantae perennis alpinae et subalpinae, Europae australis, Helvetiae, Tyrolis, passimque Germaniae, caule erecto, 2 — 4 pedali, simplici, crassiusculo, superne pubescente, foliis magnis, ovato-oblongis, plicatis, radicalibus petiolatis, caulinis vaginantibus, glabris vel pubescentibus, floribus racemosis, in paniculam erectam digestis, albidis vel virescentibus, polygamis, perigonio 6-phyllo patente, carpellis leguminaceis 3 connatis, Radix vel potius Caudex subterraneus crassus, undique fibris (radiculis) pluribus obsessus. Siccatus prostat a fibris liberatus, frusta exhibens cylindrica vel cylindrico-conica, 2 — 4 pollicaria, obtusa, digitum ad pollicem crassa, passim multicipita, tuberculoso-rugosa, aspera, cicatricibus verrucosis fibrarum sectarum saepius annulatim praedita, colore externe cinereo vel nigrescente griseo-fusco, intus albo et cinerascente vel fuscescente; annulus tenuissimus fuscescens duramen includit; durus est, subcorneus, sed fragilis et facilis in pulverem albidum redactu; inodorus, pulvis autem in minima dosi naribus admotus, sternutationem vehementissimam excitat; sapore primo nauseoso-amaro, post acerrimo-gutturali; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit. — *Part. const. praev.:* Veratrium et Amylum. — *Vis:* vehementer purgans, drastica, emetica, facile nociva, inflammationem viscerum adeoque mortem efficiens.

Sit radix dura, densa, intus albida, acerrima; vetusta autem et cariosa rejiciatur.

Usus: In pulvere, intus cautissime in minima dosi, in infuso aut decocto, etiam externe ad lotiones. — *Praep.:* Tinctura, Extractum, Mel. Admixtio est Pilularum polychrestium Starkeyi, Pulveris sternutatorii albi, Unguenti Pediculorum et additur aliis quoque compositionibus. Hodie praecipue externe in exanthematibus cutaneis, scabie cet. et in morbis animalium praescribitur. —

Veratri albi loco Radix etiam Veratri nigri L., plantae iisdem passim locis crescentis, eique simillimae, sed floribus obscure purpureis, colligitur. — Et in America boreali nomine Hellebori albi seu viridis, Radix Veratri viridis Ait. sumitur. Ex qua ibidem Aqua medicinalis Hussoni et Vinum Veratri viridis paratur.

RADIX HELLEBORI HIPPOCRATIS. Orientalische, ächte officinelle Nieswurzel oder Christwurzel. *Racine d'Ellébore d'Orient.* — *Hellebori orientalis* Lam. (*Hellebori officinalis* Salisb. — Cl. cet. subsequentis), plantae perennis speciosae, caule alto, inferne nudo, superne foliato et ramoso, paucifloro, foliis radicalibus magnis, pedatis, foliolis et lobis lanceolatis serratis, subtus pilosis, coriaceis, caulinis subsessilibus palmatis, floribus nutantibus magnis, virescente-purpureis, pedunculis bifidis, Radix peracris. — Vera Radix Hellebori nigri veterum esse traditur. Viribus subsequentis praedita, sed etiam praestantior. Apud nos non adhibetur. Radicis Hellebori Hippocratis nomine etiam Radix Adonidis (p. 211.) falso intelligitur.

RADIX HELLEBORI seu ACONITI HYEMALIS. Winternieswurzel. *Racine d'Ellébore d'hyver.* — *Hellebori hyemalis* L. (*Eranthis hyemalis* Salisb. — Cl. cet. sequentis), plantae montanae Europae australis, passimque Germaniae, caulibus erectis simplicibus digitalibus, unifloris, floribus involucro multifido, foliis radicalibus petiolatis simillimo, insidentibus, luteis, Ranunculi adspectu, Radix tuberosa, multiceps, externe fuscescens, intus alba, succulenta, peracris, drastica. — Hodie obsoleta.

RADIX HELLEBORI NIGRI, Melampodii, Veratri. Schwarze Nieswurzel

oder Christwurzel, Weihnachtswurzel, Schnee- oder Weihnachts-Rosenwurzel. *Racine d'Ellébore noir, Racine de Rose de Noël.* — *Hellebori nigri* L. (Fl. Bad. II. 561. — Cl. cet. v. Rad. Adonis p. 211.), plantae perennis alpinae, praecipue Austriae, Italiae, Apennini, Hispaniae, saltus Pyrenaei, apud nos cultae, foliis radicalibus longe petiolatis, pedatis, cuneiformi-oblongis, apice remote serratis, nudis, coriaceis, sempervirentibus, obscure viridibus, scapo uni-bi-floro, floribus speciosis nutantibus, albis et pallide roseis, calice petaloideo 5-phyllo, petalis (nectariis) 8—10 tubulosis, carpellis leguminaceis pluribus, Radix cum Rhizomate (Caudice subterraneo) colligenda, Rhizoma exhibet plerumque multiceps, cylindrico-compressum, $\frac{1}{2}$ pollicem crassum aut tenuius, 2—4 pollicare, ramoso-flexuosum, annulato-geniculatum, nodosum, siccatum leviter in longitudinem striatum et tuberculosum, superne ruderibus brevissimis petiolorum et scaporum, 1—2 lineas in diametro habentibus, plano-concavis, inferne et ad latera fibris pluribus 6—12 pollicaribus, ad basin calamum stramineum crassis, apice subramosis, rugosis praeditum. Colore externe obscure vel laete fusco, opaco, saepius indumento caesio obducto, intus albido, duramine obscuriori, consistentia dura, densa, carnosa; fibrae fragilissimae, intus passim cinerascentes sunt, cum puncto albo in medio; odore debili subnauseoso, radicis Senegae (v. inf.) subsimili, sapore primo dulciusculo, post acri-irritante mordaci, parum amariusculo. Infusum aquosum addito paullo liquoris ferri muriatici oxydati albide turbatur, et addita majori copia colore virescente imbuitur; tincturae gallarum uti et kali oxalici ope valde albide turbatur. — *Part. const. praev.:* Principium proprium acri-narcoticum, quasi resinosum, quod tamen magis investigandum — *Vis:* acri-narcotica, irritans, drastica, facile nociva. — *Usus:* In pulvere, interne in parva dosi caute, in infuso. Praecipue in arte veterinaria praescribitur. — *Praep.:* Extractum, Tinctura, Syrupus. Additur aliis quoque compositionibus. — Sit radix recens, acris, supra ut bonae notae descripta; vetusta autem, mucida vel cariosa, fere insipida, rejiciatur. — Saepissime radix haec proh dolor! cum aliis confunditur, ut: Radice Hellebori viridis (descript. v. in sequ.), Radice Hellebori foetidi L. (v. Herb. p. 123.), rhizoma exhibens multiceps, pollicem et ultra crassum, paucis ramis patentissimis longis, calamum scriptorium et ultra crassis, fibrosis praeditum, superne in segmenta fistulosa, sublignosa caulium desinens; radix externe obscure griseo-fusca, intus albida, tenax, lignosa. — Praecipue autem pro Helleboro nigro Radix Christophorianae (p. 230.) apud nos venditur, ei valde similis, sed durior, tenacior, sublignosa (ceterum conferatur descriptio l. c.). — Porro Radix Astrantiae (p. 219.), Radix Trollii europaei (p. 287.), passimque etiam Radix rapiformis Aconiti Napelli (p. 90.) admiscetur, et Radix Hellebori albi. — Propter hanc crebram confusionem vis incerta est et novae medicorum observationes solummodo fere ad radicem Actaeae spicatae spectaverint.

RADIX HELLEBORI VIRIDIS L., Grüne Nieß- oder Christwurzel, Bärwurzel, *Racine d'Ellébore vert* — (Fl. Bad. II. 562.), plantae perennis montanae, subalpinae, iisdem passim locis ac praecedens occurrentis, crebrius in nostris regionibus, Helvetia, Gallia cet., descriptae similis sed caulescentis, foliis digitato-pedatis, foliolis lanceolatis acutioribus, passim bifidis, usque ad basin inaequaliter serratis, caule dichotomo, superne foliato, floribus pluribus, pallide viridibus, Radix, praecedenti ex omni parte simillima; differt solummodo colore externe obscuriori, fere nigro, et sapore magis acri mordaci, simulque peramaro. — Ceterum ad reagentia pari modo sese habens, iisdemque *Part. const.* et *Viribus* praedita, sed etiam praestantior. — Hinc pro medicamento ei praeferenda et hoc eo magis, quod facilius genuina obtinetur.

RADIX HERACLEI LANATI MX., Heraclei Panaces L., Knollige Heilkrautwurzel, *Racine de Berce duvetée* — (Cl. cet. v. Rad. Branc. urs. germ. p. 222.), plantae perennis Europae australis et Americae borealis, Radix fragrans. — In Canada forma pulveris et in infuso in epilepsia adhibetur.

RADIX HERRERIAE. Herrerienwurzel, Sassaparill-Herrerienwurzel. *Racine de Herreria.* — *Herreriae Salsaparillae* MART. (Cl. cet. v. Aloës p. 3.), plantae scandentis brasiliensis, Radix tuberosa, radici Chinae (p. 229.) similis. — In patria cum propaginibus uti Radix Sassaparillae adhibetur. — Pari modo Radix Herreriae stellatae RUIZ. et PAV., plantae chilensis, Radix longa, fibrosa, obscure fusca, nomine Sassaparillae de Chili, Sassaparille aus Chili, *Salsepareille de Chili*, in patria usurpatur.

RADIX HEUCHERAE seu SANICULAE AMERICANAE. Amerikanische Heuchere- oder Sanickel-Wurzel. *Racine d'Heuchere d'Amérique.* — *Heucherae americanae* L., e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Saxifragearum, plantae perennis Americae borealis, Radix adstringens. — In patria in haemorrhagiis, externe in ulceribus inveteratis et ipso cancro adhibetur. — Aliae Heucherae species, ut Heuchera acerifolia, Heuchera villosa cet. iisdem gaudent proprietatibus, eodemque modo adhibentur.

RADIX HIRUNDINARIAE seu VINCETOXICI, Asclepiadis, Radix Contrajervae germanicae. Schwalbenwurzel, gemeine Hundswürgerwurzel, deutsche Giftheilwurzel. *Racine de Dompte-venin ou d'Asclepias.* — *Cynanchi Vincetoxici* PERS.

(*Asclepiadis Vincetoxici* L. — Fl. Bad. I. 557.), e cl. Pentandria, ord. Digynia, fam. Asclepiadearum, plantae perennis indigenae montanae, in collibus lapidosis, dumetis, ad vias cet. passim frequentis, caule erecto 1—2-pedali, simplici, glabro, utrinque linea pubescente praedito, foliis oppositis subcordato-ovatis, brevi-petiolatis, integerrimis, basi subciliatis, glabris, firmiusculis, umbellis axillaribus, floribus parvis albis, Radix, e plantis adultis primo vere vel autumno colligenda, rhizomate cylindrico, nodoso, horizontali, 2—3 pollicari, calamum scriptorium et ultra crasso, cinereo, undique fibris numerosissimis praelongis filiformibus, calamum stramineum vix crassis, albis, carnosis praedito, quorum plura aggregata et fibris intricatis quasi connexa apparent, ita ut radicem multicipitem mentiantur, unde radices siccatae saepius in nodum collectae prostant; odore si recens, nauseoso, radicis Asari (p. 218.) subsimili; inter siccandum fibrae flavescunt et tempore fusceseunt, et odor partim evanescit; sapore amariusculo acri. — *Part. const. praev.:* Principium proprium resinosum (?) acre et Oleum aethereum. — *Vis:* incidens, resolvens, diuretica, diaphoretica, alexipharmaca (?), facile emetica. — *Usus:* In pulvere, interne parva dosi, et infuso. — *Praep.:* Extractum, Aqua, Essentia. Additur aliis quoque compositionibus, ut: pulveri ad Strumas cet. — Hodie autem praecipue in arte veterinaria usurpatur. — Sit radix recens siccata, albida, odora et acris; vetusta autem, grisea vel nigrescens, inodora et fere insipida, rejiciatur. Confundi fertur cum Radice Valerianae (p. 288.).

RADIX HYDRASTIS CANADENSIS L., Kanadische Hydrastiswurzel oder Gilbwurzel, *Racine d'Hydrastis de Canada* (Cl. cet. v. Herba Calthae p. 102.), plantae perennis Americae borealis, Radix tuberosa, obscure lutea, peramara, quae in patria Radicis Colombo loco proponitur.

†RADIX HYOSCYAMI. Bilsenwurzel. *Racine de Jusquiaume.* — *Hyoscyami albi* L. (v. Herb. p. 125.) Radix crassa fusiformis, albida, carnoso-succulenta; inter siccandum corrugatur et externe cinereo-flavescens, intus pallide flavescens fit; odore praecipue inter siccandum nauseoso, sapore dulciusculo, sub-acri. — *Part. const.* et *Vis:* uti Herbae. — Colligi etiam potest ex planta bienni Hyoscyami nigri. Praecedens autem virulentior creditur. — Apud nos vix adhibetur.

RADIX HYPECACUANHAE. Brechwurzel. *Racine d'Ipécacuanha.*

Synon.: Radix Ipecacuanhae seu Hyppeacannae verae seu annulatae, Radix Brasiliensis, Radix Dysentericae, Poaya, Poaya preta, Cipo de Cameras Brasiliensis. Brasilianische, höckerige oder geringelte Hypekacuanhe, ächte Brechwurzel oder Speiwurzel, Ruhrwurzel.

Cephaëlidis Ipecacuanhae Rich. (*Callicoccae Ipecacuanhae* Brot.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Rubiacearum, suffruticis brasiliensis, Radix repens subcylindrica, gracilis, subramosa. In commercio prostat, in segmentis, 2 — 6 pollicaribus, inaequalibus, calamum stramineum ad scriptorium crassis, plus minus flexuosis, nodoso-annulatis, annulis protuberantibus approximatis, subdimidiatis, oppositis se invicem tegentibus, rimis profunde divisis; opacis, externe obscure griseo-fuscis vel rufis, Radix Hypecacuanhae fusca, braune Brechwurzel, aut pallide griseis, plus minus rubescentibus, Radix Hypecacuanhae grisea, graue Brechwurzel. Dura est, aspera, intus albida vel subcinerea, subcornea et resinose nitens; praecipue ex parte densa sed fragili corticali constans, duramen filiforme albidum, vel subflavescens, ligneum, tenax, facile solutu, includens; odore debili mucido, contundendo autem fortior nauseosus fit, ita ut passim vomitum ciat, sapore nauseoso peramaro, subacri. — *Part. const. praev.:* Emetium

et Amylum. — *Vis:* irritans, emetica, in minima dosi diaphoretica, resolvens, antispastica.

Sit radix recens ponderosa, cortice tecta, densa, aspera, amara, ut supra bonae notae descripta. — Cave confundas cum sequentibus radicibus similibus, pariter nomine Hypecacuanhae notis.

Usus: In pulvere, parva dosi, caute, in infuso. — *Praep.:* Syrupus, Vinum, Tinctura et Pastilli seu Trochisci, Emetium. — Immixtio est Pulveris Doveri, et aliis additur compositionibus.

RADIX HYPECACUANHAE ALBAE FARINOSAE seu UNDULATAE, Rad. Ipecacuanhae amylaceae. Weiße mehlige oder wellenförmige Brechwurzel oder Hypecacuanhe. *Racine d'Ipécacuanha blanche ondulée,* ou *farineuse.* — *Richardsoniae scabrae* MART. (*Richardiae scabrae* L.), e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Rubiacearum, plantae perennis pariter brasiliensis, Radix, descriptae primo adspectu simillima, sed plerumque paullo crassior, magis undulato-flexuosa, annulis protuberantibus carens, segmenta cylindrica et inaequaliter crassa contra sulcis semicircularibus impressis, inaequaliter distantibus, subdivisa exhibens, in longitudinem tenerrime striata, tactu mollior, externe colore plus minus pallide vel saturate cinereo, intus pars corticalis magis alba, farinosa, facilis tritu, duramen paullo tenacius; odore debili proprio uti et sapore subirritante, haud amaro. — *Part. const. praev.* et *Vis:* praecedentis, sed plus Amyli et minus Emetii continet; unde mitior. — *Usus:* Idem. Hodie autem raro in commercio prostat et si praecedens haberi potest, supervacanea.

RADIX HYPECACUANHAE seu IPECACUANHAE ALBAE LIGNOSAE. Weiße holzige Brechwurzel, falsche Hypecacuanhe aus Guiana und Cayenne *Racine d'Ipécacuanha blanche ligneuse, de fausse Ipecacuanha de Gujane* cet. — *Solcae Ipecacuanhae* SPR. (*Jonidii Ipecacuanhae* VENT., *Violae Ipecacuanhae* L. — Cl. cet. v. Flor. Violarum p. 74.), plantae perennis aeque brasiliensis, Radix cylindrico-fusiformis, crassiuscula, subflexuosa, 4—6 pollicaris, simplex vel inferne subramosa et fibrosa, externe rugosa et passim sulcis vel rimis transversalibus praedita, aspera, griseo-flavescens et fuscescens, intus pallide flavescens, radici Saponariae (v. infra) subsimilis, cortice tenui et duramine subtorto; inodora, sapore subacri, haud amaro. — Apud nos non adhibetur. Ceterum Hypecacuanhae albae nomine, aliae quoque radices albidae, viribus emeticis praeditae, vigent.

RADIX HYPECACUANHAE NIGRAE seu STRIATAE, Hypecacuanha grossa. Schwarze Brechwurzel, gestreifte Hypecacuanhe. *Racine d'Ipécacuanha noire* ou *striée.* — *Psychotriae emeticae* L. (Cl. cet. ut Cephaëlidis v. supra), plantae perennis in iisdem ac praecedentes regionibus crescentis, Radix cylindrica, crassiuscula; in sectis provenit 3 — 6 pollicaribus, calamum scriptorium ad 3 lineas et ultra crassis, rectis vel parum curvatis seu flexuosis, incisionibus transversalibus plerumque dimidiatis profundis in articulos 2—6 lineas longitudinaliter sulcatos et rugosos, cum marginibus turgidis, divisis; ponderosa et dura est, difficilis fractu, colore externe obscure griseo-fusco, nigrescente, intus laete cinereo vel albido et nigrescente; pars corticosa lineam circiter exhibens, subcornea, duramen ligneum pariter lineam crassum includit; inodora fere et primo insipida, post sapor sentitur debilis, nauseoso irritans. — *Part. const. praev.:* Emetium. — *Vis:* emetica. — *Usus:* Ut praecedentium. Apud nos autem non adhibetur.

Plures aliae radices emeticae nomen Hypecacuanhae gerunt, ut Asclepiadis asthmaticae, Polygalae Poajae M., Borreriae Poajae DEC., Jonidii brevicaulis M., aliarum Cephaëlidis et Chiococcae specierum (v. R. Caincae p. 223.), Gilleniae (p. 245.), Euphorbiae Ipecacuanhae (p. 239.) cet. Apud nos autem adhuc, praeter radices suis locis memoratae, non in usum vocatae sunt, unde praetereundae.

RADIX JABORANDI. Jaborandiwurzel. *Racine de Jaborandi.* — *Piperis reticulati* L. (Cl. cet. v. Piper nigrum p. 207.), fruticis Indiae occidentalis et brasiliensis, Radix ramosa, fibrosa, fusco-flavescens, duramine lignoso, sapore primo dulciusculo anisino, post acri-mordaci, ut Rad. Pyrethri (v. infra). — In patria contra morsum serpentum venenatorum adhibetur.

RADIX JACEAE NIGRAE seu VULGARIS, Rad. Carthami silvestris. Gemeine schwarze Klockenblumenwurzel, wilde Saflorwurzel. *Racine de Centaurée jacée.* — *Centaureae Jaceae* L. (v. Herb. p. 126.) Radix ramosa, fibrosa, amara. — Hodie uti Herba exolevit.

RADIX JALAPPAE. Jalappenwurzel. *Racine de Jalap.*

Synon.: Radix Gialappae, Chelappae, Jalapii, seu Mechoacannae nigrae, Rhabarbari nigri. Jalapenwurzel.

Convolvuli Purgae WEND. (*Ipomeae Schiedeanae* ZUCC.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Convolvulacearum, plantae perennis mexicanae, in montibus altissimis crescentis, caule

volubile, foliis cordatis acuminatis, utrinque glabris, floribus axillaribus speciosis, pulchre rubris. Radix grossa, tuberosa, rapiformis, recens albida, succulenta, lactescens. — In commercio prostat siccata, tubera exhibens subglobosa vel pyriformia, subinde oblonga vel irregularia, plerumque in apicem attenuata, parva tota, incisionibus sparsis praedita, majora autem in segmenta orbicularia convexo-plana vel discos concisa, nucis juglandis ad pugni magnitudine, externe maxime et irregulariter rugosa et tuberculosa, aspera, obscure griseo-fusca, in planis sectionum plerumque pallidiora, strata concentrica subdiscolora exhibentia, densa, ponderosa, perdura, difficilis fractu, fractura aequali opaca et stratis resinosis nitentibus intermixta, subdifficilis in pulverem cinereo-fuscescentem redactu; odore debili nauseoso, triturando magis sese exserente, sapore primo nauseoso, dulciusculo, post gutturali. — *Part. const. praev.:* Resina propria et Amylum. — *Vis:* drastica, purgans.

Sit radix ponderosa, perdura, in fractura resinosa; levis autem, intus pallida, opaca, farinosa, resinae egens vel cariosa, aut mucida, mollis, rejiciatur. Cave confundas eum radicibus falsis, quarum una Jalappae novae nomine, neue Jalappe, radici genuinae similis, sed frusta exhibens magna, irregularia, oblonga, sulcis profundis et rugis irregularibus longitudinaliter percussis, colore pallidiore sordide cinereo, fractura opaca, minus resinosa; levior quoque est. Forsitan Convolvuli speciei radix. — Altera, frusta exhibens forma radicis genuinae, rugosissima, non tuberculosa, differt porro colore, qui externe, in cortice, sordide rubro-fuscus, nigrescens, in planis sectionum rubrofuscus, in fractura recente pallide rufescens, opaca, particulis resinosis omnino carens; ceterum quoque levior est, tenax, structura subereso-lignosa, inodora, sapore debili amariusculo; subadstringente. — Confundi etiam potest cum radice Mechoacannae griseae (p. 259.) et radice Bryoniae (p. 222.). Conf. quoque Radix de Batata (p. 229.).

Usus: In pulvere, electuario, pilulis. — *Praep.:* Tinctura, Resina, Extractum, Syrupus. Additur aliis quoque compositionibus, praecipue pulveribus, pilulis, electuariis.

RADIX JAMBARANDY. Jambarandywurzel. *Racine de Jambarandi.* — *Piperis nodosi* L. (Cl. cet. v. Piper album p. 206.), plantae brasiliensis, Radix, rhizomate crasso, fibrillis pluribus ramosis obsesso, sapore Menthae piperitae (p. 136.) simili, sed acriore et minus grato. — In patria ut irritans et interne et externe in ulceribus vetustis adhibetur.

RADIX IKAN. Ikanwurzel. *Racine d'Ikan.* Hoc nomine ex China adportabantur tubera parva, oblonga, 1/2 — 1 pollicem longa, utrinque attenuata, altero apice in caudam filiformem desinentia, externe cuticula tenui, leviter reticulato-sulcata, sordide griseo-flavescente, arcte adhaerente, tecta, intus saturate lutea, densa, duramen corneum oblongum, cuticula pallide flava cinctum, includentia; odore, si teritur, proprio balsamico-aromatico, et sapore ingrato-acri. — Planta hujus Radicis adhuc ignota, forsitan ex Liliaceis (?). — *Vires* ei adscribuntur sanguinem purificantes, emmenagogae, stomachicae, carminativae et sudoriferae. — Apud nos non adhibetur.

RADIX IMPERATORIAE. Meisterwurzel. *Racine d'Impératoire.*

Synon.: **Radix Ostrutii, Radix Magistrantiae, Astrantiae. Kaiserswurzel, Magistranz- oder Ostranz-Wurzel.** *Racine d'Otruche.*

Imperatoriae Ostruthii **L. (Fl. Bad. I. 708. — Cl. cet. v.**

Rad. Angelicae p. 213.), plantae perennis montanae, alpinae, Europae mediae et australis, Galliae, Italiae, Helvetiae, Germaniae cet., caule erecto, superne subramoso, striato, glabro uti et folia inferiora duplicato-tripartita, superiora tripartita, foliolis speciosis, laete ovatis, duplicato-serratis, lobatis, vaginis amplis inflatis, umbellis terminalibus speciosis, multi-radiatis, planis, involucro nullo, involucellis oligophyllis setaceis, fructibus suborbicularibus, compressis, solidis, margine lato alato, costis dorsalibus filiformibus, valleculis 1—3-vittatis, Radix vel potius Caudex subterraneus, multiceps, horizontalis, repens, e plantis 2-ennibus et annosioribus autumno colligendus, turgidus, digitum minimum ad pollicem et ultra crassus, annulatus, ramosus, praecipue inferne fibris (radicibus) longis ramosis et propaginibus angustioribus, geniculato-articulatis praeditus, dum recens, externe pallide fuscescens, intus albus, carnosus, lactescens; inter siccandum corrugatur, et in commercio prostat fibris et propaginibus liberatus, frusta exhibens sub-cylindrica, subcompressa, inaequaliter crassa, plerumque flexuosa, 4—8-pollicaria, annulato-tuberculata, tactu dura et asperrima, colore obscure griseo-fusco, intus albido, pluribus punctis resinosis flavescentibus praedita, odore proprio forti, radicis Angelicae (p. 213.) subsimili, sapore aromatico peracri-pungente, linguae diu adhaerente, salivam ciente; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit. — *Part. const. praev.:* Principium proprium resinae simile, (Imperatorium) Oleum aethereum et Amylum. — *Vis:* excitans, diaphoretica, diuretica, resolvens, antiseptica.

Sit radix recens siccata, ponderosa, aromatica; vetusta autem vel ab insectis corrosa rejiciatur.

Usus: In pulvere, pilulis, infuso. — *Praep.:* Aqua, Oleum aethereum, Essentia, Extractum. Admixtio est Essentiae alexipharmacae Stahlii, Pulveris masticatorii, et additur aliis compositionibus. — Hodie praecipue in arte veterinaria adhibetur; sed radix efficacissima medicorum attentione magis digna.

RADIX IRIDIS seu IREOS FLORENTINAE. Florentinische Violenwurzel. *Racine d'Iris de Florence.*

Synon.: Radix Iridis albae. Florentinische Veil- oder Veilchen-Wurzel, Florentinische Schwertelwurzel.

Iridis florentinae L. et *Iridis pallidae* Lam., e cl. Triandria, ord. Monogynia, fam. Iridearum, plantarum perennium speciosarum, Europae meridionalis, Italiae et Orientis, nobis passim cultarum, quarum prior caule subbifloro, posterior multifloro, foliis ensiformibus caule brevioribus, floribus speciosis 6-partitis, irideis, barbatis, prioris lacteis, posterioris pallide

coeruleis, grate odoris, Radix vel potius Caudex crassus repens semisubterraneus, subcompresso-cylindricus, sed inaequaliter turgidus, tuberosus, annulatus et geniculato-ramosus, ramis divergentibus, subtus fibris (radicibus) firmis praeditus; externe flavo-fuscescens vel rufus, intus albus, succulento-carnosus; odore forti ingrato et sapore amaro-acri, faucibus diu adhaerente. Autumno colligendus celeriterque siccandus est. Siccatus prostat fibris et cortice privatus, tunc frusta exhibens vel oblonga, compressa, inaequalia, plus minus nodoso-ramosa, passim curvata et subrugoso-sulcata, aspera, verrucis vel punctis sparsis ex fibrarum ruderibus passim praedita, extremitatibus obtusis subconcavis, vel oblonga coniformia, plus complanata recta, tota laevia, **Radix Iridis** seu **Ireos mundata**; 2—5 pollices sunt longa et ½—1 pollicem et ultra lata, alba, sub-flavescentia, densa, dura, sed facilia tamen fractu, fractura carnoso-farinosa; odore nunc grate aromatico, florum Violarum simili et sapore farinoso amariusculo post mediocriter acri; tinctura iodi radicem colore atro-coeruleo imbuit. — *Part. const. praev.:* Amylum, Resina propria acris et Oleum aethereum (?). — *Vis:* incidens, carminativa, resolvens, diuretica, hydragoga, in majori dosi facile purgans, emetica; sternutatoria, mundificans.

Sit radix alba compacta, ponderosa, odoratissima; radix fuscescens, mucida vel ab insectis corrosa, parum odora, rejiciatur. De confusione cum Radice Iridis germanicae v. sequens.

Usus: In pulvere interne, in parva dosi, caute, externe partibus cariosis cet. adspergitur. — *Praep.:* Faecula, Extractum, Species diaireos, Oleum infusum, Aqua violacea. Admiscetur pulveribus sternutatoriis et aliis compositionibus, hodie praecipue odoris causa Speciebus fumalibus, Dentifriciis, Saponi cet.; consperguntur et pilulae pulvere Ireos et formantur ex radice globuli pisi magnitudine pro fonticulis, Pisa Iridis, Iris-Erbsen, Veilchenholz; et radix mundata in infantum collo ad masticandum suspenditur, ad dentitionem adjuvandam.

RADIX IRIDIS seu IREOS NOSTRATIS sive VULGARIS, Germanicae. Gemeine Violen- oder Veilchen-Wurzel, blaue Schwertel- oder Lilien-Wurzel. *Racine d'Iris bleue* ou de *Glayeul, de Flambe vraie.* — *Iridis germanicae* L. (Fl. Bad. I. 78. — Cl. cet. praeced.), plantae perennis indigenae, in silvis montanis, vineis, muris, cet. passim, quae crebre etiam in hortis colitur, praecedentium simillimae, sed floribus barbatis plerumque saturate violaceo-coeruleis et tubo corollae germine duplo longiore. Caudex subterraneus, e plantis annosioribus autumno colligendus, praecedentium simillimus, plerumque autem minus turgidus et externe griseo-fuscus, plus minus flavescens, et odore et sapore praecedentium sed mitiore; siccatus et cortice fibrisque mundatus, vix a praecedentibus distingui potest, nisi quod plerumque minor; odore praeditus pariter violaceo sed paullo debiliore, uti et sapore. — *Part.* et *Vis:* uti praecedentis. — *Usus:* Idem. Hodie praecipue adhuc a veterinariis passim praescribitur. Radix major, firma, justo tempore collecta et diligentur siccata et asservata praecedentem supplere potest.

RADIX IRIDIS VERSICOLORIS L. Buntfarbige Schwertlilien- oder Violenwurzel, *Racine d'I-*

ris variée, — plantae perennis Americae borealis, quae apud nos passim in hortis colitur, praecipue floribus imberbibus viridi-albo-rubro-violaceo et coeruleo-versicoloribus distinctae, Radix nodoso-fibrosa. — In patria in hydrope laudatur.

RADIX JUGLANDIS. Nußbaum- oder Wallnußbaumwurzel. *Racine de Noyer commun.* — *Juglandis regiae* L. (v. Cortex p. 48.) Radix. — Olim pro medicamento adhibebatur, hodie exolevit. — In America boreali Radix Juglandis cinerei (ibid.) pro medicamento usurpatur.

RADIX JUNCI EFFUSI L. Flatter-Binse- oder Simsewurzel, *Racine de Jonc épars.* — (Fl. Bad. II. 66.), e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Juncacearum, Junci notissimi, locis aquosis, fossis, paludibus vulgaris, culmo cylindrico nudo glaberrimo, cyma sub apice culmi laterali, effusa, decomposita, floribus minutis laete fuscis, perigonio hexapetalo scarioso-coriaceo, capsula triloculari, 3-valvi, Radix vel potius Caudex radiciformis, repens, fibris numerosis praeditus. — Nuper ut diureticum, lithontripticum cet. commendabatur. — Ceterum Radix quoque Junci conglomerati L. et Junci glauci EHRH., juncorum affinium, iisdem locis ac descriptus provenientium, hunc in finem colligitur. — Uti et Radix Luzulae vernalis DEC. (Junci pilosi L.?), Frühlings Haarsimsenwurzel, *Racine de Luzule printanniere* — plantae silvaticae pariter vulgaris, praecedentium similis, sed culmo folioso, foliis gramineis, longe pilosis, floribus paniculato-cymosis, capsulis unilocularibus 3-spermis, — et aliis confinibus.

RADIX JUNCI FLORIDI. Blumen-Binsenwurzel, Wasserviolen- oder doldenblumige Wasserliesch-wurzel. *Racine de Jonc fleuri, de Butom en ombelle.* — *Butomi umbellati* L. (Fl. Bad. II. 191.), e cl. Enneandria, ord. Hexagynia, fam. Butomearum, plantae perennis speciosae aquaticae, in fossis, paludibus, ad rivulorum et fluviorum ripas, passim frequentis, foliis radicalibus longis gramineis, scapo 3 — 4 pedali tereti, umbella magna terminali simplici, floribus amoene roseis, periantheo 6-petalo, carpellis 6 polyspermis, Radix tuberosa, subpediformis, fibrosa; inodora et insipida, mucilaginosa, nutriens. — Olim pro antidoto contra morsum serpentum venenatorum adhibebatur. — Hodie exolevit. — Nutriendi ergo a Russis comeditur.

RADIX JUNCI MAXIMI seu SCIRPI MAJORIS. Große Sumpfbinsen- oder Teichbinsenwurzel. *Racine de Jonc le plus grand, de Scirpe des Etangs.* — *Scirpi lacustris* L. (Fl. Bad. I. 100. — Cl. cet. v. Rad. Cyperi p. 235.), junci perennis, eorum, qui apud nos occurrunt, maximi, in paludibus vulgaris, culmo 5 — 12 pedali, tereti, basi digitum passim crasso, nudo, glabro, nitente, non nisi ad basin vaginato, spiculis teretibus ovatis pluribus terminalibus, pedunculatis, glabris, fuscis, in cymam maximam paniculatam digestis, Radix vel potius Caudex repens articulatus et annulatus, obscure fuscus, undique fibris (radicibus) numerosis praeditus; inodorus, sapore subadstringente. — Olim ut adstringens, diureticum, lithontripticum, usurpabatur, sed hodie vix adhibetur.

RADIX LAPATHI ACUTI. Grindwurzel. *Racine de Patience sauvage.*

Synon.: Radix Oxylapathi, Mangelwurzel, Lendenwurzel, wilde Ampferwurzel. *Racine de Parelle.*

Rumicis obtusifolii L. (Fl. Bad. II. 103.), e cl. Hexandria, ord. Trigynia, fam. Polygonearum, plantae perennis undique locis humidis, in agris, pratis, ad vias, in fossis, ad fluviorum ripas cet., vulgaris, caule erecto 2—4 pedali, ramoso, ramis erecto-patentibus, foliis petiolatis, inferioribus cordato-ovatis, obtusis, vel acutiusculis (Rumex acutus auctor. plurim.), intermediis cordato-oblongis acutis, superioribus lanceolatis, margine passim sub-crenulato et subundulato, glabris vel subasperis (variat porro caule, venis foliorum et racemis sanguineis cet.), racemis terminalibus aphyllis, fasciculis remotiusculis, floribus hermaphroditis, valvulis caryopsidis 3-angulari-ovatis, in basi subulato-denticulatis, omnibus graniferis, Radix sub plantis annosioribus autumno effodienda celeriterque sed caute siccanda, fusiformis, simplex et ramosa, superne digitum ad pollicem crassa, longa, externe flavo-fuscescens, intus pallide flava, carnosa, duramine pallidiore sublignoso, circulo capillari obscuriori cincto; inter siccandum radix corrugatur, externe obscure fusca et superne annulata, inferne magis in longitudinem rugosa et dura, densa, ponderosa fit, fractura aequali, in sectione transversali saepius 4 strata circularia colore distincto flavo vel sordide virescente-flavo, passimque venae rufescentes conspicuae;

odore, si recens, ingrato subirritante, sapore ingrate acerbo amaro, post acri-pungente; siccata parum odora et sapore acerbo-amaro, salivam colore flavo imbuens; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit, infusum aquosum flavescens radicis recentis liquore ferri muriatici oxydati colore sordide atro-viridi, et liquore ammoniaci caustici rubro-aurantiaco augetur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens et Princ. amarum colorans (Rumicinum) Rhabarbarino persimile et Amylum. — *Vis:* resolvens, alterans, tonica, diaphoretica, aperiens, vulneraria (?).

Sit radix optime siccata, intus flava, carnosa, neque vero nigro-fusca vel cariosa, aut lignosa, fere insipida, quae rejicienda. Saepius cum aliis Rumicum radicibus confunditur, de quibus conf. sequentes.

Usus: In decocto pro potu et externe pro lotionibus. — *Praep.:* Extractum. Speciebus additur.

RADIX LAPATHI AQUATICI seu HYDROLAPATHI, Radix Britannicae, Rhapontici (?). Wasser-Ampfer-Wurzel, Wasser-Grindwurzel, Roßampfer-Wurzel. *Racine de Patience d'Eau* ou *aquatique*, *de Rhubarbe sauvage.* — *Rumicis aquatici* L. (Fl. Bad. II. 105.), plantae aquaticae, in rivulis, fluviis, paludibus passim, praecedente majoris, caule 3—5 pedali, foliis radicalibus longe petiolatis, maximis, cordato-ovato acuminatis, versus basin dilatatis, subcucullatis, racemis paniculatis aphyllis, floribus hermaphroditis, valvulis subintegerrimis granulo destitutis, Radix crassa fusiformi-ramosa, externe fusca, intus crocea, duramine stellato-loculoso; sapore acerbo et amaro. — *Part. const.* et *Vires:* praecedentis, forsitan praestantior (?). — A nonnullis pro vera Radice Lapathi acuti L. habetur. — Praecipue in Anglia et Suecia contra scorbutum cet. et pulvis in dentifriciis, adhibetur. — Saepius hoc nomine etiam Radix Rumicis Hydrolapathi Huds. (Rumic. acut. Wahlenb., Rumicis maximi Gmelin — Fl. Bad. II. 99.), plantae descriptae simillimae, sed plerumque altioris, foliis radicalibus lanceolatis, basi attenuatis et valvulis (caryopsidum) omnibus granuliferis, colligitur, quae quoad vires, non discrepare videtur.

RADIX LAPATHI CRISPI. Kraußblätterige Grindwurzel oder Ampferwurzel. *Racine de Patience frisée.* — *Rumicis crispi* L. (Fl. Bad. II. 97.), plantae perennis pariter vulgaris, sed loca quoque sicciora amantis, Rumicis obtusifolii simillimae (descript. conf. in Herba p. 128.), Radix radici Lapathi acuti omnino simillima, ita ut vix ab ea distingui queat, nisi quod plerumque tenuior, subsimplex et siccata insignius annulata. Ceterum iisdem gaudet proprietatibus et virtutibus. Hinc eam substituere licet.

RADIX LAPATHI SANGUINEI. Blutrothe Grindwurzel, Trachen-Grindwurzel, Blutampferwurzel. *Racine de Patience sanguine.* — *Rumicis sanguinei* L. (Fl. Bad. II. 96. — *Rumicis Nemolapathi* Ehrh. — *Rumicis nemorosi* Schrad.), plantae indigenae silvestris minoris, foliis cordato-oblongis et cordato-lanceolatis, racemis sub-aphyllis, fasciculis remotis, valvulis lineari-oblongis integerrimis, obtusis, unica granulifera; var. rubrae in hortis cultae, Radix, sapore acerbo; *Viribus*, ut veri est simile, praecedentium praedita. — Olim pro medicamento usurpabatur. Hodie exolevit.

Praeter descriptas aliae Rumicis specierum indigenarum Radices, ut: Rumicis pratensis Mert. et Koch. (Rumicis cristati Wallr., Rumicis acuti Spr.), Rumicis conglomerati Schreb. (Rumicis acuti Sm.), quae Rumici obtusifolio maxime affines, Rumicis maritimi L., Rumicis pulchri L. cet. passim Radici Lapathi acuti substituuntur, quae subinde difficillime a vera distingui possunt. Medicinae autem habita ratione non magni hoc momenti est, quia si radices validae, proprietatibus memoratis praeditae, sine dubio iisdem gaudent virtutibus.

RADIX LAPPAE seu BARDANAE MINORIS, Radix Xanthii. Spitzkletten- oder Kropfkletten- Bettlerlaus-Wurzel. *Racine de Lampourde gluteron, de petite Bardane.* — *Xanthii strumarii* L. (v. Herb. p. 128.) Radix ramoso-fibrosa, albida. — Proprietatibus herbae praedita, eodemque modo adhibebatur. — Hodie autem pariter exolevit.

RADIX LATHYRI TUBEROSI L., Glandes terrestres, Knollige Platterbsenwurzel, Ackernuß, Erdeichel, *Racine de Gesse tubereuse*, *Glands terrestres*, (Fl. Bad. III. 176. — Cl. cet. v. Rad. Liquiritiae p. 257.) plantae perennis in arvis, praecipue montanis, passim frequentis, caule debili erecto vel decumbente, anguloso, nudo, ramoso, cyrrhis diphyllis, foliolis ovatis acuminatis, stipulis semisagittatis, pedun-

culis axillaribus longis multifloris, floribus pulchris purpureis et roseis papilionaceis, grate odoris, leguminibus compressis, glabris, polyspermis, Tubera parva oblonga, externe fusco-nigra, intus alba carnosa, sapore acerbo-dulci. — *Part. const. praev.:* Saccharum et Amylum. — *Vis:* nutriens, subadstringens. — Olim ut medicamentum in haemorrhagiis, dysenteria cet. laudabatur. Hodie exolevit. — Nutriendi ergo assata vel cocta comeditur. Ut Coffeae succedaneum commendatur.

RADIX LAURI ALEXANDRINAE. Alexandrinische Lorbeerwurzel. *Racine de Laurier alexandrin.* — *Rusci Hypophylli* L. (v. Folia p. 77.) Radix. — Hodie, uti et Folia, obsoleta.

RADIX LEPIDII LATIFOLII L. seu PIPERITIS. Pfefferkrautwurzel. *Racine de Passerage à larges feuilles* (v. Herba p. 129.). Radix repens valde luxurians, ramoso-fibrosa, albida, acris, pungens. Olim ut remedium specificum mulieribus partu difficile laborantibus et pro sinapismo contra dolorem ischiadicum laudabatur. — Hodie exolevit.

RADIX LEUCOII BULBOSI, Narcisso-Leucoii, Violae albae. Frühlings-Leucoie, Märzglöcklein oder großes Schneeglöckleinwurzel. *Racine de Perce neige, de Baguenaude d'hiver.* — *Leucoji verni* L. (Fl. Bad. II. 6. — Cl. cet. v. Flor. Narcissi p. 68.), plantae perennis indigenae, praecipue montanae, in nemoribus, pomariis, pratis, passim, et crebre in hortis cultae, foliis linearibus latiusculis, scapo compresso 3-gono, sub-unifloro, floribus praecocibus terminalibus pendulis, niveis, hexapetalis, aequalibus, apice incrassatis, viridibus, capsula 3-loculari, Bulbus ovatus, albidus, mucilaginosus, subacer. — *Vi* resolvente et emetica praeditus. — Hodie exolevit.

RADIX LEVISTICI. Liebstöckel-Wurzel. *Racine de Levèche.*

Synon.: Radix Ligustici, Lybistici, Laserpitii germanici. Badkraut- oder Saukraut-Wurzel. *Racine de Livèche.*

Levistici officinalis Koch. (*Angelicae Levistici* All. Dec. — *Ligustici Levistici* L. — Fl. Bad. I. 663. — Cl. cet. v. Rad. Angelicae p. 213.), plantae perennis magnae, Europae meridionalis, nobis cultae, caule 4—6-pedali et altiore, firmo, striato, glabro, fistuloso (de foliis conf. Herba p. 129.), umbellis terminalibus mediocribus, involucris et involucellis polyphyllis reflexis, floribus luteis (de fructibus conf. Semen), Radix e plantis annosioribus autumno colligenda, fusiformi-ramosa, superne digitum ad pollicem et ultra crassa, pedalis et longior, externe ferruginea, intus albida, duramine flavescente succulento-carnoso, si vulneratur lac praebens pallide flavum, aëre indurescens, resinamque exhibens fusco-flavam, Opopanaci (p. 204.) similem; inter siccandum radix valde corrugatur, rugoso-sulcata, nec nisi in collo annulata fit, consistentia spongioso-carnosa, molli, tenaci, radicis Gentianae (p. 243.) simili, externe griseo-flavescente-fusca, intus laete grisea; annulus flavo-fuscus duramen cingit; odore peculiari forti aromatico et sapore dulciusculo, post acri-aromatico. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Resina et Saccharum. — *Vis:* incidens, resolvens, carminativa, diuretica, emmenagoga.

Sit radix recens siccata, carnosa, forte aromatica; mucida autem vel ab insectis corrosa, parum odora, rejiciatur.

Usus: In infuso, in pulvere rarissime. — *Praep.:* Extractum, Essentia, Aqua, Oleum aethereum. Additur aliis quoque compositionibus. Hodie praecipue a veterinariis praescribitur. Sed radix efficacissima etiam in morbis hominum medicorum attentione magis digna.

RADIX LILIASTRI. Liliensaunblumenwurzel. *Racine d'Antherie à fleurs de Lis.* — *Czackiae Liliastri* Andrz. (*Antherici Liliastri* L. — Fl. Bad. IV. 233. — Cl. cet. v. Herba Phalangii p. 142.), plantae

perennis Italiae, Helvetiae, foliis planis, scapo simplici erecto, floribus speciosis niveis campanulatis, hexapetalis, in racemum densum terminalem congestis, staminibus declinatis, capsulis 6-angularibus, 3-locularibus, Radix vel potius Caudex subterraneus tuberosus, fibris numerosis longissimis, calamum stramineum et ultra crassis praeditus, inodorus et insipidus. — Hodie obsoleta. — Saepius quoque nomine **Radicis Brusci** seu **Rusci** (p. 222.) in officinis prostat.

RADIX LILIORUM ALBORUM. Weiße Lilien-Wurzel. *Racine de Lis blanc.* — *Lilii candidi* L. (v. Flor. p. 67.) Bulbus speciosus, ovato-globosus, ex squamis imbricatis, crassis, albis, apice luteis, carnosis, succulento-mucilaginosis constans; inodorus, sapore peculiari, nauseoso, amariusculo. — *Part. const. praev.*: Principium extractivum proprium et Mucilago. — *Vis:* diuretica (?); emolliens. — *Usus:* Radix recens in hydrope laudatur, in clysteribus et cataplasmatibus emollientibus cet. adhibetur. Inter siccandum Bulbus maxime corrugatur, griseo-fuscescens et insipidus fit et vires medicatae, ut est probabile, amittuntur.

RADIX LILIORUM CONVALLIUM. Maiblumenwurzel. *Racine de Mouguet.* — *Convallariae majalis* L. (v. Flores p. 67.) Radix vel potius Caudex subterraneus, horizontalis repens, calamum scriptorium crassus, albus, fibris (radicibus) longis ramosis praeditus; sapore amaro. — Hodie exolevit.

RADIX LILIO-NARCISSI. Gelbe Amaryllis-wurzel. *Racine de Lilio-Narcisse.* — *Amaryllidis luteae* L. (Cl. cet. ut Rad. Liliorum alborum), plantae perennis liliaceae Siciliae, Graeciae, Caucasiae, Bulbus oblongus, sapore amaro. — Hodie exolevit.

RADIX LIQUIRITIAE. Süßholzwurzel. *Racine de Réglisse.*

Synon.: Radix Glycyrrhizae. Süßholz.

Glycyrrhizae glabrae L. et *Glycyrrhizae echinatae* L., e cl. Diadelphia, ord. Decandria, fam. Leguminosarum, plantarum perennium, quarum prior Europae australis, Hungariae, in Germania passim cultae, posterior Italiae, Russiae australis et Asiae mediae, adspectu simillimarum, caulibus erectis 3—6pedalibus, duris, foliis pinnatis, foliolis oblongis, floribus prioris racemoso-spicatis, leguminibus oblongis glabris, 3—4spermis, posterioris floribus capitatis et leguminibus ovalibus echinatis, Caudex subterraneus, Radix qui dicitur, profunde repens, longissimus, ramosus, cylindricus, digitum ad pollicem et ultra crassus, externe griseo-fuscus, cortice tenui arcte adpresso, glaber, intus flavus, succulentus, densus, tenacissimus, odore ingrato humeo; inter siccandum parum tantum corrugatur et plus minus in longitudinem striato- vel sulcato-rugosus fit; odore tantum debili peculiari, dulciusculo et sapore perdulci, proprio, irritante, faucibus diu adhaerente. Distinguitur: **Radix Liquiritiae Hispanicae**, Spanisches Süßholz, *Racine de Réglisse d'Espagne*; siccata prostat in sectis 2—3pedalibus rectis, digitum minimum ad pollicem vix crassis, externe rugoso-sulcatis, intus saturate flavis vel aurantiacis, consistentia densa, dura, passim subcornea, ponderosa, sapore dulcissimo. **Radix Liquiritiae Germanicae, Bambergensis**, Deutsches, Bamberger Süßholz, *Racine de Réglisse allemande, de Bamberg*, saepius **recens** in commercio prostat; siccata praecedenti simillima, externe autem plus grisea, minus rugosa et intus colore laetiore, minus saturate flavo, minus ponderosa. **Radix Liquiritiae Rossicae**, Russisches Süßholz, *Racine de*

Réglisse de Russie, a Glycyrrhiza echinata derivatur; in commercio prostat plerumque cortice liberata, Radix Liquiritiae mundata, geschältes Süßholz, quae dicitur, frusta exhibens $\frac{1}{2}$ — 1 pedem longa et $\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$ pollicem crassa, saepius inaequaliter turgida et curvata, et externe et interne colore praecedentium pallidiore flavo, leviora, poroso-fibrosa, sapore pariter dulci, sed debiliori. Tinctura iodi Liquiritiam colore atrocoeruleo imbuit, infusum aquosum acidorum et plurium salium ope, ut salis stanni cet., in floccis flavescentibus praecipitatur. — *Part. const. praev.:* Glycyrrhizinum et Amylum. — *Vis:* resolvens, expectoralis, demulcens, involvens.

Sit radix densa, ponderosa, intus saturate flava, dulcissima; mucida autem vel cariosa, intus fusca, sapore ingrato vel parum dulci, rejiciatur.

Usus: In pulvere, qui ex radice mundata paratur, electuario, pilulis, infuso. — *Praep.:* Extractum, Syrupus, Pasta, Essentia. Additur pluribus aliis compositionibus, praecipue Speciebus pectoralibus, Lignorum, Pulveri pectorali, Trochiscis Becchicis, Bacillis de Liquiritia cet.

RADIX LISIANTHI PENDULI Mart. et LISIANTHI AMPLISSIMI Mart., Hängende und breite Randblumenwurzel, *Racine de Lisianthus pendule*, et *le plus ample* — (Cl. cet. v. Herba Trifolii fibrini p. 158.), plantarum Americae meridionalis, Radices amarissimae. — In patria ut febrifugum et stomachicum adhibentur.

RADIX LOBELIAE. Lobelienwurzel, blaue Kardinalsblumenwurzel. *Racine de Lobelie, de Cardinale bleue, Indian Tobacco.* — *Lobeliae syphiliticae* L. (Cl. cet. v. Herb. Lobeliae inflatae p. 130.), plantae perennis Americae borealis, apud nos passim cultae, caule erecto simplici hirsuto, foliis sessilibus oblongis, utrinque attenuatis, denticulatis, rugosis, villosis, floribus axillaribus mediocribus coeruleis, Radix ramosissima, fibrosa, albida; odore, si recens, nauseoso et sapore peracri, tabaci simili. — *Part. const.* et *Vires*, ut est probabile, foliorum Lobeliae inflatae similes. — Olim praecipue ut antisyphiliticum laudabatur. Quae autem siccata in commercio prostat, plerumque vetusta, inodora et fere insipida est. Hinc medicamentum infidum merito exolevit.

RADIX LOPEZ seu LOPEZIANA. Lopezwurzel *Racine de Jean Lopez.* — Hoc nomine ex India orientali, Malacca, Goa cet. Radix advehebatur, frusta exhibens crassa, lignosa, cylindrica, passim in longitudinem fissa, 1/2 — 1 pedem longa, cortice sordide flavo, spongioso-tuberoso, subtus fusco, 1/2 — 1 lineam crasso vestita, sub quo pars lignosa flavescens, dura sed levis; inodora, sapore corticis subnauseoso amariusculo, pars lignosa insipida. Infusum aquosum tincturae gallarum ope leviter turbatur. — *Part. const. praev.* (?) — *Vis:* obstruens. — Praecipue in diarrhoea chronica vel colliquativa laudabatur. Hodie fere exolevit. — Planta, cujus est Radix, hucusque ignota, forsitan Strychni vel Menispermi species (?).

RADIX LUPARIAE eadem est ac Radix Aconiti lutei (p. 210.).

RADIX LUPULI. Hopfenwurzel *Racine de Houblon.* — *Humuli Lupuli* L. (v. Strobuli) Radix crassa, ramosa, cylindrica, externe obscure fusca, intus albida, tenax; sapore acerbo amariusculo; tinctura iodi radicem colore coeruleo imbuit; infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope obscure viride coloratur. — Hodie exolevit.

RADIX LYSIMACHIAE PURPUREAE seu SALICARIAE. Rothe Weiderichwurzel. *Racine de Salicaire* — *Lythri Salicariae* L. (v. Herba p. 130.) Radix crassiuscula, ramosa et fibrosa, externe flavescente-fusca, intus alba; sapore acerbo-adstringente. — *Part. const.* et *Vis:* uti Herbae (?). — Hodie exolevit.

RADIX MALVAE MINORIS. Kleine rundblätterige Malven- oder Pappelwurzel. *Racine de petite Mauve.* — *Malvae rotundifoliae* L. (v. Herba p. 131.) Radix tenuis, cylindrico-fusiformis, ramoso-fibrosa, externe flavescente-albida, intus alba, carnosa; dulcis et mucilaginosa. — Hodie exolevit.

† RADIX MANDRAGORAE seu MARIS. Alraunwurzel *Racine de Mandragore.* — *Mandragorae officinalis* Mill. (*Atropae Mandragorae* L. — v. Herba p. 131) Radix magna, grossa, rapiformi-fusiformis, subbifida, carnoso-succulenta; narcotica, stupefaciens, infida. — Olim in pediluviis contra dolorem capitis, ad somnum conciliandum uti et aphrodisiacum et incantamentum stulte adhibebatur. — Hodie exolevit.

RADIX MARANTAE ALLOUYAE Jacq., Allujawurzel, *Racine de Curcuma à racines tubereuses*; tuberosa est, ovata, alba. — In patria ad Sago et Arrow-Root (p. 9.) species adhibetur. Ad parandum Pulverem Castilloni usurpatur.

RADIX MARICIO. Mariciowurzel *Racine de Maricio.* — *Sisyringii galaxioidis* Gom. (Cl. cet. v. Rad. Iridis p. 252.), plantae perennis brasiliensis, Radix. — In patria pro purgante usurpatur.

RADIX MECHOACANNAE, Bryoniae Mechoacannae. Mechoakannawurzel. *Racine de Mechoacan.* — Duae sunt in commercio species: 1) Radix Mechoacannae albae seu Jalappae albae, weiße Mechoakanna, weiße Jalappe, weiße Rhabarber, *Racine de Mechoacan* ou *de Jalap blanc.* De

Convolvulo Mechoacanna L. (Cl. cet. v. Rad. Jalappae p. 250.), planta dubia mexicana aut brasiliensi, plerumque derivatur. Frusta exhibet subcylindrica, obtusa vel ad utrumque finem excavata, aut irregularia, corrugata, inaequaliter in longitudinem gibboso-sulcata, 1 — 2 pollices longa et 3/4 — 1 1/2 pollicem et ultra crassa, decorticata, alba vel albo-flavescentia, externe passim pallide fusco-rufescentia, levia, fractura opaca, farinosa; inodora et primo fere insipida, post amariusculo-subacria; tinctura iodi radicem colore atro-coeruleo imbuit (num Ari speciei Caudex?). 2) Radix Mechoacannae griseae (vel albae), graue (auch weiße) Mechoakanne, *Racine de Mechoacan gris* (ou *blanc*). — *Mirabilis longiflorae* L. et ut veri est simile, *Mirabilis Jalappae* L. aliarumque Mirabilis specierum, e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Nyctaginearum, plantarum perennium mexicanarum et Indiae orientalis, apud nos passim in hortis cultarum, Radix vel potius Caudex subterraneus, tuberoso-rapiformis, succulento-carnosus. — Prostat siccata in taleolas seu discos secta, 2—4-pollices et ultra latos et 1/2 — 1 pollicem longos, cortice sordide obscure griseo-fusco, rugosissimo, in planis sectionum pallide cinereo-albidos et fuscescentes, circulos plures sese invicem tegentes, uti in radice Bryoniae, et puncta alba crystallina, nitentia, undique dispersa conspicua; dura est, ponderosa, inodora, sapore subsalso, post nauseoso-acri, irritante; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit. — *Part. const. praev.:* Resina peculiaris et Amylum. — *Vis:* purgans, mitior autem radice Jalappae. — *Usus:* In pulvere. — Radix modo descripta vera Mechoacanna esse videtur; prior autem falsa, semper quoque vetusta, ab insectis corrosa prostat, unde omnino rejicienda. — Confundi quoque fertur cum Radice Bryoniae (p. 222.) Hac de causa remedium supervacaneum, infidum ex medicamentorum copia delendum. — Ejus loco autem forsitan radix Mirabilis longiflorae, sedulo siccata, recipienda.

RADIX MEDEOLAE VIRGINICAE L., Virginische Medeolen- oder kleine Martagonwurzel, *Racine de Medéole de Virginie*, — e cl. Hexandria, ord. Trigynia, fam. Smilacearum, plantae perennis herbaceae, Americae borealis, Radix tuberosa. — In patria in hydrope adhibetur.

RADIX MEDII seu VIOLAE MARIAE. Großblumige oder Marien-Glockenblumenwurzel. *Racine de Campanule à grands fleurs.* — *Campanulae mediae* L. (Fl. Bad. IV. 164. — Cl. cet. v. Herb. Campanulae graminifoliae p. 102), plantae biennis Europae mediae passimque Germaniae, caule erecto subramoso, hirsuto uti et folia ovato-lanceolata inaequaliter dentata, floribus axillaribus terminalibusque in cymam digestis, magnis, campanulatis, laete coeruleis, pilosis, Radix crassiuscula, ramosa, fibrosa, alba, sapore dulci. — *Viribus* refrigerantibus praedita. — Hodie obsoleta. — Acetariis uti radix Rapunculi (p. 271.) additur.

RADIX MENISPERMI CORDIFOLII W. (Gulancha), Herzblätterige Mondsamenwurzel, *Racine de Menisperme cordifeuille*, — (Cl. cet. v. Cocculi p. 38) fruticis volubilis Indiae orientalis. — In patria cum caulibus et foliis ut tonicum, roborans, carminativum, febrifugum, anthelminticum cet. adhibetur.

RADIX MEI seu MEU, Radix Anethi ursini, Foeniculi ursini, Athamantae. Bärwurzel, Mutterwurzel, Bärenfenchel, Herz-Wurzel. *Racine de Meum.* — *Mei athamantici* Jacq. (*Aethusae Mei* L. — Fl. Bad. I. 689. — Cl. cet. v. Rad. Angelicae p 213.), plantae perennis montanae et alpinae Europae mediae, passimque Germaniae, caule palmari, pedali, superne subramoso, foliis duplicato-pinnatis, foliolis multifido-pinnatifidis, laciniis brevibus, capillaribus, subverticillatis, umbellis mediocribus, involucro nullo vel 5 — 8-phyllo, involucellis 3 — 8-phyllis, subdimidiatis, floribus ochroleucis, fructibus oblongis subcompressis, solidis, argute 5-costatis, valleculis 3 - 4 vittatis, Radix saepissime multiceps, fusiformis, superne calamum stramineum ad digitum crassa, 8—15 pollices et ultra longa, externe obscure griseo-fusca, in colorem rufescentem abiens, praecipue superne insigniter annulata et coma densa penicilliformi fibrarum capillarium, saturate fuscarum, praedita. intus albida, carnoso-farinosa et resinosa; odore fragrante aromatico, radicis Angelicae (p. 213.) et Levistici (p. 256.) simili, et sapore primo dulciusculo, post subsalso, aromatico acri. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Resina propria. — *Vis:* incidens, resolvens, diuretica, carminativa, antihysterica, alexipharmaca (?). — *Usus:* In pulvere vel infuso. Additur Theriacae Andromachi et aliis compositionibus. — Hodie immerito in hominum morbis vix adhibetur. Veterinarii tamen radice utuntur. Saepius autem apud nos cum radice Gentianae nigrae (p. 244.) confunditur, et crebre vetusta, cariosa in commercio prostat, quae rejicienda. Confundi quoque potest cum Radice Silaus (p. 284.).

RADIX METALISTAE seu MATALISTAE. Metallistawurzel. *Racine de Metaliste.* — Hoc nomine radix advehebatur ex India orientali, secundum aliam opinionem ex America, in taleolas disciformes secta vel in longitudinem fissa, externe grisea, intus pallidior; inodora et sapore subsalso. — *Vim* laxantem exserit. — Forsitan eadem est ac Mechoacanna grisea (?).

† RADIX METHONICAE SUPERBAE. Stolze Prachtlilienwurzel. *Racine de Methonica superbe.* — *Gloriosae superbae* L. (Cl. cet. v. Rad. Liliorum alborum p. 257.), plantae perennis malabarensis, Radix purgans, venenata. — Hodie exolevit.

† RADIX MEZEREI. Seidelbastwurzel. *Racine de Garou.* — *Daphnes Mezerei* L. (v. Cortex p. 49.) Radix ramosa lignosa, — iisdem virtutibus ac cortex praedita. — Passim in infuso vel decocto, sed caute, interne adhibetur.

RADIX MILHOMENS, Rais de Mil-Homens. Milhomenswurzel *Racine de Milhomens.* — *Aristolochiae grandiflorae* Sw. (Cl. cet. v. Radix Aristolochiae p. 215.), fruticis scandentis Indiae occidentalis et Brasiliae, Radix, Rhizoma (Caudicem) exhibens subrotundum, fibris (radicibus) praelongis, cylindricis et sub-compressis, calamum scriptorium et ultra crassis, hinc inde turgidis, in longitudinem sulcato-rugosis et paucis fibrillis filiformibus sparsis praeditum, colore externe nigrescente-griseo-fusco, intus albido-rubello; praecipue ex parte corticoso, fragili, duramen lignosum, tenax includente, constans; partim radicibus Aristo-

lochiae Clematitidis p. 215.), partim Sassaparillae (v. infra) subsimilibus, sed odore, praecipue si teritur, penetrante foetido, urinae putridae vel Chenopodii Vulvariae (p. 96.) simili et sapore aromatico-amaro, camphorino, faucibus diu adhaerente, discrepat; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium amarum (?). — In patria in dispepsia, paralysi, et contra morsum serpentum venenatorum adhibetur. Radix sane efficax medicorum attentione digna.

RADIX MILLEFOLII. Schafgarben- oder Schafrippenwurzel. *Racine de Millefeuille.* — *Achilleae Millefolii* L. (v. Flor. p. 68 et Herba p. 137.) Radix primo vere effodienda celeriterque siccanda; Caudicem exhibens subterraneum repentem, tenuem cylindricum, calamum stramineum ad scriptorium crassum, praecipue subtus fibris (radiculis) numerosis filiformibus praeditum; recens radix albida vel fuscescens, siccata griseo-fusca, in longitudinem leviter striata; odore debili aromatico subvaniglino et sapore primo subamaro adstringente, aromatico, post peracri, radicis Ptarmicae (p. 269.) vel radicis Pyrethri (p. 270.) simili, sed mitiore. — *Part. const. praev.*. Oleum aethereum, Principium amarum et adstringens et Principium (Resina (?)) acre. — *Vis:* incidens, tonica, diaphoretica. — *Usus:* In pulvere, infuso. — Radix sane efficax medicorum attentione digna.

RADIX MISMEE, Mismee teta. Mismibitterwurzel. *Racine de Mismée.* — Radix plantae non satis notae Indiae orientalis, Asiae, cet., grate amara, Quassiae similis. — In patria ut tonicum magni aestimatur.

RADIX MOLY. Molywurzel, oder Molylauch. *Racine de Moly.* — Hoc nomine plures Allii specierum Bulbi intelligebantur, ut: Allii Moly L., Allii magici L. et Allii subhirsuti L. (Cl. cet. v. Radix Allii p. 212.), plantarum perennium Europae australis et Orientis; odoris plus minus alliacei uti et saporis. — Olim ut medicamenta, ad incantationes, uti et nutriendi ergo a veteribus usurpabantur.

RADIX MONETIAE BARLERIOIDIS L'Herit., Monetiae umbellatae cet. Monetienwurzel, *Racine de Monetia,* — fruticum africanorum (promont. Bonae Spei), Radix. — In patria praecipue ut pectorale, antiasthmaticum cet. laudatur.

RADIX MORI v. Cortex radicis (p 49.).

RADIX MORINGAE seu MORINDAE. *Racine de Moringa.* — Hoc nomine radix advehebatur ex India orientali, praecipue insula Malabar, lutea, adspectu radicis Dauci (p. 236.), sed durior, lignosa, in sectione transversali annulos plures exhibens et resinose nitens uti Radix Zinziberis (v. infra); odore praedita aromatico. Secundum aliam descriptionem inodora et sapore subsalso. Derivatur de Hyperanthera Moringa L. (v. Nuces Behen p. 188.). Probabile autem est, varias radices hoc nomine vendi esse solitas. — *Vires* ei adscribebantur alexipharmacae, praecipue pro antidoto contra morsum serpentum venenatorum, puncturas insectorum habebatur, etiam in Cholera celebrabatur atque ut anthelminticum et contra elephantiasin cet. Apud nos exolevit.

RADIX MORSUS DIABOLI, Radix Succisae, seu Praemorsae, Jaceae nigrae. Teufels-Abbisswurzel. *Racine de Mors du Diable, de Succise.* — *Scabiosae succisae* L. — (v. Herba p. 138.) Radix, primo vere colligenda, praemorsa, ex rhizomate brevi, subtus putrescente, vix digitum crasso, obscure fusco, constans, undique fibris albidis, carnosis, inter siccandum fuscescentibus et fragilibus, calamum stramineum et ultra crassis, praeditum; inodora, sapore peramaro; infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore atro-viridi imbuitur. — *Part. const. praev.:* Principium extractivum amarum et adstringens. — *Vis:* tonica, febrifuga, alexipharmaca(?) anthelmintica (?) vulneraria (?). — *Usus:* In pulvere et infuso. — Hodie solummodo passim a veterinariis praescribitur, sed radix sane efficax, medicorum attentione magis digna.

RADIX MOSCHATELLINAE. Bisamwurzel *Racine de Musc,* ou *de Moschatelline.* — *Adoxae moschatellinae* L. (Fl. Bad. II. 186.), e cl. Octandria, ord. Tetragynia, fam. Araliacearum, plantulae perennis indigenae, tenerae, in dumetis umbrosis, ad silvarum margines passim, foliis radicalibus longe petiolatis, ternato-subbipinnatis, pinnis et lobis obtusis, glabris, nitentibus, caule gracili, subfiliformi, 4-gono, 3—4pollicari, superne binis foliis oppositis, radicalibus similibus, sed breviter petiolatis, obsesso, floribus terminalibus in capitulum subcubicum flavo-viride congestis, calyce semi-supero, 2- et 3-fido, corolla terminali 4-fida, lateralibus 5-fidis, et flore terminali octandro, floribus lateralibus decandris, bacca viridi, (praecipue si marcescit planta odorem spargit Moschi similem) Radix longe lateque repens, tenuis, alba, ramosa, superne incrassata, squamis carnosis dentata, intus cava; sapore acerbo dulciusculo. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens (?) et Saccharum (?). — *Vis:* incidens (?), resolvens (?). — Hodie exolevit.

RADIX MUDARII seu MADAR. Mudar- oder Madarwurzel. *Racine de Mudar.* — *Calotropis Moudarii* R. Br. Dunc. (*Asclepiadis giganteae* Ait. (?). — Cl. cet. v. Rad. Hirundinariae p. 248.), plantae perennis Indiae orientalis, Radix vel potius Cortex radicis, nomine Mudar, Madar, in pulverem redactus prostat. Pulverem exhibens albidum flavescentem, odore debili subnarcotico, opii simili et sapore ingrato amaro, post subsalso irritante; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit. — *Part. const. praev.:* Principium proprium extractivum (Mudarium), Resina et Amylum. — *Vis:* diaphoretica, expectorans, emetica, radicis Hypecacuanhae similis. — In patria crebro pro medicamento usurpatur, praecipue in morbis cutaneis chronicis, lepra, psoriasi, elephantiasi uti et syphili, contra hydropem, vermes, ut febrifugum cet. Apud nos nondum adhibetur.

RADIX MUNGOS seu SERPENTUM, sive Mustelae eadem est ac Rad. Chynlen (v. Lign. Serp. p. 174.).

RADIX MUSCARI. Muskatenhyacinthen-Wurzel. *Racine de Jacinthe musquée.* — *Muscari Moschati* W. (*Hyacinthi Muscari* L. — Cl. cet. v. Rad. Allii p. 212.), plantae perennis Asiae minoris, nobis hortensis, foliis lineari-lanceolatis, glaucis, scapo semi-pedali, racemo denso, ovato, florum brevium ventricoso-ovatorum, rubro-viridium, moschum redolentium, Bulbus crassus, ovalis, albidus, amarus. — *Vi* emetica praeditus. — Hodie exolevit.

RADIX MUTELLINAE. Alpen Bärwurzel. *Racine de Mutelline.* — *Mei Mutellinae* Gaertn.

(*Phellandrii Mutellinae* L. — Fl. Bad. I. 682. — Cl. cet. v. Rad. Mei p. 259.), plantae perennis Mei athamantici similis, iisdem passim locis crescentis, caule autem demissiore et laciniis foliorum anguste lineari-lanceolatis, umbella terminali simplici et floribus amoene purpureis vel roseis, Radix, Mei similis, sed magis ramosa, colore obscuriore, coma penicilliformi ex fibris filiformibus nigris praedita; odore et sapore pariter aromatico. Pari modo atque Meum, apud nos autem non, adhibetur.

RADIX NANNARY seu SARSAPARILLAE ORIENTALIS, MADAR-ROOT. Nannariwurzel, Ostindische Sarsaparille. *Racine de Nannari, de Salsepareille des Indes orientales.* — Hoc nomine novissimis temporibus radix prostat in commercio, quae ex Periploca indica L. (Hemidesmo indico R. Br. — Cl. cet. v. Cort. Alixiae p. 43.) derivatur. — Frustula exhibet longa, cylindrica, subflexuosa, 3 circiter lineas crassa, saturate fusca; pars corticosa crassa, in longitudinem irregulariter et profunde sulcata, et transverse hinc inde annulatim profunde ad duramen pallidius usque fissa, unde primo adspectu radici Hypecacuanhae nigrae (p. 250.) subsimilis; odore autem grate aromatico, Ligni Sassafras (p. 174.) subsimili, uti et sapore. — Eodem modo ac Sarsaparilla, sed apud nos nondum, adhibetur.

RADIX NARCISSI SILVESTRIS seu MAJORIS, Pseudo-Narcissi, Bulbocodii. Gemeine Narcissen- oder gelbe Sternblumenwurzel. *Racine de Narcisse sauvage.* — *Narcissi Pseudonarcissi* L. (v. Flor. p. 68.) Bulbus ovatus albidus, tunicatus, sapore amaro, mucilaginoso. — *Part. const. praev.* et *Vis:* uti Florum. — *Usus:* Radix non nisi recens adhiberi potest, interne pro emetico, purgante, externe pro vulnerario cet. — Hodie autem vix adhibetur.

RADIX NATRICIS PLINII. Gelbe oder Natter-Hauhechel-Wurzel. *Racine de Natrix de Pline.* — *Ononidis pinguis* seu *Ononidis Natricis* L. (Cl. cet. v. Rad. Ononidis p. 262.), fruticuli Europae australis, Radix. — In patria, uti radix Ononidis apud nos, adhibetur.

RADIX NINSI eadem est ac Radix Ginseng (p. 245.). Alias e Sio Ninsi Burm. (Cl. cet. v. Rad. Sisarum p. 284.), planta dubia ut probabile est, Sii Sisarum L. varietate, perperam derivabatur.

RADIX NYMPHAEAE ALBAE seu NENUPHAR. Weiße Seeblumen- oder Seerosenwurzel u. s. w. *Racine de Nenuphar blanc.* — *Nymphaeae albae* L. (v. Flor. p. 68.) Radix vel potius Caudex submersus, horizontalis, grossus, brachii saepius crassitudine, pedalis et longior, subcylindricus, externe virescens vel fuscescens, cicatricibus obscurioribus et subtus fibris (radiculis) crassiusculis praeditus, intus albo-flavescens, poroso-spongiosus; inter siccandum valde corrugatur, subcompressus, utrinque attenuatus fit, externe sordide flavo-fuscescens, tuberculoso-rugosus, cicatricibus magnis elevatis sub-rhomboideis, obscure fuscis maculatus, intus albo-cinerascens, spongiosus, levis; inodorus, sapore subsalso-amaro, subadstringente; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit; infusum aquosum liquore ferri muriatici oxydati colore coeruleo-nigro turbatur. — *Part. const. praev.:* Amylum, Principium adstringens et amarum. — *Vis:* tonica, adstringens, demulcens (?), nutriens. Hodie exolevit.

RADIX NYMPHAEAE LUTEAE. Gelbe Seeblumen- oder Seerosenwurzel u. s. w. *Racine de Nenuphar jaune.* — *Nymphaeae luteae* L. (*Nupharis lutei* Sm. — v. Flor. p. 68.) Radix, praecedenti simillima, iisdem proprietatibus praedita. — Sed pariter exolevit.

RADIX OENANTHES seu FILIPENDULAE TENUIFOLIAE. Pimpernellartige Rebendoldenwurzel. *Racine d'Oenanthe pimprenelloide.* — *Oenanthes pimpinelloidis* L. (Cl. cet. v. Herba Oenanthes p. 139.), plantae perennis Europae australis, passimque Germaniae meridionalis, in pratis udis crescentis, caule glabro sub-ramoso, foliis bipinnatis, foliolis inferioribus foliis Pimpinellae Saxifragae (p. 143.), foliolis superioribus Petroselini (p. 142.) similibus, umbellis mediocribus, involucro et involucellis praeditis, floribus albis (de fructibus conf. Semen Foeniculi aquatici), Radix tuberosa, filipendula, tuberibus rapiformibus nigrescentibus, sapore haud ingrato, radicis Pastinacae (p. 264.) simile. — *Viribus* diureticis et aperientibus praedita, ceterum innoxia esse fertur. Utique tamen planta suspectis adnumeranda. Nomine radicis Oenanthes etiam Radix Filipendulae (p. 241.) intelligitur.

† RADIX OENANTHES SUCCO CROCEO. Gelbe Rebendoldenwurzel, gelbe Wasserfilipendel-Wurzel. *Racine d'Oenanthe à suc jaune.* — *Oenanthes crocatae* L. (v. Herba p. 139.) Radix tuberosa, filipendula, ex tuberibus rapiformi-fusiformibus albidis, filis connexis constans, si vulneratur succum exsudans, aëris aditu colorem croceum assumentem, sapore haud ingrato dulciusculo, aromatico. — *Vires* autem narcoticas maxime venenatas habet ejusque usum facile mors sequitur. Hinc usus medicinalis maximam prudentiam requirit. — Apud nos non adhibetur.

RADIX OENOTHERAE seu ONAGRAE, Radix Rapunculi gallici. Nachtkerzenwurzel, gelbe französische Rapunzel. *Racine d'Onagre bisannuelle.* — *Oenotherae biennis* L. (Fl. Bad. II. 133. — Cl. cet. v. Herba Lysimachiae Chamaenerii p. 130.), plantae biennis speciosae America boreali oriundae, nunc apud nos ad fluviorum ripas cet. vulgaris et cultae, caule stricto, 3—5pedali, foliis alternis ovato-lanceolatis, dentatis, floribus axillaribus speciosis luteis, in spicam terminalem foliosam digestis, calyce tubuloso, 4-partito, deciduo, corolla supera 4-petala expansa, capsula prismatica 4-loculari, Radix e planta annua autumno colligenda, fusiformi-rapiformis, externe flava vel rufescens, intus albida, succulento-carnosa, sapore grato dulciusculo. — *Part. const. praev.:* Saccharum et Amylum. — *Vis:* nutriens. — *Usus:* diaeteticus. Olim ut aperiens praescribebatur. Nunc solummodo in acetariis, tanquam olus cet. comeditur.

RADIX OLSNITII, Oelsnitii seu Thysselini, Radix Apii silvestris, Mei palustris. Oelsenitz- oder Oelnitzwurzel, Ölsenichwurzel, Alsnack- oder Elsnackwurzel, wilde Eppichwurzel, Sumpf-Bärwurzel, Sumpf-Haarstrangwurzel, Milchpeterling- oder Sumpf-Petersilienwurzel. *Racine d'Olsnitium.* — *Peucedani palustris* Moench. (*Selini palustris* L., *Thysselini palustris* Hoffm. — Fl. Bad. I. 643. Cl. cet. v. Rad. Angelicae p. 213.), plantae biennis et perennis indigenae, in pratis et dumetis paludosis, ad fossas passim, caule 3—6-pedali, superne ramoso, sulcato, firmo, foliis 3-plicato-decompositis, glabris, foliolis ovalibus pinnatifidis, laciniis lineari-lanceolatis, mucronatis, umbellis terminalibus magnis, subconvexis, radiis intus pilosis, involucro reflexo, involucellis umbellulis longioribus, flosculis albis aequalibus (de fructibus conf. Semen Oreoselini), Radix, primo vere effodienda, multiceps, fusiformi-ramosa, superne digitum et ultra crassa, externe pallide flavo-fuscescens, intus albida, lactescens; odore fragrante aromatico et sapore amariusculo-aromatico, acerrimo-urente, salivam ciens et facile inflammationem in ore efficiens. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Resina acris (?). — *Vis:* incidens, resolvens, diuretica, emmenagoga, alexipharmaca (?). — Nuper in epilepsia laudabatur. Apud nos autem vix adhibetur.

RADIX OLUSATRI seu SMYRNII. Smyrnienkrautwurzel. *Racine de Smyrnium.* — *Smyrnii Olusatri* L. (Cl. cet. praeced.), plantae biennis Galliae, Angliae, Italiae et Graeciae, Radix ramosa, alba, carnosa; odore et sapore aromatico myrrhinino. — Hodie exolevit.

RADIX ONONIDIS. Hauhechel-Wurzel. *Racine d'Arrête-boeuf.*

Synon.: Radix Restae bovis, Radix Remorae aratri, Radix Alopecuroidis, Rad. urinariae. Ochsenbrechwurzel, Stallkrautwurzel. *Racine de Bugrane épineuse.*

Ononidis spinosae W. (Fl. Bad. III. 161. — Cl. cet. v. Radix Liquiritiae p. 257.), plantae perennis locis siccis apricis, ad vias, in arvis cet. vulgaris (descript. v. in Herba p. 139.), Radix perennis, autumno colligenda, multiceps, cylindrica, calamum scriptorium ad digitum minimum crassa, bi-tri-pedalis et longior, ramosa, externe griseo-fusca, intus alba; siccata rugosa, inaequalis, densa, tenacissima, lignosa; inodora, sapore subnauseoso-acerbo, dulciusculo et subsalso, irritante; tinctura iodi radicem colore atro-coeruleo imbuit. — *Part. const. praev.*: Principium proprium gutturale (?) et Amylum. — *Vis*: diuretica, abstergens, attenuans.

Sit radix recens, supra ut bonae notae desripta; vetusta autem cariosa, fere insipida, rejiciatur. Confundi quoque fertur cum Radice Lappae minoris (p. 255.).

Usus: In infuso vel decocto. — *Praep.*: olim Aqua et Sal.

RADIX ONOSMATIS eadem est ac Radix Anchusae luteae (p. 213.).

RADIX OREOSELINI seu APII MONTANI. Bergpetersilgen- oder Grundheilwurzel. *Racine de Persil de montagne.* — *Peucedani Oreoselini* MOENCH. (*Selini Oreoselini* SCOP. *Athamantae Oreoselini* L. — v. Herba p. 140.) Radix, e plantis annosioribus autumno colligenda, simplex vel submulticeps, fusiformis, subramosa, fibrosa, superne digitum minimum ad pollicem crassa, 8 — 12 pollicaris et longior, si recens, externe flavescente-alba, passim plus minus griseo-fuscescens, intus albida; siccata cinereo-flavescens et fuscescens, superne annulata, inferne in longitudinem saepius oblique rugosa, intus albida, duramine flavescente; odore proprio grate aromatico, sapore pariter aromatico sub-pungente et aurantiaco. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum et Principium amarum (? . — *Vis*: incitans, nervina, stomachica, diaphoretica, diuretica. — *Usus*: In substantia et infuso. — Hodie radix suo ipsius nomine vix adhibetur; saepius autem radicis Pimpinellae albae loco (p. 266), quacum crebro confunditur. Ceterum radix sane efficax medicorum attentione omnino digna. — Radix vetusta, cariosa vel lignosa, fere inodora, rejiciatur.

RADIX ORELHAE D'ONCAE. Unzenohrwurzel. *Racine d'Oreille d'Once.* — *Crotonis* speciei (?). vel *Menispermi* speciei (?), fruticum brasiliensium, Radix. In commercio prostat in frustis tuberosis vel cylindricis, 2—3 pollicaribus, cortici fuscescente-flavo, in longitudinem inaequaliter rugoso, duramine flavescente, excentrice subporoso-fibroso, lignoso; duris, ponderosis, radici Columbo subsimilibus; fere inodora est, sapore amaro. — In patria radicis Senegae et radicis Columbo loco pro medicamento usurpatur.

RADIX ORNITHOGALI. Vogelmilchwurzel. *Racine d'Ornithogale.* — *Ornithogali lutei* L. (Fl. Bad. II. 37 et IV. 22. — Cl. cet. v. Rad. Allii p. 212.), plantulae perennis in dumetis, ad sepes, in pomariis cet. passim vulgaris, unifoliae, scapo compresso 4-gono, floribus subumbellatis, inaequaliter pedunculatis, parvis, hexaphyllis, patentibus, luteis, externe viridibus, margine flavo, involucro diphyllo inaequali, foliolo majori, umbellam subaequante, Bulbus solitarius ovatus, solidus, albus, sapore dulcinsculo-mucilaginoso. — Olim interne in convulsionibus infantum adhibebatur, et externe ulceribus imponi solebat. Hodie exolevit. — Hoc nomine alii quoque Ornithogalorum Bulbi, descripto simillimorum, ut: Ornithogali pratensis PERS. qui terni, horizontales et Orn. arvensis PERS. qui bini, colligebantur.

RADIX ORNITHOGALI MAJORIS. Große Vogelmilchwurzel. *Racine d'Ornithogale majeure.* — *Ornithogali pyrenaici* L. — (Fl. Bad. II. 41.), plantae alpinae Europae australis, Helvetiae, passimque Germaniae meridionalis, racemo longissimo ex floribus parvis flavescente-albis, externe nervis viridibus praeditis, Bulbus ovato-subrotundus, albus. — Hodie exolevit.

RADIX ORNITHOGALI VULGARIS. Gemeine oder doldenförmige Vogelmilchwurzel. *Racine d'Ornithogale vulgaire ou ombellé.* — *Ornithogali umbellati* L. (Fl. Bad. II. 40.), plantae perennis in pomariis, vineis, ad sepes cet. vulgaris, foliis radicalibus pluribus linearibus glaberrimis, scapo tereti, corymbo umbelliformi multifloro, expanso, florum speciosorum alborum, externe viridium, margine albo, Bulbus subglobosus albus, soboliferus, ex lamellis concentricis arcte adpressis constans; sapore amariusculo; mucilagine turgens. — Hodie pariter exolevit.

RADIX OROBANCHES. Große Sommerwurzel. *Racine d'Orobanche majeure.* — *Orobanches*

majoris L. (Fl. Bad. II. 713. — Cl. cet. v. Orobanche Virginiana p. 204.); plantae annuae supra fruticum et arborum radicibus parasiticae, in collibus siccis, graminosis, arvis cet. passim, scapo simplici recto, crassiusculo carnoso, sordide flavescente vel purpurascente, tomentoso, squamis concoloribus obsesso, floribus terminalibus flavescentibus vel fuscescentibus, pilosis, in spicam densam congestis, calyce 4-fido, corolla tubuloso-ventricosa bilabiata, Radix crassa, squamosa, carnosa, multis fibris longis fragilibus praedita, externe sordide flavescente-fusca, intus alba; inter siccandum magnopere corrugatur et nigrescit; sapore peramaro. — Olim ut carminativum, in colica flatulenta cet. adhibebatur. — Hodie exolevit.

RADIX vel potius MEDULLA RADICIS OSMUNDAE REGALIS L., Radix Filicis floridae. Königstraubenfarrenwurzel-Mark, königliche Osmundenwurzel-Mark *Racine* ou *Moëlle de racine d'Osmonde royale*, — (Cl. cet. v. Herba Lunariae p. 130.), plantae perennis silvaticae, speciosae, stipite erecto, 4-5-pedali, glabro, utrinque fronde sterili, pinnata, 8-12pollicari praedita, pinnulis oblongis lanceolatis, obtusis serrulatis, subintegerrimis, basi subauriculatis, glabris, tenerrime venosis, apice racemum 1/2—1 pedalem paniculato-compositum frondis fructiferae ex spiculis semi-pollicaribus cylindricis, capsularum brevissime pedunculatarum globosarum, fuscarum, reticulato-venosarum, in dorso tuberculatarum (olim etiam nomen Juli Osmundae regalis officinalis gerentem) exhibente, Radix ramosa, externe nigra, intus alba, sub-adstringens, dulciuscula, mucilaginosa. — Olim in rhachitide, phthisi, ut vermifugum, ad taeniam expellendam cet. adhibebatur. — *Praep.*: Extractum. — Hodie exolevit.

RADIX OXYLAPATHI v. Rad. Lapathi acuti (p. 254.).

RADIX PAEONIAE seu POEONIAE, Pioniae, Radix Rosae benedictae seu regiae, Rad. Rosae asininae. Gichtrosen- oder Pfingstrosenwurzel, Päonien-Wurzel. *Racine de Pivoine* ou *de Rose d'Ane*. — *Paeoniae officinalis* L. (v. Flor. p. 69.) Radix, autumno colligenda, tuberosa, filipendula, ex rhizomate multicipite crasso et longo, cylindrico-fusiformi et tuberibus oblongis, cylindrico-fusiformibus, vel subrotundis, ½—1 pollicem et ultra crassis et 1—3 pollices longis, filis calamum scriptorium crassis connexis, constans; externe laete flavescente-fusca vel rufa, glabra, intus alba, carnoso succulenta; celeriter et caute penitus siccanda et in vasis optime clausis loco sicco asservanda; inter siccandum corrugatur, obscure fusca et sub-violacea, leviter rugosa, intus cinerascente-alba, dura, ponderosa fit, sed facilis fractu, saepius mundata prostat (quod inutile), tum facile externe pallide violaceo-rufescens; odore recentis, praecipue marcescentis, proprio nauseoso, subrapicio, siccata inodora, aqua calida autem infusa, odorem similem, sed debiliorem spargit; sapore nauseoso, primo dulciusculo, post amaro et subacri; tinctura iodi radicem colore atro-coeruleo imbuit; infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope leviter colore coeruleo-nigro turbatur. — *Part. const. praev.*: Principium proprium acre et volatile, facile destructu, Amylum, Saccharum, Principium amarum et adstringens. — *Vis*: antispasmodica, antiepileptica, subnarcotica (?). — *Usus*: Radix recens et ejus Succus praescribitur, hac forma praestantissima; porro siccata, in pulvere. — *Praep.*: Extractum, Aqua, Syrupus, Faecula. Additur pluribus aliis compositionibus, praecipue antiepilepticis, ut: Pulveri epileptico nigro, Pulv. epileptico Marchionis, Aquae antiepilepticae cet. — Radix vetusta, cariosa, intus fusca, fere insipida, omnino rejiciatur. Hodie immerito raro praescribitur, quanquam Radix, supra ut bonae notae descripta, efficax, medicorum attentione adhuc digna.

RADIX PAEONIAE MARIS. Männliche Gichtwurzel. *Racine de Pivoine mâle*. — Hoc nomine *Paeoniae corallinae* RETZII Radix intelligitur, plantae praecedenti simillimae, iisdem passim locis crescentis et cultae, foliis sub-biternatis, foliolis ovalibus rotundatis, integris, capsulis ovalibus (4—5) tomentosis, a basi recurvatis; quae radix plerumque crassior, rhizoma exhibet fusiformi-ramosum, tuberibus filiformibus passim egens. Ceterum iisdem gaudet proprietatibus. — A medicis veteribus praecedenti praeferebatur et praestantior putabatur. — Aliarum quoque Paeoniae specierum radices ut: Paeoniae anomalae L., Paeoniae humilis RETZ., P. peregrinae MILL. cet., similibus gaudere virtutibus, veri est simile.

RADIX PALIURI. Stechdornwurzel. *Racine de Paliure*. — *Paliuri australis* GAERTN. (*Rhamni Paliuri* L. — v. Folia p. 77.) Radix, — olim ut medicamentum usitata; hodie exolevit.

RADIX PALMATAE seu PALMAE CHRISTI, Satyrii Basilici. Kreuzblumenwurzel, Händleinwurzel, Christushand, Glückshand *Racine de Palmate* ou *de Palme de Christe*. — *Orchidis latifoliae* L. et *Orchidis maculatae* L. (Fl. Bad. III. 543 et 544. — Cl. cet. v. Radix Salep p. 275.), plantarum perennium indigenarum, quarum prior in pratis udis, posterior praecipue in dumetis graminosis, montosis, passim vulgaris, inter se simillimarum, prioris caule fistuloso, posterioris solido, foliis utriusque saepius nigro-maculatis, floribus dense spicatis, plerumque rubris, calcari obtuso germine breviore, prioris petalis lateralibus reflexis, posterioris patulis, Radix vel potius Tubera palmata nova, mense Julio colligenda celeriterque siccanda. — Omnino cum radice Salep convenit et jure hoc nomine etiam in commercio prostat.

RADIX PANACIS, Rad. Chironii seu Heraclei. Panax-Wurzel. *Racine de Panax*. — *Laserpitii Archangelicae* JACQ. (*Las. Chironii* SCOP. — Cl. cet. v. Rad. Angelicae p. 213.), plantae perennis Austriae, Hungariae, Archangelicae similis, Radix crassa fusiformis, superne tuberosa, inferne brachiatim ramosa; odore et sapore forti, grate aromatico, si vulneratur lac exsudans, aëre indurescens et resinam luteam exhibens, Opopanaci (p. 204.) similem. — Apud nos non adhibetur.

RADIX PANCRATII MONSPESSULANI, Radix Hemerocallis valentinae seu Scillae minoris. Meer-Narcissenblumen-Wurzel. *Racine de Pancratium de Montpellier*. — *Pancratii maritimi* L. (Cl. cet. v. Rad. Liliorum alborum p. 257.), plantae perennis liliaceae Europae australis, Africae borealis et Indiae orientalis, ad littora marina crescentis, Bulbus crassus obscure fuscus, ex lamellis turgidis constans; sapore nauseoso, mucilaginoso. — Olim uti radix Squillae adhibebatur. — Hodie exolevit.

RADIX PAREIRAE BRAVAE, **Ambutuae**, **Butuae**, **Cissampelos**, **Caapeba Hispa-**

norum. Amerikanische Grieswurzel. *Racine de Pareira brava, de Butua.* — *Cissampeli Pareirae* L. (Cl. cet. v. Rad. Caapebae p. 223.), fruticis scandentis Indiae occidentalis et Americae meridionalis, Radix. — In commercio prostat in segmentis cylindricis digitum ad brachium crassis, 2 — 3 et plures pedes longis, subflexuosis, sulcatis et verrucosis, cortice tenui, obscuriore griseo-fusco, arcte adpresso, intus griseo-flavescentibus, structura lignosa tenacissima sed porosa, ita ut in longitudinem perflari possit, in sectione transversa annuli distincti conspicui; inodora est, infusum aquosum autem odorem exspirat debilem, radicis Liquiritiae (p. 257.) similem; sapore primo subirritante dulciusculo, glycyrrhizino, post nauseoso-amaro; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit; infusum aquosum tincturae gallarum ope valde turbatur. — *Part. const. praev.:* Principium proprium flavum amarum (?), Resina et Amylum. — *Vires* ei adscribebantur diureticae, demulcentes, nephriticae, praecipue in morbis partium uriniferarum, hydrope, ictero cet., partim in substantia, in pulvere, partim in decocto adhibebatur. Hodie rarissime praescribitur. Saepius radix vetusta, cariosa est, quae rejicienda. — Passim quoque cum radice Menispermi Abutae Lam. (Abutae rufescentis Aubl. (weißer Pareira) confunditur, quae cortice fusco praedita, et interne rubescens est; et aliis radicibus similibus, externe cinereis et intus laete flavis vel griseo-flavis, sapore peramaro. — Hinc remedium dubium ex medicamentorum copia removendum. (Conf. et cum Radice Caa-apiae loc. cit.).

RADIX PARIDIS seu SOLANI QUADRIFOLII, Rad. Vitrariae, Uvae lupinae seu inversae. Wolfsbeer- oder Einbeer-Wurzel, Pariswurzel, Schweinsaugen- oder Sauaugenwurzel, Fuchstraubenwurzel, Venusspiegel-Wurzel. *Racine de Paris* ou *de Parisette.* - *Paridis quadrifoliae* L. (v. Baccae p. 16. et Herba p. 141.) Radix vel potius Caudex subterraneus repens, filiformis, geniculatus, externe laete fuscescens, intus albidus, carnosus, fibris (radiculis) tenuibus hinc inde obsessus; odore et sapore nauseoso. — *Vis:* emetica, narcotica (?). — *Usus:* In pulvere uti Hypecacuanha. — Olim ut emeticum, praecipue in colica, tussi convulsivo, spasmis, mania cet. adhibebatur. Hodie immerito fere exolevit.

RADIX PARIPARABO. Paripărabo-Wurzel. *Racine de Paribarabo.* — *Piperis umbellati* L. (v. Oleum p. 198.) Radix. In frustis prostat calamum scriptorium crassis; odore aromatico piperino uti et sapore, qui simul amarus. — Apud nos non adhibetur.

RADIX PASTINACAE seu PASTINACAE HORTENSIS, Staphylini. Pastinak- oder Pasternakwurzel, Peſtnagelwurzel. *Racine de Panais* ou *de Pastenade.* — *Pastinacae sativae* L. (Fl. Bad. I. 719. — Cl. cet. v. Rad. Angelicae p. 213.), plantae biennis in pratis udis, ad vias, rivulorum ripas cet. vulgaris et cultae, caule erecto ramoso, crassiusculo sulcato-subaspero, foliis simpliciter pinnatis, foliolis oblongis semi-3-lobis, dentato-serratis, umbellis terminalibus mediocribus, floribus luteis (de fructibus conf. Semen), Radix, e planta culta primo anno autumno effodienda, fusiformis, annuloso-rugosa, albida, carnosa; odore proprio aromatico uti et sapore, qui simul dulcis. — *Part. const. praev.:* Saccharum, Mucilago, Amylum et paullum Olei aetherei. — *Vis:* nutriens, incidens, diuretica, radicis Dauci (p. 236.) passim similis. — *Usus:* diaeteticus; phthisicis passim radix cocta commendatur et infusum cum vino ut febrifugum. — Radix post anni spatium hyeme collecta Vires narcoticas venenatas habere fertur; ita ut ejus usu delirium et insania, ardor ingens ventriculi et oris, oculorum intumescentia cet. oriri dicantur. — Radix e planta silvestri collecta, Radix Pastinacae silvestris, wilde Pastinakwurzel, tenuior, subramosa, siccata rugosa et plus minus tuberculis sparsis obsessa, sublignosa; odore ingratiore daucino et sapore acri, nauseoso; pariter suspecta, *Viribus* noxiis praedita. — Passim cum Radice Pimpinellae albae (p. 266.) confunditur.

RADIX PATIENTIAE, Rad. Lapathi hortensis seu sativi, Rad. Rhabarbari Monachorum. Geduld- oder Gemüse-Ampferwurzel, Butterwecelwurzel, Mönchs-Rhabarber (zum Theil). *Racine de Patience, de Rhubarbe des Moines.* — *Rumicis Patientiae* L. (v. Herba p. 141.) Radix sub plantis annosioribus (sex- ad decennibus) sero autumno vel hyeme effodienda, grossa, cylindrico-fusiformis, ramosa, superne pollicem ad brachium crassa, 1 — 1½ pedalis et longior, cortice nigro-fusco, rugoso-aspero tecta, intus saturate lutea, succulento-carnosa; odore ingrato irritante, radicis Lapathi acuti (p. 254.) simili, uti et sapore, qui simul magis amarus. In secta magna crassa, cortice liberata, redacta celeriter sed caute ita siccanda ut temperatura 20 ad 25° R. non excedat; penitus siccata frusta exhibet externe flava, intus pulchre albida, striis et maculis flavis et rubris numerosissimis marmorata, radici Rhabarbari veri (p. 271.) simillima! sed consistentia duriori, triturando pulverem laete flavum praebentia; odore debili rumicino et sapore nauseoso-amaro, post adstringente acri-irritante, inter radicis Lapathi acuti et Rhabarbari medium quasi tenente; masticantis salivam colore luteo tingit; infusum aquosum frigidum flavum ope liquoris ferri muriatici oxydati colore atro-viridi turbatur, alcalium ope autem in pulchre sanguineum immutatur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens et Rumicinum (Principium peculiare Rhabarbarino simillimum!), Amylum et Calcaria oxalica. — *Vis:* tonica, aperiens, alvum ducens, Rhabarbari similis, sed minus laxans (?). — *Usus:* Pari modo ac Rhabarbarum verum adhibenda. Radix medicis hodiernis vix cognita, eorum attentione quam maxime digna, Rhabarbarum verum omnium optime supplere potest. — Sit autem radix valida, sollicite siccata, adspectu Rhabarbari veri; vetusta autem, cariosa, vel intus fusca et nigrescens omnino rejiciatur.

RADIX PEFAULINAE, Lac tigrinum. Pefaulinawurzel. *Racine de Pefauline.* — Hoc nomine Radix advehebatur, ut credunt ex provincia chinensi, Junnan, forsitan e planta Scorzonerae affini (?), quae recens lactescit; siccata autem frusta offerens agarico similia, cortice nigro tecta, intus alba, spongioso-

porosa, farinosa, duramine lignoso; triturando pulverem praebens album, farinae Tritici similem; sapore miti dulciusculo. — *Vires* ei adscribuntur confortantes, nutrientes. Hanc ob causam hecticis, tabe consumtis et haemoptoicis, praecipue vero gravidis, quod deliquia et nauseam cet. abolet commendari solet. Apud nos non adhibetur.

RADIX PENTAPHYLLI seu **QUINQUEFOLII MAJORIS**, Potentillae. Fünffingerkrautwurzel *Racine de Quintefeuille, de Pempedula.* — *Potentillae reptantis* L. (v. Herba p. 142.) Radix cylindrica, calamum stramineum ad scriptorium crassa, longa, simplex vel subramosa, fibrillosa, externe obscure fusca, in collo coma ex petiolorum ruderibus praedita, intus alba, carnosa, tenax, sapore subdulciusculo-adstringente; infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore atro-viridi turbatur. — *Part. const. praev.*: Principium adstringens. — *Vis:* tonica, adstringens, vulneraria. — Olim in diarrhoea, febribus cet. adhibebatur. Hodie exolevit.

RADIX PERIPLOCAE INDICAE v. Radix Nannary (p. 261.).

RADIX PETASITIDIS, Rad. Petasitidis majoris seu vulgaris. Pestilenzwurzel, Schweißwurzel, Neunkraftwurzel, Großhuflattigwurzel. *Racine de Pétasite, Racine de grand pas d'Ane.* — *Tussilaginis Petasitidis* L. (Fl. Bad. III. 430. — Cl. cet. v. Flor. Farfarae p. 65.), plantae perennis speciosae indigenae, in pratis humidis, ad fossas rivulosque passim vulgaris, foliis radicalibus maximis, longe petiolatis, orbiculari-cordatis, subsinuato-obtusangulatis, inaequaliter dentatis, superne obscure viridibus, opacis, inferne villoso-cinereis, subrugosis, scapo simplici erecto, squamis rufescentibus obsesso, floribus (calathiis) discoideis, pulchre purpurascentibus, in thyrsum densum ovatum digestis, Radix cylindrica repens, ramosa, collo subtuberoso, pollicem et ultra crasso, ramis calamum scriptorium ad digitum crassis, praelongis; si recens, externe flavescente-grisea, albida, siccata cinerea, rugosa, intus alba, carnosa, fragilis, odore proprio aromatico, subacri et sapore dulciusculo, post aromatico, amariusculo, subacerbo; infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore obscure viridi turbatur. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum, Principium adstringens et amarum et Inulinum. — *Vis:* incitans, tonica, cardiaca, demulcens, alexipharmaca (?), anthelmintica (?). — *Usus:* In pulvere, infuso, recens contrita ulceribus malignis adeoque pestis bubonibus imponebatur. — *Praep.*: Aqua prophylactica. — Radix sane efficax hodie nimis negligitur.

RADIX PETROSELINI, Rad. Apii alpini seu hortensis. Petersilgenwurzel, Peterleinwurzel. *Racine de Persil.* — *Petroselini sativi* Hoffm. (*Apii Petroselini* L. — v. Herba p. 142.) Radix primo anno autumno colligenda, celeriter siccanda et in vasis optime clausis loco sicco asservanda, fusiformis, simplex vel subramosa, superne digitum et ultra crassa, 1 — 1½ pedes longa; si recens, externe flavescente-alba, interne alba, succulento-carnosa, superne annulata, inferne glabriuscula, inter siccandum corrugatur et rugosa fit, externe laete cinereo-flavescens, intus alba, carnoso-farinosa, duramine flavescente; odore, praecipue recentis, proprio dulciusculo-aromatico et sapore dulciusculo-aromatico, subpungente; inter siccandum magna parte perditur; tinctura iodi radicem colore atro-coeruleo imbuit. — *Part. const. praev.*: Saccharum, Amylum et Oleum aethereum Camphoram propriam continens. *Vis:* diuretica, diaphoretica, resolvens, lithontriptica (?). — *Usus:* In infuso. — *Praep.*: Speciebus pluribus additur et ad Radices 5 aperientes majores pertinet. — Radix vetusta, cariosa, fere inodora et insipida aut mucida, rejiciatur.

RADIX PEUCEDANI, Pinastellae, Foeniculi porcini. Haarstrangwurzel, Saufenchelwurzel, Schwefelwurzel. *Racine de Queue de Porceau, de Peucédane, de Fenouil de Porc.* — *Peucedani officinalis* L. (Fl. Bad. I. 649. — Cl. cet. v. Rad. Angelicae p. 213.), plantae perennis indigenae, in pratis subhumidis passim, caule erecto 2 — 4 pedali, ramoso, glabro, striato, foliis 3-plicato-pinnatifidis, foliolis laciniisque linearibus angustis et longis, umbellis terminalibus speciosis, planis, floribus ochroleucis (de fructibus conf. Semen Oreoselini), Radix grossa, e plantis annosioribus autumno colligenda, multiceps, cylindrico-ramosa, superne digitum, ad 2 pollices crassa, externe griseo-nigro-fusca, intus flavescens, carnosa et lactescens; siccata annulata, verrucis seu cicatricibus ruderum fibrarum undique praedita, rugoso-aspera, intus pallide sulphurea, dura sed levis, porosa et fragilis, fractura opaca amylacea, odore praecipue recentis forti, proprio, ingrato acri-aromatico et sapore nauseoso acri, subsalso-amaro; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit. — *Part. const. praev.*: Peucedanium, Oleum aethereum et Amylum. — *Vis:* incidens, resolvens, stomachica, diuretica, alexipharmaca (?). — *Usus:* In pulvere, decocto; et externe ad ulcera inveterata sananda commendatur. — Hodie praecipue in arte veterinaria adhuc praescribitur, sed radix efficax etiam in morbis hominum medicorum attentionem meretur.

RADIX PHLOMIDIS TUBEROSAE L., Knollige Phlomiswurzel, *Racine de Phlomis tubéreuse*

— (Cl. cet. v. Herba Marrubii p. 132.), plantae perennis Tauriae, Sibiriae, Radix tuberosa. — In patria in infuso, ut laxans adhibetur. Radix siccata et cocta pro nutrimento inservit.

RADIX PHU, Phu pontici seu veri, Rad. Valerianae majoris seu hortensis sive anglicae, Rad. Theriacariae. Große Baldrian- oder Phu-Baldrianwurzel, Garten- oder Bergbaldrianwurzel, Theriakwurzel. *Racine de Phu, de grande Valériane.* — *Valerianae Phu* L. (Fl. Bad. I. 68. — Cl. cet. Rad. Valerianae v. infra), plantae perennis montanae, in pratis silvaticis Bohemiae, Helvetiae et Germaniae meridionalis passim, et cultae, caule erecto 2 — 4 pedali, cylindrico, leviter striato, glabro, fistuloso, foliis radicalibus ellipticis subintegerrimis vel lyratis, caulinis pinnatifidis et pinnatis, pinnis oblongis integerrimis, glabris, corymbo terminali paniculato, ex floribus niveis, grate odoris, Radix vel potius Caudex semi-subterraneus oblique vel horizontaliter repens, digitum et ultra crassus, 4 — 6 pollices longus et longior, subtus fibris (radicibus) calamum stramineum et ultra crassis obsessus, subcylindricus, saepius inaequaliter turgidus, annulatus, colore griseo-fusco; inter siccandum valde corrugatur, magis annulato-sulcatus et in longitudinem rugosus fit, colore obscuriore, consistentia carnosa, molli; odore forte-aromatico valerianino uti et sapore, simul amaro. — *Part. const.* et *Vis:* uti Radicis Valerianae (?). — *Usus:* Idem. — Additur Theriacae et pluribus aliis compositionibus antiquis; hodie autem rarissime adhibetur. — Radix vetusta, cariosa, parum odora, rejiciatur.

RADIX PHU VETERUM. Phu der Alten. *Racine de Phu des Anciens*, est *Valerianae Dioscoridis* L., plantae perennis Asiae minoris, Radix tuberosa, fusiformis, multiplex. — Apud nos non adhibetur.

† RADIX PHYTOLACCAE seu SOLANI AMERICANI RACEMOSI, Mechoacannae virginianae (?). Kermesbeeren- oder Scharlachbeerenwurzel, amerikanische Nachtschattenwurzel. *Racine de Phytolaque, de Raisin d'Amérique.* —*Phytolaccae decandrae* L. (v. Herba p. 143.) Radix crassa fusiformis, ramosa, externe cinerascens, intus alba carnosa, sapore dulciusculo, post nauseoso-subacri.— *Vi* narcotica venenata praedita. — Apud nos non adhibetur.

RADIX PIMPINELLAE. Biebernellwurzel. *Racine de Pimprenelle.*

Synon.: Radix Pimpinellae albae seu Saxifragae, hircinae, Rad. Tragoselini. Steinpeterlein- oder Pfeffer-Wurzel. *Racine de Boucage, de Bouguetine.*

Pimpinellae Saxifragae L. (Fl. Bad. I. 722. — Cl. cet. v. Rad. Angelicae p. 213 — descript. plantae v. in Herba p. 143.) Radix, e plantis annosioribus primo vere vel autumno locis siccioribus colligenda celeriterque, sed caute, siccanda et in vasis bene clausis asservanda; fusiformis est, plerumque multiceps, sub collo subito incrassata, calamum scriptorium ad digitum minimum crassa, raro crassior, inferne simplex vel bifida, passim subramosa, 3 6 pollices longa, siccata corrugata et plus minus flexuoso-curvata, externe sordide et laete vel obscure cinereo-flavescens, praecipue superne tenere, sed insigniter, annulata, inferne plus minus in longitudinem sulcato-rugosa, tuberculis inaequalibus transversalibus sparsis praedita, hinc aspera; intus flavescente-alba, subporosa et stellatim lamellosa, farinoso-carnosa, punctis resinosis sparsis aurantiacis, flavis intermixta, duramine densiore, sed pariter fragili; odore peculiari forti, ingrato, aromatico, hircino, et sapore dulciusculo, aromatico, peracri-pungente; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit; infusum aquosum liquore ferri muriatici oxydati nec coloratur nec turbatur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Resina acris et Amylum. — *Vis:* incidens, excitans, stomachica, diaphoretica, diuretica, resolvens.

Sit radix siccata recens, carnosa, odore proprio subhircino et sapore peracri praedita; radix vetusta cariosa vel lignosa, parum odora rejiciatur. Confunditur passim cum aliis radicibus similibus, ut: Radice Pimpinellae magnae (v. subsequens), praecipue autem cum radice Oreoselini (p. 262.), Radice Dauci Carotae silvestris (p. 236.), Radice Cari Carvi, Radice Pastinacae silvestris (p. 264.) cet. quae tamen omnes odore carent proprio hircino et plerumque majores et minus tuberculoso-verrucosae asperae sunt. Ceterum conferantur descriptiones locis citatis.

Usus: In pulvere vel infuso. — *Praep.:* Tinctura, Extractum, Aqua, Oleum aethereum. Additur aliis quoque compositionibus, ut: Speciebus pro Gargarismate, Pulveri stomachico Birkmanni, Essentiae alexipharmacae cet. — Hodie praecipue in arte veterinaria adhibetur.

RADIX PIMPINELLAE HORTENSIS seu **ITALICAE MINORIS.** Gartenbiebernellwurzel, italiänische schwarze Biebernellwurzel, Becherblumenwurzel. *Racine de Pimprenelle commune.* — *Poterii Sanguisorbae* L. (v. Herba p. 143.) Radix cylindrico-fusiformis multiceps, calamum scriptorium ad digitum minimum crassa, recens externe fusca, passim rufescens et flavescens, siccata griseo-flavescente-fusca, in longitudinem rugosa, non annulata, intus alba, sublignosa, odore recentis grate aromatico uti et sapore, qui simul acerbo-amariusculus; siccata inodora; infusum aquosum liquore ferri muriatici oxydati colore coeruleo-nigro turbatur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum (parva quantitate) Principium adstringens et amarum. — *Vis:* subexcitans, adstringens. — *Usus:* In infuso aut decocto. Hodie pariter atque Herba exolevit. — Ne confundas cum radice praecedente.

RADIX PIMPINELLAE ITALICAE MAJORIS seu RUBRAE, Rad. Sanguisorbae seu Sorbastellae. Große italiänische oder welsche Biebernellwurzel, rothe Wiesenknopf-Wurzel, Blutkraut-Kölblein-Wurzel. *Racine de Pimprenelle d'Italie, de Pimprenelle rouge, de Sanguisorbe.* — *Sanguisorbae officinalis* L. (v. Hb. p. 143.) Radix cylindrico-ramosa, superne digitum et ultra crassa, externe nigro-vel rubro fusca, intus flavescens, dura, densa; inodora, sapore adstringente; infusum aquosum liquore ferri muriatici oxydati colore coeruleo-nigro praecipitatur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens. — *Vis:* tonico-adstringens, roborans. — Olim in diarrhoea, ut vulnerarium cet. adhibebatur. Hodie subinde a veterinariis adhuc praescribitur. — Confundi quoque fertur cum radice Pimpinellae albae, id quod vix credibile.

RADIX PIMPINELLAE MAJORIS seu TRAGOSELINI MAJORIS. Große Biebernell-Wurzel. *Racine de Pimprenelle majeure, de Boucage élevé.* — *Pimpinellae magnae* L. (Fl. Bad. I. 724. — Cl. cet. v. Rad. Pimpinellae albae), plantae perennis locis humidis, ad rivulorum ripas, sepes, in pratis passim vulgaris, Pimpinellae Saxifragae simillimae, sed caule altiore, anguloso-sulcato, foliolis caulinis inferioribus et superioribus subsimilibus, argute incisis et lobato-serratis, laciniis acutis, Radix radici Pimpinellae Saxifragae simillima, plerumque autem crassior et longior, collo multicipite, passim subtuberoso, 2—3 pollices in diametro habente; colore, siccatae, externe passim saturatius, passim pallidius griseo-fusco. Ceterum et odore et sapore simili praedita est, iisdemque gaudet viribus et eodem modo adhibetur.

RADIX PIMPINELLAE NIGRAE seu TRAGOSELINI MINORIS. Schwarze Biebernell-Wurzel, Blauwurzel. *Racine de Pimprenelle noire.* — *Pimpinellae Saxifragae* L. (*Pimpinellae nigrae* W.), varietatis pubescentis, in collibus saxosis apricis, praecipue Germaniae borealis provenientis, caule foliisque pubescentibus, Radix, plerumque externe nigrescens, si vulneratur lac exsudans coeruleum; ceterum et odore et sapore praecedentium simili. — *Part. const. praev.:* eaedem; destillatione autem cum aqua oleum aethereum laete coeruleum elicitur. — *Vis:* eadem. uti et *Usus.* — Nomine Radicis Pimpinellae nigrae etiam Radix Pimpinellae magnae, sed improprie, intelligitur.

RADIX PIPI seu PETIVERIAE. Pipi-Wurze Knoblauchstrauchwurzel *Racine de Pipi.* — *Petiveriae alliaceae* L., e cl. Hexandria, ord. Tetragynia, fam. Phytolaccearum, fruticis Indiae occidentalis et Americae meridionalis, apud nos passim cultae, Radix rapiformi-ramosa, digitum minimum crassa, cinereo-flava; odore, praecipue corticis, alliaceo. — In Brasilia ut diaphoreticum, ad balnea vaporum, in paralysi cet. crebre adhibetur.

RADIX PIPERIS METHYSTICI FORST., Radix Avae seu Kavae. Ava- oder Kava-Wurzel. *Racine d'Ava.* — (Cl. cet. v. Piper album p. 206.), fruticis insularum Oceani australis, Radix ramosa, annulatim fibrosa, externe grisea, intus alba, lignosa; sapore aromatico, peracri. — In patria ut diaphoreticum, in syphili cet. maxime celebratur. Potum quoque ex radice contrita cum aqua parant, ipsis gratissimum, inebriantem, nomine Ava notum. Novissimis temporibus radix in Anglia quoque ut medicamentum, praecipue in rheumatismis chronicis, praescribitur.

RADIX PIPERIS PELTATI L., Schildförmige Pfefferwurzel, *Racine de Poivre pelté,* — fruticis Indiae occidentalis Radix. — In patria etiam ut diaphoreticum adhibetur.

RADIX PISTOLOCHIAE v. Rad. Aristolochiae (p. 215.).

RADIX PLANTAGINIS AQUATICAE seu ALISMATIS. Wasserwegerich- oder Froschlöffelwurzel. *Racine de Plantain d'Eau.* — *Alismatis Plantaginis* L. (v. Herba p. 143.) Radix tuberosa, sub-globosa, alba, pluribus fibris praedita, carnoso-succulenta, lactescens; odore recentis proprio, radicis Iridis (p. 252.) subsimili, sapore nauseoso-acri, siccata inodora et minus acris, farinosa. — Olim externe ut rubefaciens, in hydrope, contra haemorrhoides applicabatur; nuper in hydrophobia laudabatur. Apud nos autem non adhibetur.

RADIX PLANTAGINIS LATIFOLIAE seu MAJORIS, Radix Arnoglossi. Große oder breite Wegerichwurzel. *Racine de grand Plantain.* — *Plantaginis majoris* L. (v. Herba p. 143.) Radix crassiuscula, sub-turbinata, fibrosa, externe tomento rubiginoso passim tecta, intus albida, sapore dulciusculo-subsalso. — Olim in febribus intermittentibus et ut vulnerarium commendabatur. — Hodie exolevit.

RADIX PLANTAGINIS MEDIAE L. Mittlere Wegerich Wurzel. *Racine de Plantain moyen* — (v. Herba p. 143.) praecedenti est similis, sed plerumque tenuior, fusiformis, simplex vel subramosa, passim praemorsa, fibris sparsis filiformibus praedita, superne digitum minimum circiter crassa, et insigniter annulata, pallide fuscescens, intus alba, flavescens, densa, sublignosa; odore, si recens, debili, nauseoso-irritante et sapore subacerbo; tinctura iodi radicem colore fusco tantum imbuit; infusum aquosum liquore ferri muriatici oxydati vix colore virescente-fusco turbatur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens (parum). — Olim pariter ac praecedens, praecipue ad sanguinem sistendum, in vomitu et sputitione sanguinis est adhibebatur; sed hodie item exolevit.

RADIX PLUMERIAE ALBAE. Weiße Plumerienwurzel. *Racine de Plumeria blanche.* — (v. Lignum Jasmini p. 172). In patria in lue venerea sananda adhibetur. — Plumeria drastica MART., arbor brasiliensis, succum lacteum exhibet, qui in patria pro purgante usurpatur.

RADIX PNEUMONANTHES, Antirrhini coerulei seu Gentianae coeruleae. Blaue Tarant- oder Drachenwurzel, blauer Wiesen Enzian, Lungenblumenwurzel. *Racine de Pneumonanthe, de Gentiane bleue* ou *de marais.* — *Gentianae Pneumonanthes* L. (v. Flor. p. 69 et Herba p. 144.) Radix tenuis, ramosa, albida, amara. — Hodie pariter ac reliquae plantae partes exolevit.

RADIX PODOPHYLLI PELTATI. Fußblatt- oder Entenfußblattwurzel, Maiapfel *Racine de Podophylle*, e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Podophyllacearum, plantae perennis Americae borealis, Radix tuberosa, digitum et ultra crassa, alba. — In patria ut purgans, emeticum, anthelminticum adhibetur. — *Praep.:* Extractum.

RADIX POLANISIAE DODECANDRAE DEC. (Cleomes dodecandrae L.), Bastardsenfwurzel. *Racine de Mosambé dodécandre*, e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Capparidearum, plantae perennis Indiae orientalis, Radix. — In patria ut anthelminticum adhibetur.

RADIX POLYGALAE AMARAE v. Herba (p. 144.).

RADIX POLYGALAE HUNGARICAE seu MAJORIS (improprie Radix Polygalae amarae). Ungarische oder große Kreuzblumenwurzel (fälschlich bittere Kreuzblumenwurzel genannt). *Racine de Polygale de Hongrie.* — *Polygalae majoris* JACQ., plantae perennis Austriae, Hungariae et Orientis, Polygalae vulgaris (v. sequens) simillimae, sed in omnibus partibus majoris, Radix. — In commercio prostat siccata, cylindrico-fusiformis, ramosa, fibrosa, flexuosa, superne calamum stramineum et calamum scriptorium crassa, nodosa, 2—4 pollices longa et longior, collo incrassato-nodoso, submulticipiti, absegminibus caulium, foliis infimis minutis, obovatis passim obsessis, praedito, externe griseo-fusca, rugosa; radices crassiores radici Senegae (p. 282.) sub-similes, sed cortice tenui tantum, facili solutu, fragili praeditae et duramine flavescente-albido, lignoso, tenaci; inodora est, sapore corticis modice amaro, simul subirritante, post dulciusculo; infusum aquosum liquore ferri muriatici oxydati colore obscure fusco tingitur et tinctura gallarum albide turbatur. — *Part. const. praev.:* Principium proprium amarum et irritans. — *Vis:* tonica, resolvens, expectorans. — *Usus:* In pulvere vel decocto. — *Praep.:* Extractum.— Praecipue in phthisi pulmonali commendatur. Radix vetusta, nigrescens, mucida rejiciatur. De confusione cum Polygala amara v. p. 144., et cum Polygala vulgari v. p. 145. et Radix subsequens; porro cum Polygono aviculari v. Herba Centumnodii (p. 106.).

RADIX POLYGALAE POAJAE MART., Poaja-Kreuzblumenwurzel, *Racine de Polygale Poaja*, — plantae perennis brasiliensis, Radix tenuis vermicularis, hinc inde circumscissa et cicatricibus notata, subtus subramosa, cortice subspongioso, pallide ochraceo et duramine lignoso; sapore dulciusculo, post amaro. — *Vi* emetica praedita et in patria passim ut Hypecacuanha adhibetur.

RADIX POLYGALAE VULGARIS seu GERMANICAE (improprie passim Radix Polygalae amarae nominatur). Gemeine oder deutsche Kreuzblumenwurzel (fälschlich auch bittere Kreuzblumenwurzel genannt). *Racine de Polygale commun* (v. Herba p. 145.). Radix radici Polygalae hungaricae simillima, sed tenuior, plerumque filiformis, calamo stramineo vix crassior, plerumque etiam cum caulium absegminibus, 1—2 pollices longis, hinc inde foliis parvis, inferne minoribus, ovato lanceolatis obsessis, praedita; colore est passim pallidiore griseo, ceterum pariter tenax, lignosa; inodora et sapore amariusculo subirritante. — *Vires* habet easdem, quas Polygala hungarica, sed inferioris est virtutis; eodemque modo adhibetur (Conf. et Herba). — In America boreali quoque hunc in finem Radix Polygalae rubellae W., plantae pensylvanicae, colligitur, iisdem ac Polygalae amarae gaudens proprietatibus.

RADIX cum FOLIIS POLYGALAE SANGUINEAE L., plantae virginianae et Polygalae thesioidis W. Clin-Clin quae nominatur, plantae chilensis, *Viribus* radicis Senegae (p. 282.), ut credunt, praeditae, — in ipsarum patria etiam pro medicamentis usurpantur.

RADIX POLYPODII, Polypodii querni seu Filiculae dulcis. Engel-

füßwurzel, Baumfarrn- oder Eichfarrnwurzel, Korallenwurzel, Kropfwurzel. *Racine de Polypode.* — *Polypodii vulgaris* L. (Cl. cet. v. Rad. Filicis p. 240.), plantae perennis indigenae, in rupibus, muris antiquis, in silvis ad truncos et radices arborum passim vulgaris, fronde profunde pinnatifida, glabra, subcoriacea, laciniis lineari-oblongis, obtusis, subserratis, soris subtus biserialibus subsemi-globosis, nudis, fusco-aurantiacis, stipite paleaceo. Radix vel potius Caudex horizontalis superficiarius, cylindrico-compressus, calamum scriptorium circiter crassus, 3—6 pollices longus et longior, flexuosus, praecipue superne propaginibus abbreviatis patelliformibus sparsis, stipitum emarcidorum, paleis fusco-aureis, facile detergendis et fibrillis praeditus, quae squamae et fibrillae solvendae, tunc adspectu nodoso-dentato, quasi corallinus apparet; colore laete vel obscure rubro-fusco-flavescente, intus flavo-virescente; siccatus in longitudinem leviter striato-rugosus et asper; fragilis, carnosus, subpinguis; odore ingrato oleoso et sapore dulci, tunc irritante amariusculo; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit; infusum aquosum liquore ferri muriatici oxydati atro-viride coloratur. — *Part. const. praev.:* Principium proprium extractivum dulce, Principium adstringens, Oleum pingue et Amylum. — *Vis:* subtonica, incidens, aperiens, diuretica, expectorans, vermifuga. — *Usus:* In pulvere raro, in infuso aut decocto. — *Praep.:* Extractum. — Sit radix recens, intus flavo-viridis; vetusta autem, cariosa vel intus fusca, mucida, omnino rejiciatur.

RADIX POLYPODII LEPIDOPTERIS. Schilfblätterige Tüpfelfarrnwurzel. *Racine de Polypode lépidoptère.* — *Polypodii percussi* CAV., plantae Americae meridionalis Radix. — In patria ut Radix Filicis adhibetur.

RADIX POPULI TREMULAE. Zitterpappel- oder Espenwurzel. *Racine de Peuplier tremble.* — *Populi Tremulae* L. (v. Fol. p. 78.) Radix vel potius Sarmenta radicis, primo vere colligenda. Foliorum virtutibus, ut probabile est, praedita. — In Suecia ut medicamentum recepta est.

RADIX PORRI v. Rad. Cepae oblongae (p. 229.).

RADIX PRENANTHES ALTISSIMAE L. et PRENATHES SERPENTARIAE PURSH., Snake-Woode, Höchste und Schlangen-Prenanthes-Wurzel, *Racine de Prénanthe le plus grand* et *Serpentaire*, — plantarum Americae borealis, Radices. — In patria uti et totae plantae contra morsum serpentum venenatorum adhibentur.

RADIX PRIMULAE VERIS seu PARALYSEOS, Rad. Verbasculi pratensis, Rad. Paradisiaca, arthritica. Schlüsselblumenwurzel, Himmelschlüsselwurzel, Primelnwurzel u. s. w. *Racine de Prime-vère.* — *Primulae officinalis* JACQ. (v. Flores p. 69 et Herba p. 145.) Radix, autumno colligenda, Rhizomate (Caudice) brevi, filiformi, calamum scriptorium et ultra crasso, squamoso-tuberculoso, laete griseo, intus albido, undique fibris albidis praedito; odore debili aromatico, subanisino et sapore irritante amariusculo. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum (parva quantitate) et Principium amarum (?). — *Vis:* nervina, tonica (?), anodyna, antispasmodica (?), emetica (?). — *Usus:* In pulvere, infuso. — *Praep.:* Acetum, Oxymel. Hodie vix adhibetur.

RADIX PSEUDO-DICTAMNI. Unächter Dictam. *Racine de Dictame faux*, — plantae insulae Cretae, Radix amariuscula; Dictamni albi (p. 236.) viribus praedita esse fertur, sed debilior. — Apud nos non adhibetur.

RADIX PSIDII seu GUAJAVAE. Gujavawurzel *Racine de Gojavier.* — *Psidii pyriferi* L. vel *Psidii pomiferi* L. (v. Folia Guajavae p. 76.) Radix cylindrica, curvata, ramosa, lignosa, cortice brunneo vestita, intus alba, subrubella; sapore peradstringente. — In patria ut tonicum, adstringens uti Radix Ratanhiae (p. 271.) et Lignum Campechianum (p. 171.) adhibetur.

RADIX PTARMICAE, Pyrethri germanici (improprie) seu silvestris, Rad. Sternutatoriae. Wiesenbertram- oder Nießgarben-Wurzel. *Racine de Ptarmique, Racine à éternuer.* — *Achilleae Ptarmicae* L. (v. Flor. p. 69. et Herba p. 146.) Radix vel potius Caudex subterraneus repens, inde ab origine obliquus, calamum scriptorium et ultra crassus, fibris (radiculis) crassiusculis obsessus, elongatus in stolones subterraneos horizontales, longos, flexuosos, geniculatos et nodosos, calamum stramineum crassos et crassiores, subtus fibrillis (radiculis) praeditos, novas plantas emittentes; si recens, colore cinereo-albido, siccatus griseo-fuscescens; inodorus, sapore primo miti, post acerrimo mordaci, faucibus diu adhaerente et salivam ciente uti Rad. Pyrethri (p. 270.); tinctura iodi radicem non nisi colore fusco, mox evanescente, imbuit; infusum aquosum liquore ferri muriatici oxydati colore sordide viridi turbatur. — *Part. const. praev.* et *Vis:* uti radicis Pyrethri. — *Usus:* Idem. Olim ut sternutatorium, in epilepsia cet., hodie autem immerito, vix adhibetur.

RADIX PTERIDIS AQUILINAE v. Rad. Filicis feminae (p. 241.).

RADIX PULSATILLAE, Rad. Herbae Venti. Küchenschellen-, Osterblumen-Wurzel, Windblumenwurzel. *Racine de Coquelourde.* — *Anemones Pulsatillae* L. (v. Herba p. 147.) Radix, autumno colligenda, crassiuscula, fusiformi-subramosa, superne coma pilosa ex petiolorum ruderibus praedita, obscure fusca, siccata rugosissima, erosa, radici Carlinae (p. 226.) similis, densa, sublignosa; sapore subdulci, peracri-pungente. — *Vis:* uti Herbae. — Olim ut alexipharmacum, contra virulentorum animalium ictus et ipsam pestem celebrata. Hodie exolevit. — Radix ex Anemone pratensi L. (v. Herba p. 146.) quoque colligi potest, forsitan praestantior.

RADIX PYRETHRI, Salivalis seu Dentariae, Rad. Pedis Alexandrini. Bertramwurzel, Speichel-, Geifer-Wurzel, Zahnwurzel, Jungfernkrautwurzel, Johanniswurzel. *Racine de Pyrèthre* ou *de Salivaire.* — *Anthemidis Pyrethri* L. (*Anacycli officinarum* HAYNE et *Anacycli Pyrethri* LINK. — Cl. cet. v. in Flor. Chamomillae p. 64.), plantae annuae et perennis Europae australis, Africae borealis et Orientis passimque in Germania cultae, caule erecto (plantae annuae) vel decumbente (plantae perennis) foliis bipinnatifidis, laciniis linearibus angustis, acutis, floribus (calathiis) terminalibus speciosis, radiantibus, passim subdiscoideis (plantae annuae), radio superne niveo, subtus purpureo, receptaculo (anthoclinio) paleaceo, achenis pappo destitutis, compressis, utrinque alatis, apice bidentatis, Radix. — Duae species in commercio prostant: 1) Radix Pyrethri germanici, thuringici, deutscher, thüringischer Bertram, *Racine de Pyrèthre allemand*, quae a planta annua, in Thuringia culta, desumitur. Siccata Rhizoma exhibet cylindrico-fusiforme, tenue, superne calamum stramineum ad summum scriptorium crassum, coma crassiuscula, absegminum caulium petiolorumque 1—2 pollicari praeditum, 4—8 pollices longum, fibris sparsis filiformibus et capillaribus obsessum. 2) Radix Pyrethri romani seu veri, römischer oder ächter Bertram, *Racine de Pyrèthre romain* ou *vrai*, quae e planta perenni derivatur. In frustis occurrit cylindricis vel cylindrico-fusiformibus, crassioribus, calami scriptorii ad digiti minimi ambitum assequentibus, saepius curvatis, ad utrumque finem abscissis, coma fibrisque destitutis. — Ambae sunt externe rugosae, griseo-fuscae, intus cinereo-albidae, punctis sparsis nitentibus flavis vel fuscis praeditae, densae, durae, sed fragiles, fractura inaequali, inodorae, sapore peracri mordaci, subcaustico, diu faucibus adhaerente; maxime sialagogae; tinctura iodi radices colore fusco tantum imbuit, infusum aquosum liquore ferri muriatici oxydati sordide viridi-fuscescente turbatur. — *Part. const. praev.:* Resina (vel potius Principium peculiare crystallinum (?)) acerrima, Oleum aethereum, Principium amarum et Inulinum. — *Vis:* incidens, irritans, stimulans, sialagoga, externe rubefaciens, sternutatoria. — *Usus:* Interne rarissime, et tunc caute adhibenda in pulvere vel infuso; in linguae paralysi et doloribus dentium manducanda commendatur. — *Praep.:* Tinctura, Tinct. odontalgica, Spiritus, Pilulae Pyrethri. — Additur Pulveri sternutatorio et aliis compositionibus. — Usus stultissimus ad augendam Aceti acrimoniam omnino damnandus. Radix vetusta, cariosa vel mucida rejiciatur. De confusione cum radice Ptarmicae conf. supra (p. 269.).

RADIX QUASSIAE. Quassienwurzel *Racine de Quassia.* — Hoc nomine Myrmeciae scandentis W. (Tachiae guianensis AUBL. — Cl. cet. v. Radix Fraseri p. 242.), fruticis sarmentosi, scandentis, Guianae, Radix, 1—2pollices crassa, 1—4pedalis, cortice albo spongioso et duramine molli radiatim annulato; sapore amarissimo, — in patria uti Lignum Quassiae (p. 173.) adhibetur.

RADIX RANUNCULI FLAMMEI MAJORIS. Große Sumpfhahnenfuß- oder Ranunkelwurzel. *Racine de Renoncule langue, de grande Douvre.* — *Ranunculi Linguae* (v.Herba p. 148.) Radix multiceps, fibrosa, albida, acerrima, vesicans, venenata. — Olim uti Herba, ut vesicans, Cantharidum cet. loco adhibebatur. — Hodie autem pariter exolevit.

RADIX RANUNCULI BULBOSI v. Bulbi (p. 28.).

RADIX RAPAE SATIVAE, Rapa. Gemeine weiße Rübe. *Rave* ou *Navet.* — *Brassicae Rapae* L. (Fl. Bad. III. 94. — Cl. cet. v. Herba Brassicae p. 100.), plantae annuae et biennis cultae, tritissimae, Radix rapiformis, polymorpha, subglobosa vel oblonga cet., externe alba, rubro- vel viridi-maculata, intus alba, succulenta; odore proprio ingrato lepidino et sapore dulci aquoso, plus minus amariusculo-acri. — *Part. const. praev.:* Saccharum et paullum Olei aetherei. — *Vis:* nutriens, resolvens, refrigerans. — *Usus:* diaeteticus; in decocto, radix recens cocta et trita pernionibus imponitur. — *Praep.:* Succus, Syrupus, Emplastrum seu Unguentum ad Perniones.

RADIX RAPHANI AQUATICI. Wasserrettig, Sumpfkressen-Wurzel. *Racine de Sisymbre des marais, Radis sauvage,* — *Nasturtii palustris* DEC. (*Sysimbrii palustris* L. (Fl. Bad. III. 61. — Cl. cet. v. Herba Nasturtii p. 138.), plantae annuae et biennis, in fossis, paludibus, ad rivulorum et fluviorum ripas, vulgaris, caule erecto vel decumbente, ramoso, foliis pinnatifidis, floribus in racemos terminales digestis, parvis, luteis, petalis calyce brevioribus, siliquis declinatis, Radix fusiformis, alba, carnosa, sapore acripungente, radicis Armoraciae simili. — Hodie exolevit.

RADIX RAPHANI NIGRI seu HORTENSIS. Gemeiner oder Garten-Rettig, schwarzer Rettig. *Raifort cultivé, Radis noir.* — *Raphani sativi* L. (Fl. Bad. III. 105. — Cl. cet. praecedentis), plantae annuae et biennis, originis chinensis, nobis cultae, tritissimae, Radix crassa subglobosa, rapiformis, externe nigrescens (ex varietate Raphani nigri), intus alba, carnoso-succulenta; odore proprio penetrante acri, subnauseoso lepidino et sapore plus minus acri-pungente et amariusculo-dulci. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Saccharum (parum). — *Vis:* resolvens, diureti-

ca, antiscorbutica, nutriens. — *Usus:* diaeteticus; scorbutis cet. comedenda praescribitur. — *Praep.:* Succus expressus, Syrupus, Tinctura, Aqua, Oleum aethereum.

RADIX RAPHANI RUSTICANI v. Radix Armoraciae (p. 216.).

RADIX RAPUNCULI. Rapunzel, ährenförmige. *Racine de Raiponce à épi.* — *Phyteumatis spicati* L. (Fl. Bad. I. 484. — Cl. cet. v. Herba Campanulae graminifoliae p. 102.), plantae perennis in pratis montosis, gramineis, silvaticis, passim vulgaris, caule erecto simplici, sulcato, foliis infimis longe petiolatis, cordatis, duplicato-crenatis, superioribus breviter petiolatis et sessilibus, ovatis et lanceolatis, floribus in spicam terminalem ovato-oblongam congestis, albis vel violaceo-coeruleis, corolla 5-partita, primum tubulosa, curvata, laciniis apice cohaerentibus, postea rotata, laciniis recurvis, Radix rapiformi-fusiformis, alba, longa, carnosa, sublactescens, dulciuscula, esculenta. — Olim ut medicamentum resolvens cet. adhibebatur, hodie exolevit. — In acetariis passim adaptatur. — Pari modo Radix Phyteumatis orbicularis L., plantae montanae, alpinae, praecedenti simillimae, sed floribus minoribus plerumque cyaneis, in capitulum subglobosum congestis, adhibetur.

RADIX RAPUNCULI ESCULENTI. Eßbare Rapunzel. *Racine de Raponce* ou *de Raiponce comestible.* — *Campanulae Rapunculi* L. (Fl. Bad. I. 471. — Cl. cet. praecedentis), plantae biennis in pratis siccis, ad vias, silvarum margines cet. vulgaris, passimque in hortis cultae, caule erecto, superne ramoso, hirsuto, foliis angustis, radicalibus ovato-lanceolatis, caulinis lineari-lanceolatis undulatis, floribus terminalibus in paniculam coarctato-racemosam digestis, mediocribus campanulatis, coeruleis, Radix primo anno priusquam caulis explicatus sit, colligenda, napiformis, digitum minimum circiter crassa, alba, carnosa, lactescens, sapore grato dulciusculo. — Ut praecedens olim adhibebatur, succus expressus in hydrope, asthmate. — Hodie autem praecipue culinis inservit.

RADIX RATANHIAE seu RATHANIAE, Ratanhae. Ratanhia-, Ratanha- oder Rhatanny-Wurzel. *Racine de Ratanhia.* — *Krameriae triandrae* L., e cl. Tetrandria, ord. Monogynia, fam. Polygalearum, fruticis peruviani Radix, rhizomate crasso irregulariter nodoso, in multos ramos expansos, passim horizontales, longos, subcylindricos exiens, qui plerumque in commercio prostant, frusta exhibentes digitum et ultra crassa, passimque tenuiora, 1 — 2 pedes longa et longiora, simplicia et plus minus ramosa, saepius flexuosa, cortice externe fusco-rubro, opaco, plus minus rugoso, subtuberculoso, aspero, in ramis tenuioribus levi, intus rubro violaceo, ¼ — ½ lineam crasso, subtenaci, fibroso, facili solutu, superficie interne laevi vel sub-fissili, cinnamomea vestito, qui per se quoque nomine Corticis radicis Ratanhiae venditur; duramine laete cinnamomeo, duro, lignoso, tenaci; inodora, sapore, praecipue corticis, peradstringente, haud ingrato et amariusculo; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit; infusum aquosum dilutum ope liquoris ferri muriatici oxydati primo momento colore sordide atro-viridi, statim in obscure griseo-fuscum abeunte, turbatur, ope mercurii sublimati corrosivi in floccis carneis et ope sacchari saturni pallide violaceo-rubris praecipitatur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens, Acidum proprium et Amylum. — *Vis:* tonica, adstringens, resolvens. — *Usus:* In pulvere, electuario, pilulis, infuso vel decocto. — *Praep.:* Extractum, tincturae plures. — Additur aliis quoque compositionibus. — Sit radix supra ut bonae notae descripta, ramos solummodo exhibens cortice tectos; collum autem crassum, nodosum uti et rami decorticati vel cariosi, rejiciendi. — Cave confundas cum radice falsa, simili forma, sed cortice pallidiore griseo, et duramine pallide flavescente,

RADIX RATANHIAE ANTILLICAE. Antillische Ratanhia. *Racine de Ratanhia des Antilles.* — *Krameriae Ixinae* L. est Radix, praecedenti simillima, iisdem, ut probabile est, virtutibus gaudens; rarius autem in commercio occurens,

RADIX RHABARBARI. Rhabarberwurzel. *Racine de Rhubarbe.*

Synon.: Rhabarbarum, Radix Rhabarbari veri seu lanuginosi, Radix Rhei seu Rhei veri, Lapathi chinensis longifolii. Edle oder wahre Rhabarber, ächte Rhabarber.

Rhei Emodi Wallich (*Rhei australis* Don.), *Rhei compacti* L., *Rhei palmati* L., aliarumque, ut veri simile est, Rhei specierum (Fl. Bad. IV. 276.), e cl. Enneandria, ord. Monogynia, fam. Polygonearum, plantarum perennium speciosarum asiaticarum, (in montibus himelajensibus regni Nepal, Tibeti, Bochariae, Mongoliae, Persiae et Syriae cet.) crescentium, Rumicum nonnullorum habitu, Radix. Variae in commercio species prostant, praecipue: 1) Radix Rhabarbari (seu Rhei) moscovitici, sibirici, bucharici (passim). Russische,

moskowitische (oder bucharische) Rhabarber, *Rhubarbe russe, de Moscovie* (ou *de Bucharie*), per Buchariam, Sibiriam et Russiam ad nos advehitur. Frusta exhibet decorticata, plerumque irregularia, complanata, convexo-concava, vel subcylindrica, plus minus inaequaliter et gibboso-angulosa et excavata, 2 - 8 pollices longa, 1 — 3 pollices lata et ⅓ — 2 pollices crassa, foramine amplo, saepius irregulari, plerumque perforata, externe flava, albido- et rubro-venosa, saepius pulvere saturate luteo conspersa, tactu subaspera, intus super fundum album densissime et pulchre irregulariter reticulatim fusco-rubro-venosa vel marmorata et maculata; corpore duro affricta ductum saturate luteum uti et aqua humectata colorem aurantiacum assumentia, densa, modice dura, non admodum ponderosa, aliquantulum tenacia, fractura inaequali, facilia autem in pulverem saturate luteum vel aurantiacum redactu; tinctura iodi radicem colore atroviridi imbuit. (Radix Rhabarbari albi seu imperialis, weiße russische Rhabarber, frusta exhibens similia, sed pallidiora, sublactea, paucis venis rubris percussa; sapore dulciusculo; quae olim, ut ferunt, magni aestimabatur et pro aula russica eligebatur, nihil aliud esse videtur, nisi plantarum juniorum Radix, vel Pars superior (Collum) rhizomatis. Hodie vix per se in commercio prostat) 2) Radix Rhabarbari seu Rhei chinensis, indici, tatarici, persici, etiam danici vel hollandici, quae nominatur, chinesische, ostindische, tatarische, persische, auch dänische oder holländische Rhabarber genannt, Himelaya-Rhabarber, *Rhubarbe orientale, de la Chine* cet. ex India orientali advehitur. Frusta refert plerumque cylindrica vel cylindrico-conica, plane resecta, 2—3 pollices longa, 1 — 2 pollices in diametro habentia, passimque crassiora et tunc in longitudinem quoque divisa, in uno latere convexa, altero plana (Rhabarbarum persicum), decorticata et semidecorticata (halbmundirt) prostant, praecedentis magis aequalia, et mundata tactu glabriora, saepius quoque perforata, sed foramine multo minore, calami scriptorii ambitum vix superante, margine nigrescente; ceterum colore ut praecedentis flavo, saepius autem pallidiore et pulvere luteo conspersa, intus autem similiter venoso-marmorata, fundus albus autem praecipue in frustis cylindricis passim praeponderat, et color venarum magis in fuscum ducit, corpore duro affricta ductum subpallidiorem luteum vel fuscescentem assumentia, aqua humectata pariter ac praecedentia aurantiaca fiunt; plerumque densiora magis ponderosa, praecipue frusta in longitudinem divisa, quae tanquam depressa apparent; tinctura iodi hanc speciem plerumque fusco tantum colore imbuit. Odor utriusque speciei proprius subnauseoso-aromaticus, sapor nauseosus, modice ama-

rus et adstringens, inter manducandum frendens et salivam colore intense croceo imbuens; infusum aquosum dilutum pallide flavum ope liquoris ferri muriatici oxydati in colorem fuscescente-viridem, alcalium ope autem intense fusco-rubrum immutatur. — *Part. const. praev.:* Rhabarbarinum, Principium adstringens, Calcaria oxalica et Amylum (partim) passimque et Saccharum. — *Vis:* tonica et aperiens, stomachica, in majori dosi laxans, polychresta. — Radix Rhabarbari alexandrini seu turcici, alexandrinische oder türkische Rhabarber, *Rhubarbe d'Alexandrie*, omnino cum hac convenit.

Sit Rhabarbarum ut bonae notae supra descriptum, densum, intus pulchre sed irregulariter undulatim rubro-marmoratum, corpore duro affrictum ductum intense luteum praebens; odore forti rhabarbarino uti et sapore, inter masticandum salivam intense luteam tingens, ita ut penitus fere solvi videatur; vetusta, cariosa autem, levis, spongiosa vel intus decolor, fusca et nigrescens, vel mucida rejiciatur. — Cave confundas cum Radice Patientiae (p. 264.) vel sequentibus Rhabarbari speciebus.

Usus: In pulvere, pilulis, electuario, et infuso. — *Praep.:* Extractum, Extractum catholicum seu panchymagogum Crollii, Infusum, Tincturae variae, Syrupus Rhei et Cichorei cum Rheo, Rhabarbarum tostum, Tabulae, Rhabarbarinum.

RADIX RHABARBARI ANGLICI. Englische Rhabarber. *Racine de Rhubarbe anglaise.* Hoc nomine Rhabarbari quaedam species in commercio prostat, quae in Anglia colitur, Rhei palmati et forsitan aliarum Rhei specierum Radix mundata et accurate siccata. Frusta plerumque exhibet oblonga, complanata, convexo-concava, perforata, flava, cortice crassiori passim subsimilia et primo adspectu Rhabarbaro russico simillima. Distinguitur autem foramine amplo eleganter cylindrico, non irregulari-oblongo, uti in vero, colore pallidiore, intus albo praeponderante et striis rubris, subrectis parallelo-excentricis, non irregulariter reticulato venosis, praedita; porro consistentia molliori subspongiosa, ita ut digiti ungue facile pulvis abradi possit; corpore duro affricta ductum pallidiorem praebent; odor et sapor multo remissior rhabarbarinus; manducando vix frenditur, intumescit, mucilaginem elicit et salilivam colore pallidiore flavo tingit et non solvi videtur; ceterum ad reagentia uti Rhabarbarum russicum sese habet. — Radix Rhabarbari siciliani, sizilianische Rhabarber, quae nominatur, omnino cum hac convenit.

RADIX RHABARBARI GALLICI. Französische Rhabarber. *Rhubarbe francaise.* — In Gallia colitur et paratur ex iisdem plantis, quibus praecedens. — Frusta autem exhibet cylindrica vel conica, obtusa uti Rhabarbarum chinense; externe magis albida apparet, striis rubris et maculis flavis picta, intus ut praecedens striis rubris rectis excentricis praedita, passim excavata, consistentia duriore; ceterum et odore et sapore quo praecedens, plus autem adstringens et minus mucilaginosa, in reliquis proprietatibus cum illa convenit.

RADIX RHABARBARI GERMANICI. Deutsche Rhabarber. *Racine de Rhubarbe allemande.* — *Rhei compacti* L. et *Rhei palmati* L., optime autem *Rhei Emodi* WALLICH (si haberi potest) Radix, e plantis annosioribus, ad minimum 6 — 10-ennibus sumenda, et sero autumno vel hyeme effodienda; cortice liberanda, in secta uti Rhabarbarum chinense redigenda et perforata, e funiculis suspensa, summa cum diligentia celeriter ita siccanda, ut calor 25 — 30° R. non superet; tunc frusta penitus siccata radulae ope in superficie defricanda et ab omnibus maculis sordidis privanda, loco sicco in vasis bene clausis asservanda. — Rhabarbarum hoc modo lege artis praeparatum omnino chinensi bonae notae simillimum, etiam quoad vires medicatas parum ei postponendum

RADIX RHABARBARI MONACHORUM (partim), Radix Rhapontici offi-

cinalis seu montani (partim), Radix Lapathi alpini. Mönchsrhabarber. *Rhubarbe de Moins*, *Racine de Surenne*. — *Rumicis alpini* L. (v. Radix Lapathi acuti p. 254.), plantae perennis alpinae, adspectu Rhei, foliis radicalibus magnis, petiolatis orbicularibus vel ovato-cordatis, obtusis vel breviter acuminatis, petiolis superne canaliculatis, floribus in racemos terminales aphyllos dense paniculatos digestis, polygamis, valvulis omnibus granulo destitutis, Radix grossa, multiceps, cylindrico ramosa, praelonga, externe fusco-nigrescens, superne insigniter annulata, intus saturate lutea, in medio passim pallidior, carnosa; plerumque cum radice Patientiae (p. 264.) convenit, principio autem luteo-colorante, Rumicino, passim minus praedita et siccata Rhabarbaro vero minus similis; odore forti rumicino, ceterum iisdem virtutibus medicatis gaudet ac radix Patientiae eodemque modo adhibetur. — Radix autem vetusta cariosa, negligenter siccata, intus fusco-nigrescens, uti plerumque in commercio prostat, omnino rejicienda.

RADIX RHABARBARI RUBRI. Rothe Rhabarber. *Rhubarbe rouge*. — Hoc nomine ante aliquot annos frusta in commercio occurrebant Rhabarbaro chinensi uti et russico passim similia, plerumque autem tenuiora et colore omnino fere diversa; externe enim intense fusco-rubro, intus albido et striis tenerrimis fusco-rubris excentricis dense marmorata, dura, ponderosa; inodora, sapore peradstringente, minime amaro; inter manducandum salivam colore rubello tingentia; infusum aquosum dilutum rubellum liquoris ferri muriatici oxydati ope colore atro-coeruleo imbuitur. — Planta, de qua radix sumitur, adhuc est incognita. Omnino autem valde a Rhabarbaro discrepat et minime cum eo confundi licet.

RADIX RHAPONTICI, Rhapontici veri seu moscovitici, sibirici, Rad. Rhei foliis glabris. Aechte, wahre oder gerechte Rhapontik, pontische Rhabarber. *Racine de Rhapontic véritable*. — *Rhei Rhapontici* L. (Fl. Bad. IV. 273.), plantae perennis Thraciae, Scythiae, desertae sibiricae, apud nos passim cultae, praecedentibus partim simillimae, secundum aliam opinionem Rhei undulati L., plantae tataricae et sibiricae, praecedentis habitu, Radix, descriptis Rhei speciebus simillima. — In commercio hoc nomine frusta occurrunt plerumque cylindrica vel cylindrico-fusiformia, decorticata, 1—2 pollices crassa et 3 — 8 pollices longa, passimque longiora, externe pallida, alba, flavescentia et rubello-venosa, intus ut Rhabarbarum gallicum striis rubro-fuscis rectis, excentricis marmorata, in sectione transversa in parte exteriore saepius annulus sordide flavo-viridis conspicuus; in medio passim excavata; ceterum omnino ut Rhabarbarum gallicum sese habet et vix ab eo differre videtur, nisi quod plerumque tinctura iodi colore fusco tantum imbuitur, cum Rheum gallicum eo intense atro-viride, in coeruleum ducens, coloretur. — Hodie praecipue adhuc a veterinariis praescribitur. — Radix vetusta, cariosa vel nigrescens omnino rejiciatur. Saepius cum Radice Patientiae (p. 264.) et Radice Rhabarbari Monachorum (p. 273. confunditur. Prae ceteris discriminibus, suo loco memoratis, praecipue odor rhabarbarinus, quamquam debilior, sinceritatem convincit.

RADIX RHAPONTICI VULGARIS. Gemeine Rhapontik. *Rhapontic commun*. — Hoc nomine etiam Rhei Rhapontici, secundum aliam opinionem autem Centaureae Centaurii L. Radix (p. 228.) intelligitur. — Inferioris habebatur virtutis.

RADIX RHODIAE seu RHODIOLAE, Rosariae. Rosenwurzel, Rhodiserwurzel *Racine de Rhodus*, *Racine sentant les Roses*. — *Sedi Rhodiolae* DEC. (*Rhodiolae roseae* L. — Cl. cet. v. Rad. Crassulae p. 234.), plantae perennis alpinae, passimque in Germaniae montibus saxosis crescentis, et cultae, caule erecto simplici undique foliis sessilibus, oblongo-cuneiformibus, apice serratis, glabris, glaucis, succulentis praedito, floribus terminalibus purpureo-flavis, polygamis, in corymbum densum congestis, Radix crassa, tuberosa, ramoso-nodosa, squamosa et cicatricibus obsessa, externe grisea, flavicans, intus alba, carnosa, siccata fusco-nitens; triturando nidorem grate rosaceum edens, sapore adstringente rosaceo. — Olim cum interne tum externe ut adstringens, in scorbuto, cephalalchia cet. adhibebatur. — *Praep.*: Oleum aethereum et Aqua. — Hodie exolevit. — In Groenlandia pro nutrimento usurpatur.

RADIX RUBIAE TINCTORUM, Radix Erythrodani Raji, Radix Alizari seu Lizari. Färberröthe-Wurzel, Krapp- oder Grapp-Wurzel, rothe Farbwurzel, Alizari oder Lizari. *Racine de Garance*, *Racine d'Alizare*, *de Lizare*. — *Rubiae tinctorum* L. (Fl. Bad. I. 355. — Cl. cet. v. China p. 32.), plantae perennis Europae australis et Asiae minoris, nobis cultae, caule flaccido, divaricato-ramoso, geniculato, 4angulo, angulis retrorsum breviter aculeatis, foliis verticillatis subsenis elliptico-lanceolatis glabris, margine autem retrorso-aculeato-asperis, floribus in paniculam expansam interruptam digestis, parvis, pallide flavis, fructibus didymis baccatis, nigris, purpureo-succulentis, Radix vel potius Caudex subterraneus, e plantis 3—4ennibus et annosioribus autumno colligendus celeriterque siccandus et in vasis clausis loco sicco asservandus; cylindricus est, longe repens, ramosus, calamum scriptorium et ultra, in capite passim (in plantis annosis) pollicem crassus, cortice crassiusculo cum epidermide obscure fusca, facili solutu, praeditus, intus, si recens, luteus, molli-carnosus in parte corticosa, duramine pallidiore; inter siccandum aëris

aditu color luteus mox in ferrugineum vel fusco-rubrum abit; siccatus subrugosus, mollis, fragilis, fere inodorus, per tempus intra anni spatium (praecipue in pulverem redactus) odorem quasi spirituosum assumens, sapore primo dulciusculo, post paullum adstringente, irritante et amaro, inter manducandum saliva colore rubro tingitur; alcalium ope color radicis flavus vel fusco-ruber in pulchre sanguineum immutatur, infusum aquosum fusco-luteum liquoris ferri muriatici oxydati ope obscurior fit. — *Part. const. praev.:* Principia rubro-colorantia duorum generum et Saccharum. — *Vis:* tonico-resolvens, diuretica, lotium atque ossa rubro-tingens. — *Usus:* In pulvere, decocto tanquam potus. — *Praep.:* Extractum. Additur speciebus quibusdam et aliis compositionibus et Radicibus quinque aperientibus minoribus ad numeratur. — Sit radix recens, intus fusco-rubra, carnosa, qui color alcalium ope pulchre sanguineus fiat, Radix autem vetusta, nigro-maculata, intus decolor, nigrescens vel cava, cariosa, odore mucido, omnino rejiciatur.

RADIX RUBIAE MUNJISTAE ROXB. (Rubiae cordifoliae L. (?), Ostindischer Krapp, *Garance des Indes orientales*, — plantae Nepauli et Thibeti; — odore forti et sapore acerbo-amaro insignis est. — Praecipue tanquam emmenagogum commendatur.

RADIX RUSCI v. Rad. Brusci (p. 222.).

RADIX SAGITTARIAE. Pfeilwurzel, *Racine de Flèchière.* — *Sagittariae sagittifoliae* L. (Fl. Bad. III. 694.), e cl. Monoecia, ord. Polyandria, fam. Alismacearum, plantae elegantis perennis aquaticae, in paludibus passim vulgaris, foliis radicalibus longe petiolatis sagittatis, scapo simplici trigono, floribus verticillatis pedunculatis, masculis et foemineis albis, calyce 3-phyllo et corolla 3-petala praedito, Caudex subterraneus, tuber exhibens ovatum, pisi ad nucis avellanae magnitudine, album, carnosum, tunica cyaneo- et albomaculata obvolutum. Multum Amyli continet et Arrow-root (p. 9.) ex eo parari credebatur. — In China et Japan cet. haec planta vel alia quaedam species, Sagittaria chinensis SIMS. (?), colitur et tubera pro nutrimento boni saporis coquuntur. — Apud nos non adhibetur.

RADIX SALEP. Salepwurzel. *Racine de Salep.*

Synon.: Radix Salap seu Salab, Radix Orchidis verae seu Morionis. Salap- oder Salabwurzel, Ragwurzel.

Orchidis Morionis L., *Orchidis masculae* L., *Orchidis militaris* L., aliarumque Orchidis specierum (Fl. Bad. III. 529 — 548.), e cl. Gynandria, ord. Monandria, fam. Orchidearum, plantarum perennium indigenarum elegantium, in pratis udis (1) vel silvaticis montosis (2) et siccis apricis, collibus graminosis (3) crescentium, quae rei convenienter etiam coli possunt, foliis oblongis, integerrimis glabris, nitentibus, floribus orchideis in spicam terminalem abbreviatam (1), vel oblongam laxam (2), aut ovato-ellipticam densam (3) congestis, rubris (1—2) vel pallidis incarnatis et fuscis, intus pulchre purpureo-variegatis (3), bracteis germen subaequantibus, petalis 5 obtusis, omnibus conniventibus, calcari cylindrico-recto obtuso, germine subbreviore (1) vel bracteis germine brevioribus, petalis acuminatis, 2 exterioribus reflexo-patentibus, calcari cylindrico obtuso, germine sublongiore (2), aut bracteis exiguis membranaceo-squamosis, petalis 5 acuminatis, omnibus conniventibus, calcari cylindrico-obtuso, incurvo, germine dimidio breviore (3- conf. etiam Radix Palmatae p. 262.), Tubera, post inflorescentiam, postquam fructus maturus est et caulis marcuit, mense Julio et serius colligenda et quidem sola nova adulta sumenda, anni praeteriti, corrugata, fusca autem rejicienda, oblonga, scrotiformia, subglobosa (vel palmata), si recentia, pisi majoris ad nucis juglandis, ex plantis cultis passim ovi gallinacei, magnitudine, albida, subpellucida, carnosa, odore

debili proprio, subnauseoso; statim a sordibus et cuticula defricanda, in aqua bulliente ad momentum immergenda et in receptaculo servienti torrendo filis suspensa celeriter ita siccanda, ne mutatione succumbant. Siccata plerumque ex Asia (Persia) advehuntur, indigena autem lege artis, ut memoratum, accurate parata, his minime postponenda, tubera exhibent oblonga, ovata, subcordata et subcompressa vel subglobosa, $\frac{1}{2}$—1 pollicem et ultra longa et 3—8 lineas crassa passimque palmatis (p. 263.) intermixta, plus minus inaequalia, sulcato-gibbosa, perforata, albida, flavescentia vel griseo-flavescentia, opaco-subdiaphana, cornea, ponderosa, densa et durissima, difficilia in pulverem album redactu, fere inodora et insipida, in ore lente intumescentia et mucilaginem lubricum praebentia; tinctura iodi radicem colore atro-coeruleo imbuit. In aqua frigida pulvis lente uti Gummi Tragacanthae (p. 87.) intumescit mucilaginemque spissum praebet, celerius autem, si cum aqua coquitur. — *Part. const. praev.:* Bassorinum (vel Mucilago ei simillima) et paullum Amyli. — *Vis:* nutriens, involvens, demulcens.

Sit Salep plena, turgida, pallida, diaphana, durissima; vetusta autem, cariosa vel sordide obscure fusca, corrugata, mollis, mucida, omnino rejicienda.

Usus: In pulvere vel soluta in aqua.— *Praep.:* Mucilago, Conditum, Chocolada; et aliis additur compositionibus.

RADIX SALICARIAE v. Rad. Lysimachiae purpureae (p. 258.).

RADIX SANGUINARIAE seu **GERANII SANGUINEI.** Blutwurzel, blutrothe Storchschnabel-Wurzel. *Racine de Bec de Grue sanguin.* — *Geranii sanguinei* L. (v. Herb. p. 121.) Radix crassiuscula, fusiformi-ramosa, fibrosa, superne squamis obsessa, rubro-fusca, dura, sublignosa, sapore adstringente. — Hodie pariter atque Herba exolevit.

RADIX SANGUINARIAE CANADENSIS L. Kanadische Blutwurzel, *Racine de Sanguinaire du Canada,* — (Cl. cet. v. Herba Chelidonii p. 107.), plantae perennis Americae borealis, apud nos passim in hortis cultae, foliis longe petiolatis subreniformi-sinuato-lobatis, glaucis, scapo unifloro, flore specioso albo, 8—12-petalo, expanso, Radix vel potius Caudex subterraneus, tuberosus, tubera oblonga vel subcylindrica, passim ramosa, curvata vel sigmatoideo-inflexa exhibens, digitum minimum et ultra crassa et 1—3 pollices longa, siccata inaequaliter rugosa et gibbosa, externe obscure griseo-fusca, fibris (radiculis) filiformibus et capillaribus obsessa, radicis Bistortae (p. 232.) subsimilia, intus autem, si recentia, carnosa, succo sanguineo-aurantiaco foetido acerrimo turgentia, siccata fusco-aurantiaca vel ferruginea, dura, densa, et porulosa, fragilia, fractura partim resinose nitente; inodora, sapore nauseoso amaro et peracri, linguae diu adhaerente, radicis Chelidonii majoris subsimili; inter manducandum saliva colore aurantiaco tingitur; tinctura iodi radicem solummodo colore fusco imbuit. — *Part. const. praev.:* Principium peculiare acre (Sanguinarinum), forsitan Chelidonii majoris simile. — *Vis:* diuretica, emetica, narcotica, acris, facile inflammationem in ore, vertiginem cet. efficiens. — *Usus:* In pulvere interne caute, et decocto. — *Praep.:* Tinctura. — In patria uti Herba Digitalis, quacum quoad vires convenire fertur (?), apud nos autem non, adhibetur. Radix sane efficax medicorum attentione digna.

RADIX SANGUISORBAE CANADENSIS L., Kanadischer oder weißblühender Wiesenknopf-Wurzel, *Racine de Sanguisorbe de Canada,* plantae perennis Americae borealis, foliis interrupte pinnatis, foliolis cordato-oblongis, serratis, subtus glaucis, spicis cylindricis, longissimis, floribus albis, Radix peracris (?), emetica (?). — In patria pro medicamento usurpatur. — Folia et Semina narcotica esse ferunt (?).

RADIX SANICULAE seu **DIAPENSIAE.** Sanickel, Bruchkraut-Wurzel. *Racine de Sanicle.* — *Saniculae europaeae* L. (v. Herba p. 115.) Radix multiceps, ramosa, fibrosa, nigro fusca; subacerba, amaricans. — Olim ut leniter adstringens, vulnerarium, contra haemorrhagias, etiam herniosis commendabatur. — Hodie exolevit.

RADIX SANLEY, Sanlay, seu Calami veri asiatici, indici. Sanleywurzel, ächter asiatischer oder ostindischer Kalmus *Racine de Sanley, d'Acore asiatique.* — Hoc nomine Radix advehebatur ex China, prope urbem Canton, in taleolas tenues calamo scriptorio vix crassiores et sex pollices longas, externe rubescentes, nodosas, intus albas, redacta; ceterum et odore et sapore nostro Calamo simillima, praestantiorem autem esse ferunt. In plumbeis receptaculis inclusa uti Herba Theae dimittebatur, ne virium jacturam faceret. — Hodie vix apud nos occurrit; Chinenses autem ut medicamentum magni adhuc aestimant,

praecipue in febribus malignis et morbis contagiosis, uti et externe contra morsus animalium venenatorum. — Acori Calami ,'. L., Acori asiatici Herm. radicem esse tradunt. Propter Calamum nostrum efficacem omnino est supervacanea.

RADIX SAPONARIAE. Seifenwurzel. *Racine de Saponaire.*

Synon.: Radix Saponariae rubrae seu majoris, Lychnidis Saponariae, Violae agrestis. Seifenkrautwurzel, Waschwurzel, Speichelwurzel, Spatzenwurzel. *Racine de Lampette, de Savonière.*

Saponariae officinalis L. (Fl. Bad. 232.), e cl. Decandria, ord. Digynia, fam. Caryophyllearum, plantae perennis indigenae, ad vias, agrorum margines, in vineis cet., praecipue locis arenosis passim vulgaris (de plantae descript. conf. Herba p. 154.), Radix, e plantis non nimis immaturis primo vere vel autumno colligenda celeriterque siccanda; multiceps, tenuis, praelonga, repens, cylindrica, subflexuosa, calamum scriptorium, vix digitum minimum crassa uti et tenuior, geniculata, parum ramosa, nodis oppositis praedita, externe fusco-rubra, laevis, intus flavescens, carnosa; inter siccandum obscurior, rubro-fusca et in longitudinem leviter rugosa, dura, densa, sed fragilis fit, fractura aequali; sub cortice tenui albido duramen pallide flavum, in medio saepius cavum, includit; inodora, sapore primo dulciusculo, post acri-gutturali, linguae diu adhaerente; tinctura iodi radicem colore fusco tantum imbuit; infusum aquosum frigidum decolor inter conquassandum valde spumescit, liquoris ferri muriatici oxydati ope paullum virescens tingitur; tincturae gallarum ope non turbatur. — *Part. const. praev.:* Principium proprium acre (Saponinum), Materia amylacea propria et Gummi. — *Vis:* irritans incidens, resolvens, diaphoretica, diuretica, sanguinem purificans (?).

Sit radix crassiuscula, densa, fragilis, intus flavescens, peracri-gutturalis; vetusta autem, cariosa vel mucida aut tenax, lignosa, parum sapida, rejiciatur. — Cave confundas cum Radice Saponariae albae (v. sequens) et Radice Polypodii (p. 286.).

Usus: In decocto. — *Praep.:* Extractum; Speciebus Lignorum resolventibus, aliisque speciebus passim admiscetur.

RADIX SAPONARIAE ALBAE. Weiße Seifenwurzel, Lichtrosen oder zweihäusige Lychniswurzel. *Racine de Saponaire blanche* ou *de Lampette.* — *Lychnidis dioicae* L. (Fl. Bad. II. 292 — 293. — Cl' cet. v. Herba Githaginis p. 121.), plantae perennis, in pratis, nemoribus, ad vias, sepes, in arvis vulgaris, caule dichotomo-ramoso uti et folia sessilia ovato-lanceolata piloso-aspero, floribus terminalibus subaggregatis caryophylleis, albis (Lychnis vespertina Sibth.) vel rubris (Lychnis diurna Sibth.), Radix fusiformi-cylindrica, ramosa, si recens, externe alba, siccata pallide cinereo-flavicans, rugosa, verrucis sparsis oblongis semi-annulatim obsessa, intus alba, farinoso-carnosa, duramine subflavescente; sapore amariusculo mucilaginoso, minime acri; tinctura iodi radicem colore fusco solummodo imbuit; infusum aquosum tincturae gallarum ope in floccis albidis praecipitatur. — Hodie exolevit.

RADIX SAPONARIAE HISPANICAE, aegyptiacae, seu levanticae, indicae. Spanische, ägyptische, levantische u. s. w. Seifenwurzel. *Racine de Saponaire du Levant* cet. — *Gypsophilae Struthii* L. (?). (Cl. cet. v. Radix Saponariae), plantae perennis Europae australis et Orientis, caule basi suffruticoso, subsimplici, geniculato, aspero, foliis fasciculatis semiteretibus, lineari-acutis, carnosis, et floribus fasci

culatis caryophylleis, subglobosis, albis, Radix. In commercio prostat in sectis grossis, cylindrico fusiformibus, simplicibus, superne digitum ad 1½ pollicem crassis, 6—18 pollices longis, rectis vel parum curvatis, externe laete flavescente-fuscis, in longitudinem rugosis et annulis elevatis sparsis sub-dimidiatis, rimulisque transversalibus praeditis; intus in sectione transversa annulus corticis albus ½—1 lineam crassus apparet, alterum annulum tenuem laete fuscum includens, media pars autem pallide flavescens, lamellis excentricis tenerrimis constat; dura est et densa, non admodum facilis fractu; inodora, sapore primo dulciusculo, post peracri-gutturali, salivam ciente, radicis Saponariae officinalis simillimo, multo autem intensiore et diutius durante, uti Rad. Senegae (p. 282.); ad reagentia sese habet ut Radix Saponariae officinalis. *Part. const. praev.:* Saponinum. — *Vis:* uti Radicis Saponariae officinalis, haec tamen praestantior est. — *Usus:* Idem.— *Praep.:* Saponinum. — Radix efficacissima apud veteres ut medicamentum magnopere aestimabatur, hodie medicis vix cognita, quamquam eorum attentione omnino digna.

RADIX SARSAPARILLAE. Sarsaparillwurzel. *Racine de Sarsepareille.*

Synon.: Radix Sassaparillae seu Salsaparillae, Zarzaparillae, Radix Sarsae seu Zarzae. Sassaparill- oder Salsaparill-Wurzel, Salza, Heckrebenwurzel. *Racine de Salsepareille.*

Smilacis Sassaparillae L. (?), *Smilacis officinalis* Kunth., *Smilacis syphiliticae* Humb., *Smilacis medicae* Schlecht. et, ut veri est simile, aliarum Smilacis specierum, fruticum scandentium Americae australis et mediae, Radix; Rhizoma exhibet seu Caudicem subterraneum tuberosum, fibris (radicibus) longissimis, cylindricis praeditum. In commercio prostat passim cum caudice, passim caudice liberata. Distinguuntur praecipue: 1) Radix Sarsaparillae seu Sassaparillae Honduras, Sarsaparilla acris seu gutturalis. Honduras-Sassaparill, kratzende Sassaparill, *Salsepareille d'Honduras* (Smilacis officinalis Kunth.(?) Radix). In fascibus advehitur praemagnis, ad librarum 100 usque pondere, vel oblongis (Sassaparilla longa), vel rotundis (Sassaparilla rotunda) cum caudice, tuber exhibens oblongum, digitum ad 2 pollices et ultra crassum, inaequaliter nodoso-gibbosum, externe griseonigrescens, opacum, intus albidum, porosum, leve, sed perdurum, lignosum, insipidum, absegminibus caulium praeditum et undique permultis fibris obsessum cylindricis, calamum scriptorium crassis et tenuioribus, 2—4 pedalibus et longioribus, sub-flexuosis, in longitudinem striato-sulcatis, internodiis carentibus, inferne passim fibrillis filiformibus praeditis, colore externe sordide et pallide flavescente-griseo vel obscuriore griseofusco et rubello, opaco, intus albido; in sectione fibrarum transversa sub epidermide tenuissima pars corticosa alba apparet, tunc circulus fuscescens vel subflavescens passimque pallide subcarneus, poris permultis minutis percussus, duramen lignosum album includens. Fibrae densae sunt, farinosae, praecipue in

parte corticali, et lignosae, tenaces, ita ut facile in longitudinem diffindi possint; inodorae et primo fere insipidae, inter manducandum autem sapor sentitur ingrate acer et gutturalis, passim cum subsalso mixtus, paullum tantum amariusculus, radicis Senegae (p. 282.) subsimilis, sed multo remissior; tinctura iodi fibras, non autem caudicem, colore nigro imbuit; infusum aquosum pallide fuscescens, òdore debili haud grato terreo, inter conquassandum spumescit et liquoris ferri muriatici oxydati ope vix paullum obscuratur sine turbatione, et tincturae gallarum ope non mutatur. Nomine Sassaparillae Caracas. Caracas-Sassaparill, *Salsepareille de Caracas*, fibrae passim venduntur descriptis simillimae, plerumque autem paullo crassiores, quae obvolvendis fascibus inserviunt. Ceterum sequens quoque hoc nomine viget.

2) **Radix Sarsaparillae seu Sassaparillae Veracruz, de la Conta sive Guajaquil, Sassaparilla amaricans.** Veracruz u. s. w. Sarsaparill, bitterliche Sassaparill. *Salsepareille de Veracruz, de Caraque* (Gallorum) (Smilacis medicae Schlecht. (?) Radix). Advehitur in fascibus oblongis, praecedentium simillimis, plerumque autem minoribus, libras 40 vix superantibus et pariter cum caudicibus tuberosis connexis. Radix descriptae est simillima, distinguitur autem capitibus (caudicibus) et fibris passim crassioribus, his (fibris) magis profunde et inaequaliter rugoso-sulcatis, ita ut in sectione transversa stellatae appareant, externe passim sordide et pallide flavescente-cinereis vel obscure fuscis, saepius rubro- et nigrescente-maculatis; pars corticalis sub epidermide rufescens vel brunnea passimque et albida, densa, non farinosa, annulum includit accurate definitum, saturate fuscum, poris carentem, et duramen plerumque antecedente crassius, album, in radicibus annosioribus fuscescens, multis poris, saepius biserialiter percussum, ita ut per radices annosiores perflari possit; sapor est primo subdulciusculus, post manifeste amaricans et minus gutturalis, quàm in praecedente, simulque parum mucilaginis elicitur; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit; infusum aquosum magis rubro-fuscum, ad reagentia uti praecedens sese habet, magis autem liquoris ferri muriatici oxydati ope obscuratur. Saepissime haec species nomine Sassaparillae Honduras vel Caracas venditur.

3) **Radix Sarsaparillae Lisbonensis seu Brasiliensis, de Maranon sive de Para, de la Costa, Sassaparilla insipida (?).** Lissaboner oder Portugiesische, Brasilianische Sarsaparill, (sogenannte) geschmacklose Sassaparill. *Racine de Salsepareille de Lisbonne, de Brésil*, cet. (Smilacis syphiliticae Kunth (?) Radix). In fasciculis plerumque

hodie advehitur subcylindricis, filo arcte ligatis, 2—3 pedalibus, brachium vix crassis, solummodo fibras exhibens caudicibus privatas. Medium quasi tenet inter Sarsaparillam Honduras et Sarsaparillam Veracruz, fibrae autem ut plurimum tenuiores, calamum stramineum ad calamum corvinum tantum crassae, in longitudinem rugoso-sulcatae, minus autem quam in Sarsaparilla Honduras et plus quam in Sarsaparilla Veracruz; externe colore sunt laete vel obscure griseo-flavescente et rufescente-fusco, intus albo, adspectu Sassaparillae Honduras; sub epidermide pars corticosa, albido-farinosa, annulum tenuem, fuscescentem, densum includens et duramen pariter album, in cujus peripheria circulus conspicuus ex poris regulariter uniserialibus; primo insipida est, inter masticandum autem sapor irritans, acri-gutturalis, absque amaritudine manifestatur, minus autem intense, quam in Sarsaparilla Honduras; ad reagentia sese habet ut praecedentes. Sarsaparilla Jamaicensis seu rubra. Rothe oder Jamaicanische Sarsaparill. *Salseparcille rouge* ou *de Jamaica.* Hoc nomine Radix prostat praecedenti similis, sed fibrae passim crassiores, magis flexuosae, colore externe obscuriori, passim nigrescente et plerumque fibrillis pluribus filiformibus et capillaceis obsessa, et inferne ramoso-fibrosa; intus pars corticosa magis rubella, annulus fuscus autem porosus, duraminis pars interior alba, densa, vel paucis tantum poris perforata; sapor est irritans, subacri-gutturalis, vix amaricans; infusum aquosum fusco-rubrum ferri muriatici oxydati ope turbatur; ceterum ut praecedentes sese habet. Haec species etiam Sarsaparillae Lisbonensis nomine venditur. — *Part.* Sarsaparillae *const. praev.*: Principium peculiare acre, irritans (Smilacinum) et Amylum. — *Vis:* alterans, incitans, diaphoretica, diuretica, antisyphilitica.

Quaenam ex descriptis speciebus optima sit, nondum certe exploratum est. Sarsaparilla Honduras autem prima in medicinam introducta, ceteris virtutibus medicatis antecellere videtur. — Alii Sassaparillam Jamaicensem praeferunt. Hodie praecipue Sassaparilla Lisbonensis (forsitan immerito) anteponitur. — Sit autem semper recens, intus albida, densa, tenax, facilis in longitudinem fissu, sapore proprio praedita; vetusta autem, intus nigrescens, nimis porosa vel cariosa, fragilis, insipida, vel mucida omnino rejiciatur. — Cave confundas cum Sassaparillis falsis, ut: Radice Agaves (p. 211.), Araliae nudicaulis (p. 214.), Herreriae Salseparillae et Stellatae (p. 248.), Radix Nannary (p. 261.), Smilacis asperae, Asparagi (p. 218.), Lupuli (p. 258.), Caricis arenariae et hirtae (p. 225 et 226. quae cum aliis discriminibus tum facile internodiis, quibus Sassaparilla vera omnino caret, dignoscuntur) et aliis radicibus nomen Sarsaparillae hinc inde gerentibus, proprietatibus genuinarum supra memoratis carentibus.

Usus: In substantia, in pulvere vel electuario raro, plerumque in decocto aut infuso. — *Praep.:* Extractum, Smilacinum, Additur speciebus et pluribus aliis compositionibus, ut: Decocto Pollini,

Zittmanni, Feltzii, de Vigaroux, Lusitanico, Roob de Laffecteur, Syrop de Cuisinier cet.

RADIX SASSAPARILLAE GERMANICAE v. Rad. Caricis arenariae (p. 225.).

RADIX SATYRII, Cynosorchidis latifolii. Ständelwurzel, Knabenkraut-Wurzel. *Racine de Satyrion.* — *Orchidis bifoliae* L. (*Platantherae bifoliae* RICH. — Fl. Bad. III. 528. — Cl. cet. v. Rad. Salep p. 275.), plantae perennis indigenae in pratis, praecipue silvaticis, passim vulgaris, foliis radicalibus binis, latis elliptico oblongis, obtusis, spica longa rara florum orchideorum, virescente-alborum, fragrantium, labio nectarii integerrimo, lineari-lingulato, calcari praelongo, filiformi, horizontali, subincurvo, Tubera ellipsoidea vel ovata, in caudam longam radiciformem desinentia, albida, carnosa; odore forti ingrato. — Olim pro aphrodisiaco habebatur, Electuario Diasatyrio admisceri solebat. — *Vires* eaedem sunt ac Radicis Salep, eodemque modo adhiberi potest.

RADIX SAXIFRAGIAE ALBAE seu VULGARIS, Semen Saxifragiae (improprie). Weiße Steinbrechwurzel, (sogenannter) Steinbrechsamen. *Racine de Saxifrage.* — *Saxifragae granulatae* L. (v. Flores p. 71 et Herba p. 151.) radicis Tubercula subglobosa, seminis coriandri ad pisi magnitudine, cuticula rufa pilosa tecta et fibrillis capillaribus connexa, intus albida, carnosa; inodora, sapore acerbo et amaro; inter siccandum corrugatur et Semina quasi mentiuntur. — Olim ut resolvens, pectorale, diureticum, lithontripticum cet. adhibebatur. Hodie pariter ac reliquae plantae partes exolevit.

RADIX SAXIFRAGIAE RUBRAE v. Rad. Filipendulae (p. 241.).

RADIX SCABIOSAE. Scabiosen- oder Apostemkraut-Wurzel. *Racine de Scabieuse.* — *Scabiosae arvensis* L. (v. Herba p. 151.) Radix ramosa, longa, tenuis, albida, sublignosa, amaricans et subadstringens. — Hodie exolevit.

RADIX SCILLAE. Meerzwiebel. *Racine de Scille.*

Synon.: Radix Squillae seu Scillae marinae rubrae, Bulbus Scillae, Pancratii veri, Cepa marina, Bulbus rusticus seu tunicatus, Radix Ornithogali. Mauszwiebel, römische Zwiebel, Hasptelwurzel. *Racine d'Oignon marin.*

Scillae maritimae L. (Cl. cet. v. Rad. Allii p. 212.), plantae perennis liliaceae, ad oras maris mediterranei et atlantici crescentis, Bulbus praemagnus, ovato-ventricosus, 6—8 pollices longus et 5—6 pollices crassus, ex squamis concentricis imbricatis, arcte adpressis, exterioribus tunicatis scariosis, interioribus carnoso-membranaceis, crassiusculis, succulento-mucilaginosis, placentae convexae carnosae insidentibus, gemmamque mediam includentibus, constans; colore externe fusco-rubro (Scilla rubra) vel albido (Scilla alba), intus pallide violaceo vel albo; recens si secatur, nidorem emittit acrem irritantem, lacrymas elicientem, sapore acri, dulciusculo-amaro; succus cuti applicatus inflammationem et facile vesicas excitat. Recens Scilla in arenam infodienda et loco frigido umbroso asservanda, ad siccandum squamae carnosae, rejectis exterioribus papyraceis, in taleolas longitudinaliter scissae celeriter sed caute in receptaculo servienti torrendo (Dörre) penitus exsiccantur et in vasis clausis loco sicco asservantur; lamellas exhibet irregulariter incurvas, cinereo- vel flavescente-albas aut rufescentes, subdiaphanas, carnosas, fragiles, quae facile humorem ex aëre attrahunt, mollescunt et tenaces fiunt; inodoras, sapore nauseoso, subacri. — *Part. const. praev.:* Principium proprium acre amarum (Scillitinum), Saccharum, Mucilago et Oleum acre volatile (?). — *Vis:* incidens, diuretica, emetica, in majori dosi facile nociva.

Sit recens Squilla compacta, ponderosa, intus ex lamellis sanis carnosis constans, amara, irritans; emarcida autem, inanis, vel intus

putrida omnino rejiciatur, uti et siccata fusca, mucida vel scariosa, papyracea.

Usus: In pulvere, pilulis, externe radix recens ut rubefaciens, vesicans, applicatur.— *Praep.:* Extractum, Pulpa, Acetum, Oxymel, Syrupus, Vinum, Tinctura, Trochisci, Unguentum. — Additur Pulveri scillitico, Pilulis scilliticis et pluribus aliis compositionibus.

RADIX SCILLAE MINORIS v. Rad. Pancratii (p. 263.).

RADIX SCORZONERAE, Scorzonerae hortensis, Rad. Latifoliae, Sinuatae, Serpentariae. Scorzonerenwurzel oder Schlangenwurzel, Garten Haferwurzel, oder Schwarzwurzel. *Racine de Scorzonère, de Salsifis, de Cereifie d'Espagne.* — *Scorzonerae hispanicae* L. (Fl. Bad. III. 273. — Cl. cet. v. Rad. Cichorii p. 230.), plantae perennis Europae australis et mediae, passimque Germaniae, quae crebre colitur, caule erecto, superne ramoso, glabro vel pubescente, foliis oblongis vel lineari-lanceolatis acuminatis, margine asperis, glabris, nervosis, floribus (calathiis) terminalibus solitariis speciosis, calyce (periclinio) subcylindrico imbricato-squamoso, flosculis luteis expansis, receptaculo (anthoclinio) nudo, pappo substipitato plumoso, Radix autumno effodienda celeriterque siccanda, cylindrico-fusiformis, externe nigro-fusca, intus, si recens, alba, carnoso-succulenta, lactescens, siccata farinoso-carnosa; sapore dulci et amariusculo, mucilaginoso. — *Part. const. praev.:* Saccharum et Mucilago. — *Vis:* nutriens, demulcens, diaphoretica, alexipharmaca(?). — *Usus:* diaeteticus.— Olim contra morsum serpentum venenatorum externe applicabatur. — Hodie e medicina fere exul; aegrotis passim pro nutrimento miti commendatur; tosta passim Coffeae succedaneum.

RADIX SCORZONERAE HUMILIS L., Niedrige Scorzonere oder Waldscorzonere-Wurzel, *Racine de Scorzonère d'Allemagne* ou *de Bohème*, — plantae perennis indigenae in pratis montosis apricis passim, praecedenti similis, caule autem multo humiliore, 3 — 12 pollicari, subsimplici et subaphyllo, subunifloro, tomento albo facili detersu tecto, flore (calathio) specioso luteo praecedenti simili, Radix facie praecedentis, sed sapore magis amaro. — Praecipue ut antidotum contra morsum serpentum venenatorum laudatur. Apud nos autem pariter non adhibetur.

RADIX SCROPHULARIAE, Scrophulariae foetidae seu vulgaris, Rad. Ferrariae, Castrangulae, Fioariae. Braunwurzel, knollige Feigwarzwurzel, Kropfwurzel, Fickwurzel, Saukrautwurzel. *Racine de Scrophulaire.* — *Scrophulariae nodosae* L. (v. Herba p. 152.) Radix fusiformi-cylindrica, geniculato-ramosa, calamum scriptorium ad digitum crassa, undique plus minus nodis et fibris descendentibus praedita, albida, siccata laete grisea; odore foetido radicis recentis Paeoniae (p. 263.) simili, sapore amariusculo subacerbo. — *Part. const. praev.* et *Vis:* uti Herbae (?). Nuper contra hydrophobiam laudata est.

RADIX SCROPHULARIAE AQUATICAE L., Betonicae aquaticae. Wasserbraunwurzel u. s. w. *Racine de Scrophulaire aquatique* — (v. Herba p. 152.). Repens est, articulata, cylindrica, undique fibris filiformibus et capillaceis verticillatim obsessa, colore albo; odore remissiore et sapore subacri. — Hodie exolevit.

RADIX SENEGAE. Senegawurzel. *Racine de Sénéga.*

Synon.: Radix Senekae, Senega, Senegan, Radix Xinhien, Polygalae virginianae. Senekawurzel, virginianische Klapperschlangenwurzel. *Racine de Seneke, de Polygale de Virginie, de Serpent à sonnettes.*

Polygalae Senegae L. (Cl. cet. v. Herba Polygalae amarae p. 144.), plantae perennis Americae borealis, praecipue canadensis, Radix subcylindrico-fusiformis, cum margine unilaterali prominente, simplex vel plus minus ramosa et inferne fibris praedita, maxime flexuoso-curvata, 2 — 6 pollicaris et longior, superne passim calamum scriptorium et ultra crassa uti et tenuior, in capitulum irregulare, valde, ex caulium ruderibus brevissimis, nodosum, passim $\frac{1}{2}$ pollicem et ultra crassum, breviter ramosum, incrassata, externe laete vel obscure flavescente-griseo-fuscescens in longitudinem plus minus subannulato-rugosa, et tuberculosa, tactu aspera, intus albido-flavescens, densa, dura, sed fragilis, cortice $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{2}$ lineam crasso carnoso, duramine pallidiore sublignoso, sed parum tenace (multo fragiliore quam Radicis Polygalae Hungaricae, (p. 268.); odore debili dulciusculo-irritante, in triturando facile sternutationem excitans, sapo-

re, praecipue corticis, ingrato irritante, acidulo, peracri-gutturali, faucibus diu adhaerente, vix amariusculo; sialagoga; tinctura iodi radicem colore nonnisi fusco imbuit; infusum aquosum frigidum addito paullo liquoris ferri muriatici oxydati in floccis albidis, addito autem plure, sordide griseis praecipitatur, tincturae gallarum ope vix turbatur. — *Part. const. praev.:* Principium proprium acre (Seneginum). — *Vis:* incidens, resolvens, diuretica, alexipharmaca (?), majori dosi purgans, emetica.

Sit radix recens, ut supra bonae notae descripta, fragilis, sapore peracri-gutturali; nigrescens autem, mucida vel lignosa, tenax, fere insipida, rejiciatur. — Cave confundas cum Radice Polygalae Hungaricae (p. 268.).

Usus: In pulvere, electuario raro, praecipue in infuso vel decocto. — *Praep.:* Extractum, Essentia seu Tinctura, Syrupus. Additur aliis quoque compositionibus.

RADIX SERPENTARIAE VIRGINIANAE. Virginische Schlangenwurzel. *Racine de Serpentaire de Virginie.*

Synon.: Radix Viperinae, Colubrinae seu Contrajervae virginianae, Radix Valerianae virginianae. Virginische Osterluzey, virginischer Baldrian. *Racine de Colubrine ou de Vipérine de Virginie.*

Aristolochiae Serpentariae L., e cl. Gynandria, ord. Hexandria, fam. Aristolochiearum, plantae perennis Americae borealis, praecipue Virginiae, Radix tenuis, fibrosa, levis, rhizomate plerumque multicipiti, calamum stramineum, vix scriptorium, crasso, $\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$ pollicem longo, flexuoso, tuberculoso, passim absegminibus caulium obsesso et undique praemultis fibris filiformibus et capillaceis ramosis, intricatis, 1 — 3 pollicaribus praedito; saepius plures radices cohaerent; colore plus minus saturate griseo-fuscescente, in flavescentem passim subvirescentem ducente, intus albido, duramine rufescente; rhizoma durum, fibrae subfragiles; odor fragrans, aromaticus, camphorino-balsamicus, radicis Valerianae subsimilis, uti et sapor aromaticus, camphorinus et amarus; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit, infusum aquosum frigidum liquoris ferri muriatici ope vix fusco obscuratur et tincturae gallarum ope paullum turbatur. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium amarum. — *Vis:* excitans, nervina, diaphoretica.

Sit radix laete griseo-fuscescens, odore penetrante aromatico, uti et sapore supra memorato; radix nigrescens, parum aromatica, rejiciatur; saepius autem cum sordibus terreis adhaerentibus in commercio prostat, quae sordes separandae. Cum radice Asari virginici L. quoque confundi dicitur, quae distinguitur colore fere nigro; passimque cum radice Ginseng (p. 245.) intermixta occurrit.

Usus: In pulvere, electuario, praecipue in infuso. — *Praep.:* Tinctura. Additur aliis quoque compositionibus. — **In patria praecipue succus expressus contra morsum serpentum venenatorum adhibetur.**

RADIX SERPENTUM v. Lignum (p. 174.).

RADIX SERRATULAE. Scharten- oder Farbdistel Wurzel. *Racine de Sarette.* — *Serratulae tinctoriae* L. (v. Herba p. 154.) Radix cylindrico-fusiformis, brevis, digitum circiter crassa, undique fibris filiformibus praedita, superne ruderibus petiolorum setaceis obsessa, externe fusca, intus alba; sapore ingrato amaro, subaromatico. — Hodie exolevit.

RADIX SIDAE MAURITIANAE L'Herit., Mauritianische Sida-Wurzel, *Racine de Sida de St. Maurice,* — (Cl. cet. v. Rad. Althaeae p. 212.) fruticis insularum Mascariensium et aliarum Sidae specierum, Radix. — In India orientali passim radicis Althaeae loco adhibetur.

RADIX SIGILLI SALOMONIS seu POLYGONATI MAJORIS, latifoliae seu vulgaris, Radix Geniculatae, Genicellae. Weißwurzel, Schminkwurzel, Salomonssiegel, Gelenkwurzel. *Racine de Sceau de Salomon.* — *Convallariae Polygonati* L. (Fl. Bad. II. 55. — Cl. cet. v. Flores Liliorum convallium p. 67.), plantae perennis indigenae, locis montosis silvaticis passim, caule erecto, subcernuo, anguloso, superne ancipiti, foliis alternis distichis amplexicaulibus, floribus axillaribus pendulis secundis, pedunculis 1 — 2 floris, corollis cylindricis, albis, apice virescentibus, filamentis nudis, Radix vel potius Caudex subterraneus, primo vere colligendus, horizontalis, subcylindrico-compressus, calamum scriptorium ad digitum minimum crassus, nodoso-annulatus, impressionibus vel cicatricibus orbicularibus caulium, sigillum quasi simulantibus hinc inde obsessus et fibris (radicibus) fasciculatis praeditus, quae demuntur; si recens, albus, carnosus, inter siccandum corrugatur et flavescit; inodorus, sapore dulciusculo, mucilaginoso; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit. — *Part. const. praev.:* Saccharum et Amylum. — *Vis:* nutriens, demulcens. Olim ad sugillationes externe applicabatur, atque cosmetico usui inserviebat. — Hodie exolevit. — Pro nutrimento quoque inservit et ipsa cruda radix comedi potest. Radix vetusta, fusca, mucida, vel ab insectis corrosa rejiciatur. — Saepius etiam e Convallaria multiflora L. (Fl. Bad. II. 56.) colligebatur, planta iisdem passim locis crescente, descriptae simillima, quae autem discrepat caule tereti, pedunculis multifloris, corollis minoribus et filamentis pilosis. Radix penitus cum praecedente convenit.

RADIX SILAUS seu SESELEOS PRATENSIS. Silauswurzel, falsche Narwurzel. *Racine de Peucédane des prés.* — *Silai pratensis* Bess. (*Peucedani Silai* L. — v. Herba p. 155.) Radix, autumno colligenda, saepius multiceps, cylindrico-fusiformis, superne digitum circiter crassa et 6—10 pollices longa, coma penicilliformi ruderum petiolorum setaceorum cinerascentium praedita; siccata insigniter annulata, externe obscure griseo-fusca, intus alba, punctis flavescente rubellis sub cortice conspicuis, duramine flavescente; adspectu radici Meu (p. 259.) magnopere similis; odore debili, sed grate aromatico, et sapore acri-aromatico. — Hodie exolevit.

RADIX SILENES VIRGINICAE L., Virginische Taubenkropfwurzel, *Racine de Silène de Virginie,* — (Cl. cet. v. Herba Viscaginis p. 160.), plantae Americae borealis Radix. — In patria ut anthelminticum adhibetur.

RADIX SILERIS MONTANI seu SESELEOS. Berg-Laserwurzel, große Roßkümmelwurzel. *Racine de Laser Siler* ou *Sermontain.* — *Laserpitii Sileris* L. (Fl. Bad. III. 206. — Cl. cet. v. Rad. Angelicae p. 213.), plantae perennis speciosae alpinae, passimque in montibus Germaniae, Laserpitii latifolii (p. 244.) simillimae, sed foliis angustioribus, ovato-lanceolatis, sub-3-partitis, lobis integris, glabris, glaucis, margine cartilagineo (de fructu conf. Semen), Radix, radici Gentianae nigrae (v. loco citat.) simillima, pariter fragrans, aromatica, amara.— Apud nos non adhibetur; alpicolis vero usitata.

RADIX SISARUM. Zuckerwurzel, Zuckermerk. *Racine de Berle Chervi, de Sisare.* — *Sii Sisari* L. (Fl. Bad. I. 672. — Cl. cet. v. Rad. Angelicae p. 213.), plantae perennis Asiae orientalis, apud nos jam ab antiquissimis inde temporibus cultae, caule erecto, sulcato, glabro, ramoso, foliis pinnatis, summis ternatis, foliolis cordato-oblongis vel lanceolatis, umbellis terminalibus mediocribus, foliolis involucri et involucelli simplicibus, floribus parvis albis, fructibus minutis, ovato-oblongis, a latere compressis, costatis, solidis, valleculis 3-vittatis, Radix fasciculata, tuberoso-fusiformis, 6—8-pollicaris, superne digitum circiter crassa, alba, carnosa, odore miti aromatico petroselinino, et sapore grate dulci, sub-aromatico. — *Part. const. praev.:* Saccharum, Amylum et Oleum aethereum. — *Vis:* nutriens, demulcens, stomachica. — *Usus:* diaeteticus. — Pro medicamento hodie vix adhibetur; culinis inservit et aegrotis commendatur (De Sio Ninsi conf. radix Ginseng p. 245.).

RADIX seu TUBERA SOLANI TUBEROSI, Poma terrestria. Kartoffel, Erdtoffeln, Erdbeeren, Erdäpfel. *Pommes de Terre.* — *Solani tuberosi* L. (v. Herba p. 155.) Tubera notissima, permultas varietates exhibentia, si cruda, odore debili terreo et sapore ingrato subacri, cocta seu assata autem grate edules. — *Part. const praev.:* Amylum, Gummi, Albumen et Solanium. — *Vis:* nutriens, recentium quoque sub-norcotica, antiscorbutica. — *Usus:* diaeteticus, pro nutrimento multiplex, notissimus. Cruda vel cocta passim in scorbuto, et cum China in febribus intermittentibus praescribuntur et novissimis temporibus in multis morbis ut incitans, aperiens, diureticum, epispasticum (?), cet. commendantur. — *Praep.:* Amylum, Spiritus Vini (Kartoffelbranntwein), v. infra.

RADIX SOLANI RACEMOSI v. Rad. Phytolaccae (p. 266.).

RADIX SOULAMEAE AMARAE Lam., Bittere Soulameawurzel, *Racine de Soulamée amère* (v. Folia p. 80 et Fructus p. 82.), Frusta exhibet crassa, lignosa, cortice flavo tecta, intus flavescentia; odore grato et sapore amarissimo. — In patria praecipue contra venenum serpentum adhibetur.

RADIX SOULIN v. Lignum Serpentum (p. 174.).

RADIX SPARGANII. Igelkolben Wurzel. *Racine de Rubanier.* — *Sparganii ramosi* Sw. (Fl. Bad. III. 605.), e cl. Monoecia, ord. Triandria, fam. Typhacearum, plantae perennis in aquis stagnantibus passim vulgaris, caule erecto, superne ramoso, uti et folia graminea ensiformia, basi triquetra, glabro, floribus termi-

nalibus racemosis, in capitula globosa congestis, minutis, squamis perianthii tribus, superioribus sessilibus masculis, inferioribus partim pedunculatis foemineis, pericarpio sicco turbinato drupaceo, Radix crassa, ramoso-fibrosa, albida. — Hodie exolevit.

RADIX SPIGELIAE, Spigeliae marilandicae. Marylandische Spigelien- oder Wurmwurzel, indianische Pinkwurzel. *Racine de Spigélie de Mariland.* — *Spigeliae marilandicae* L. (v. Herba p. 156.) Radix, rhizomate tenui et brevi, cylindrico, undique permultis fibris filiformibus, intricato-ramosis, obsesso, colore obscure fusco, odore forti nauseoso, uti et sapore subsalso-amariusculo. — *Part. const.* et *Vis:* uti Herbae et praestantior etiam putatur. — *Usus:* Idem. Apud nos raro adhibetur.

RADIX SPIGELIAE ANTHELMIAE seu ARABACAE. Brasilianische Spigelien- oder Wurmwurzel. *Racine de Spigélie anthelmintique*, ou *de Brésil.* — *Spigeliae anthelmiae* L. (v. Herba p. 156.) Radix. — In patria pari modo adhibetur atque Herba.

RADIX SPIGELIAE GLABRATAE Mart., Glatte lorbeerartige Spigelienwurzel, *Racine de Spigélie glabre*, — suffruticis brasiliensis, Radix, odore et sapore gravi valerianino. — In patria ut excitans, diaphoreticum, anthelminticum adhibetur.

RADIX SPINAE SOLSTITIALIS. Sommerflockenblumen- oder Sommerdistel-Wurzel. *Racine de Centaurée de Solstice.* — *Centaureae solstitialis* L. (Fl. Bad. III. 507. — Cl. cet. v. Herba Cardui benedicti p. 104.), plantae annuae Europae meridionalis passimque Germaniae, locis asperis apricis, caule erecto ramoso, anguloso, alato, hirsuto, foliis decurrentibus, inferioribus lyratis, superioribus elliptico-lanceolatis dentatis et linearibus, integerrimis, hirsutis, floribus (calathiis) terminalibus solitariis flavis, squamis calycis (periclinii) exterioribus, in spinam simplicem, mediis in spinam longiorem divaricatam, basi spinulosam desinentibus, Radix amara. — Hodie exolevit.

RADIX STATICES CAROLINIANAE v. Radix Behen rubri (p.221.).

RADIX STELLERAE CHAMAEJASMES L. (Passerinae Stellerae Wikstr.), Sibirische Stellere- oder Passerinenwurzel, *Racine de Stellera de Sibirie*—(Cl. cet. v. Cortex Mezerei p.49.), plantae perennis Sibiriae, Radix, radici Mandragorae (p.258.) similis. — *Vi* drastica, purgante praedita. — In patria pro medicamento usurpatur.

RADIX STRUTHII = Rad. Saponariae hispanicae (p. 277.).

RADIX SWERTIAE. Swertien- oder blaue Tarant-Wurzel, Sumpf-Enzian *Racine de Swertie.* — *Swertiae perennis* L. (Fl. Bad. I. 383. — Cl. cet. v. Rad. Gentianae p. 243.), plantae perennis alpinae, passimque in montibus Germaniae turfosis, crescentis, caule erecto, obtusangulo, superne ramoso glabro uti et folia radicalia ovata, nervoso-venosa, crassiuscula, floribus racemosis, corolla rotata 5fida, lobis ad basin glandulis 2 pilosis praeditis, griseo-violacea, basi virescente, punctis rubello-coeruleis picta, Radix cylindrica, obliqua, fibris permultis praedita; sapore amaro. — *Virium* Gentianarum particeps. — Hodie exolevit.

RADIX SYMPHYTI MINORIS. Ph. Hisp. v. Radix Consolidae tuberosae (p. 233.).

RADIX TARAXACI. Pfaffenröhrlein-Wurzel. *Racine de Dent de Lion.*

Synon.: Radix Dentis Leonis, Leontodontis, Lactucae pratensis. Löwenzahn- oder Löwenkraut-Wurzel. *Racine de Pissenlit.*

Leontodontis Taraxaci L. (Fl. Bad. III. 302. — Cl. cet. v. Radix Cichorii p. 230.), plantae perennis in pratis, ad vias cet. ubique fere vulgaris (descript. v. Herba p. 157.), Radix e plantis annosioribus aestate colligenda celeriterque, sed caute, siccanda et in vasis bene clausis loco sicco asservanda, cylindrico-fusiformis, plerumque ramosa, superne digitum minimum ad pollicem crassa, plerumque in plura capita brevia incrassata, 4—12 pollices longa, si recens, externe laete griseo-flavescens, plus minus in fuscum ducens, intus alba, densa, carnosa, lactescens, duramine flavescente; siccata laete vel obscure fusca, plus minus in flavescentem abiens, sulcato-rugosa, intus pallide flava vel albida, circulo fusco corticis cincta, duramine flavo; fragilis, carnosa, odore debili dulciusculo, sapore dulciusculo, post insigniter amaro. Radix primo vere vel sero autumno collecta, praecipue siccata, sapore magis dulci, vix amaro praedita est; tinctura iodi radicem colore fusco solummodo imbuit. — *Part. const. praev.:* Principium proprium amarum, Saccharum mucosum et

Inulinum. — *Vis:* incidens, tonica, resolvens, aperitiva, diuretica.

Sit radix recens, intus flavescens, carnosa, supra ut bonae notae descripta. Radix vetusta, cariosa aut lignosa, tenax, parum amara, vel mucida rejiciatur. — Cave confundas cum Radice Cichorii (p. 230.).

Usus: In decocto, speciebus admiscetur. — *Praep.:* Extractum et Mellago; additur aliis quoque compositionibus.

RADIX THALICTRI FLAVI L., Rad. Rhabarbari pauperum, Gelbe Wiesenrauten-Wurzel, Heilkrautwurzel, unächte Rhabarber. *Racine de Rue de prés, de Pigamon jaune, de fausse Rhubarbe* (v. Herba p. 157.). Radix repens ramosa, si recens, externe laete fusca, siccata obscure fusca, intus flava; odore et sapore uti Herbae. — Olim passim loco Rhabarbari veri adhibebatur. Hodie uti Herba exolevit.

RADIX THAPSIAE ASCLEPII L., Apulische oder schmalblätterige Thapsienwurzel, *Racine de Thapsie Asclépion,* (Cl. cet. v. Rad. Angelicae p. 213.), — plantae perennis Apuliae, Siciliae, Graeciae Radix, succo lactescente turgens. — Ut irritans, diluens, commendatur. — *Praep.:* Oleum. — Apud nos non adhibetur.

RADIX TORDYLII seu SESELEOS CRETICI MINORIS, Seseli montani seu cretici. Officinelle Drehkrautwurzel. *Racine de Tordyle officinale* ou *de Séséli de Candie.* — *Tordylii officinalis* L. (Cl. cet. v. Rad. Angelicae p. 213.), plantae Europae australis et Orientis, Radix tenuis ramoso-fibrosa, sublignosa, paullum aromatica. — Hodie exolevit.

RADIX TORMENTILLAE. Tormentillwurzel. *Racine de Tormentille.*

Synon.: Radix Heptaphyllae seu Septifolii, Rad. Consolidae rubrae seu Dysentericae, Ruhrwurzel, Blutwurzel, Rothheilwurzel, Siebenfingerkraut-Wurzel, Birkenwurzel.

Potentillae Tormentillae Schrank (*Tormentillae erectae* L. — Fl. Bad. II. 455. — Cl. cet. v. Baccae Rubi idaei p. 17. et descript. plantae p. 158.), Radix vel potius Caudex subterraneus, e plantis annosioribus autumno colligendus, irregularis, subtuberosus, cylindricus vel fusiformis, ramosus, passim multiceps, flexuoso-curvatus, digitum minimum ad pollicem crassus, et 1—3 pollices longus, fibris (radicibus) longis filiformibus, tenacibus praeditus, quae resecantur; siccatus inaequaliter nodoso-tuberculosus, rugosus et cicatricibus caulium praeditus, tactu asper, obscure rubro-fuscus, intus carneo-fuscescens, densus, ponderosus, durus, facilis autem in pulverem rufescentem redactu; si recens, odore debili subrosaceo; siccatus inodorus, sapore haud ingrato peradstringente; tinctura iodi radicem colore atro-coeruleo imbuit; infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore atro-viridi turbatur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens et Amylum. — *Vis:* tonico-adstringens, stiptica, vulneraria.

Sit radix sana, compacta, intus carnosa, rubra, peradstringens; vetusta autem, pallida vel lignosa, aut cariosa, rejiciatur. Confundi etiam potest cum radice Bistortae (p. 222.).

Usus: In pulvere, electuario, pilulis, infuso et decocto. — *Praep.:* Extractum, olim Essentia, Aqua. Additur aliis quoque compositionibus. Hodie radix efficax rarius praescribitur, quam meretur.

RADIX TRAGOPOGONIS, seu Barbae Hirci pratensis. Wiesenbocksbart-Wurzel, Haferwurzel, Habermark *Racine de Salsifis, de Barbe de Bouc des prés.* — *Tragopogonis pratensis* L. (Fl. Bad. III. 268. — Cl. cet. v. Rad. Cichorii p. 230.), plantae biennis indigenae, in pratis praecipue montosis, et cultae, Scorzonerae (p. 282.) facie, sed calyce (periclinio) multipartito aequali, laciniis corollae radium subaequantibus, Radix fusiformis, externe fusca (culta, albida), intus alba, carnosa, succulenta, sapore dulci. — Hodie in medicina fere exul. In culinis notissima; cocta passim aegrotis commendatur.

RADIX TRAGOPOGONIS ARTIFI. Purpurrother Bocksbart- oder Haferwurzel *Racine de Salsifis blanc ou cultivé.* — *Tragopogonis porrifolii* L. (Fl. Bad. III. 270.), plantae biennis Europae mediae et australis, passimque Germaniae, et pariter cultae, praecedenti similis, sed floribus purpureo-coeruleis et laciniis calycis (periclinii) radio sesqui-longioribus, Radix; praecedentis habet proprietates, eodemque modo adhibetur.

RADIX TRAGORCHIDIS, Testiculi hircini. Stinkende Raunblumenwurzel, Bocksgeilen. *Racine de Satyrion bouquin* — *Orchidis hircinae* Crantz (*Satyrii hircini* L. — Fl. Bad. III. 349. — Cl. cet. v. Rad. Salep p. 275.), plantae perennis speciosae, in collibus apricis, silvis caeduis, passim, caule crasso, interne folioso, superne vaginato, floribus orchideis viride- et fusco-striatis, cornu brevissimo saccato, labio nectarii trifido, lorato, lacinia intermedia longissima angusta, lineari, spiraliter torta, pendula, apice bifida, lateralibus subfiliformibus, undulatis, Tubera testiculata majuscula, carnosa; odore foetido hircino. — Olim pro medicamento uti Radix Satyrii (p. 281.) usurpabatur, hodie exolevit. Ceterum etiam ad parandum Salep inservire potest.

RADIX TRIENTALIS EUROPAEAE L., Europäische Trientalis-Wurzel, *Racine de Trientale d'Europe* (Fl. Bad. IV. 259.), e cl. Heptandria, ord. Monogynia, fam. Primulacearum, plantae perennis pulchellae, montanae, Europae mediae, passimque Germaniae, digitalis, simplicissimae, foliis verticillatis oblongo-lanceolatis, inaequalibus, floribus axillaribus et terminalibus niveis, corolla septempartita, stellato-patente, Radix repens, subtuberosa, fibrosa; emetica. — In Helvetia et Sabaudia passim Hypecacuanhae loco adhibetur.

RADIX TRIFOLII FIBRINI seu ANTISCORBUTICI, Trifolii aquatici. Fieberklee- oder Bitterklee-Wurzel, Scharbocksklee-wurzel. *Racine de Trèfle d'Eau* ou *de Castor.* — *Menyanthis trifoliatae* L. (v. Herba p. 158.) Radix vel potius Caudex subterraneus, repens, cylindricus, articulatus, albidus, calamum scriptorium et ultra crassus, mollis, spongiosus, levis, fibris (radiculis) albis, praecipue ad articulos, obsessus; inodorus, sapore amaro. — *Part. const. Vis* et *Usus:* Uti Herbae; raro autem adhibetur.

RADIX TRILLII CERNUI L., Stinkende Dreiblattwurzel, *Racine de Trillium penché*, e cl. Hexandria, ord. Trigynia, fam. Smilacearum, plantae perennis Americae borealis, Radix emetica. — In patria passim Hypecacuanhae loco adhibetur. — Hunc in finem Radix Trillii sessilis quoque usurpatur.

RADIX TRIORCHYDIS ALBAE, odoratae seu Orchidis spiralis. Spiralförmige Ophryswurzel. *Racine de Triorchis blanche,* — *Neottiae spiralis* W. (*Ophryos spiralis* L. — Fl. Bad. III. 558. — Cl. cet. v. Rad. Salep p. 275.), plantae perennis indigenae in pascuis gramineis, praecipue montosis passim, caule erecto, tenui, squamis foliaceis pubescentibus tecta, floribus parvis albis in racemum secundum subspiralem digestis, orchideis, odoratis, labio nectarii obovato, emarginato, brevi postice tantum subcarinato, Tubera plerumque fasciculata, bina, terna, vel quaterna, oblonga, acuminata, inaequalia. — Hodie exoleverunt.

RADIX TRIOSTEI seu TRIOSTEOSPERMI. Dreistein- oder Beinsamenwurzel, Bastard-Hypecacuanhe. *Racine de Trioste perfolié.* — *Triostei perfoliati* L. (Cl. cet. v. Cortex p. 45. et Folia p. 76.), suffruticis parvi Americae borealis Radix crassa, carnosa, sapore amaro. — *Vi* emetica et purgante praedita. — In patria pariter, praecipue cortex, Hypecacuanhae loco passim adhibetur.

RADIX TRIPOLII. Meerstrandsternwurzel *Racine d'Aster maritime.* — *Asteris Tripolii* L. (Cl. cet. v. Rad. Arnicae p. 216.), plantae perennis locis salsis maritimis vulgaris, caule suberecto ramoso, foliis lineari-lanceolatis carnosis, triplinerviis, glaucis, floribus (calathiis) terminalibus subcorymbosis, pulchris, disco aureo et radio coeruleo vel albo, Radix fibrosa, acris. — Ut diaphoreticum olim adhibebatur. Hodie exolevit.

RADIX TROLLII. Trollblumen-, Knolbahnenfuß-Wurzel. *Racine de Trolle.* — *Trollii europaei* L. (Fl. Bad. II. 559. — Cl. cet. v. Rad. Hellebori nigri p. 248.), plantae perennis montanae, pratensis, sed rarae, Ranunculi facie, flore terminali, saepius solitario, pulchre aureo, subgloboso, perigonio polyphyllo petaloideo, Radix fibrosa nigro-fusca, rhizomate brevi, undique fibris tenuibus filiformibus brevibus, ramosis, obsesso; siccata inodora et fere insipida. — Hodie exolevit. — Confundi quoque dicitur cum radice Hellebori nigri. — Olim Flores Trollii etiam in scorbuto laudabantur.

RADIX TURPETHI, Turpethi veri seu Turpith. Turpith- oder Turbithwurzel, vegetabilischer Turbith, Treibwurzel, indianische Jalappe. *Racine de Turbit.* — *Convolvuli Turpethi* L. (Cl. cet. v. Rad. Jalappae p. 250.), plantae perennis Indiae orientalis et Novae Hollandiae, Radix. In commercio occurrit in frustis oblongis subcylindricis, passim curvatis, calamum scriptorium ad pollicem et ultra crassis, 2—6-pollices longis, raro capite crasso tuberoso praeditis, saepius fistulosis et partem corticosam convolutam solummodo exhibentibus, in longitudinem plus minus rugosis et praecipue in frustis crassioribus inaequaliter sulcatis, levibus, fragilibus, externe colore griseo-fusco, opaco, passim maculis et striis nigris resinosis notatis, intus cinereo-albidis, fractura opaca vel subresinosa, duramine, si adest, albido, poroso, tenaci. Inodora est, sapore nauseoso, dulciusculo-subacri; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit. — *Part. const. praev.:* Resina propria drastica et Amylum. — *Vis:* drastica, purgans. — *Usus:* In pulvere. — *Praep.:* Extractum, Resina, Pulvis diaturpethi cet. — Olim uti Jalappa adhibebatur. Hodie vix praescribitur. — Vetusta quoque plerumque provenit, cariosa, vana. Hinc jure aboleri potest. Recens radix autem in patria adhuc crebre pro medicamento usurpatur.

RADIX TURPETHI SPURII seu THAPSIAE. Spanische oder falsche Turbithwurzel, Thapsienwurzel *Racine de fausse Turbit, de Turbit d'Espagne.* — *Thapsiae garganicae* L. (Cl. cet. v. Rad. Angelicae p. 213.), plantae perennis umbelliferae Europae australis, Africae borealis et Orientis, Radix crassa, longa, externe grisea, intus alba, succo acerrimo caustico turgens. — *Vi* drastica, purgante, emetica; facile toxica. — Olim uti praecedens passim, et externe in unguento contra cutis exanthemata adhibebatur. Hunc in finem etiam Radix Thapsiae foetidae L., plantae perennis Hispaniae, Italiae et Graeciae, colligebatur. — Apud nos non adhibetur.

RADIX TYPHAE. Rohrkolben- oder Leschkolbenwurzel. *Racine de Massettes.* — *Typhae latifoliae* L. (Fl. Bad. III. 601. — Cl. cet. v. Rad. Sparganii p. 284.), plantae perennis arundinaceae, in paludibus vulgaris, caule erecto simplici, tereti, 5—7pedali, crassiusculo, foliis magnis lineari-ensiformibus vaginantibus, glabris, Amento terminali cylindrico, erecto, ex floribus densis, superne masculis, inferne foemineis constante, perigonio florum masculorum triphyllo setaceo, foemineorum nullo, ejus loco setis papposis pluribus cinctorum, Radix vel potius Caudex subterraneus, crassus, horizontalis, repens, articulatus, subcylindrico-compressus et verticillatim fibrosus, albidus, intus passim spongiosus et carnosus; inodorus, sapore dulci, post subadstringente. — *Part. const. praev.:* Amylum, Saccharum et paullum Adstringentis. — *Vis:* nutriens. Radix edulis olim contra morsum serpentum venenatorum adhibebatur. Hodie exolavit. — Ad parandum Amylum, Arrow-root (p. 9.) simile, etiam apta.

RADIX UNIFOLII. Einblatt- oder Zweiblattwurzel. *Racine de Muguet quadrifide.* — *Majanthemi bifolii* Dec. (*Convallariae bifoliae* L. v. Herba p. 159.), Radix vel potius Caudex subterraneus horizontalis, cylindricus, tenuis, nodulosus, albidus, fibris (radiculis) praeditus. — Hodie exolevit.

RADIX URTICAE MAJORIS. Große Nessel oder Brennnessel-Wurzel. *Racine d'Ortie grande.* — *Urticae dioicae* L. (v. Herba p. 159.) Radix perennis, cylindrica, calamum scriptorium ad digitum minimum crassa, undique fibris pluribus praedita, externe flavescens, intus alba; odore debili ingrato, et sapore nauseoso-dulciusculo, rapaceo; tinctura iodi radicem colore coeruleo imbuit. — *Part. const. praev.:* Principium proprium extractivum luteo-tingens (?). — *Vis:* diuretica, sanguinem depurans; tanquam specificum contra mictum cruentum commendabatur. Hodie vix adhibetur.

RADIX VALERIANAE. Baldrianwurzel. *Racine de Valériane.*

Synon.: Radix Valerianae minoris seu silvestris, Rad. Valerianae montanae, Polemonii, Nardus agrestis. Kleiner Baldrian, Berg- oder Wald-, auch Wiesen-Baldrian, Katzen-Wurzel, oder Baldrian, Rattenwurzel, Augenwurzel, Speyerkrautwurzel. *Racine de Valériane sauvage, de petite Valériane.*

Valerianae officinalis L. (Fl. Bad. I. 65. et IV. 20.), e cl. Triandria, ord. Monogynia, fam. Valerianearum, plantae perennis speciosae indigenae, locis humidis demissioribus, ad fossas et rivulos, vias, in pratis, uti et locis siccioribus montosis, dumetis silvaticis passim vulgaris, caule erecto 2—6-pedali et altiore, inferne anguloso, superne sulcato vel striato, ramoso vel subsimplici, inferne villosulo vel universo glabro, fistuloso, foliis omnibus pinnatis, foliolis lanceolatis, serrato-dentatis, vel integerrimis, floribus terminalibus corymbosis albis vel rubellis, odore florum Sambuci, Radix e plantis non admodum teneris aetate locis siccis montosis silvaticis primo vere vel autumno colligenda, solliciter siccanda et asservanda. — Planta pro solo natali variat; in locis siccioribus asperis, verum tamen in pratis quoque demissioribus, udis, passim minor, caule strictiore glabro, striato, foliolis angustioribus integerrimis, et floribus plerumque rubellis; locis demissioribus saepius major, stolonibus longe repentibus praedita et caule magis sulcato, villoso, foliolis latioribus, remote dentato-serratis, floribusque albis. — Plerumque opinantur radicem solummodo e varietate foliis angustioribus colligendam; sed haec varietas, si in pratis demissioribus occurrit, radice parum odora est praedita. — Rhizoma parvum, breve, subrotundum vel oblongum, truncatum, undique permultis fibris, calamum stramineum et ultra crassis et 2—6 pollices longis obsessum; fibrae ex varietate minori magis turgidae et breviores; colore, si recens, sordide albido, subflavescente, consistentia carnosa; inter siccandum corrugatur, magis flavescit et fuscescit, ita ut per tempus obscurior fiat. Radix vere collecta magis corrugatur, quam au-

tumno collecta; fragilis est, facile autem humorem ex aëre attrahit et mollis, flexilis fit; odore est praedita penetrante gravi aromatico, lotio felino quodammodo simili, et quidem in radice siccata fortiore quam in recenti, per tempus, etiamsi radix aëris aditu non excluditur, non deminuitur; sapore acri-aromatico, camphorino et amaro. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Acidum proprium volatile (Acidum valerianicum) et Principium amarum. — *Vis:* excitans, nervina, antispastica, tonica, diaphoretica, anthelmintica.

Sit radix genuina, supra ut bonae notae descripta, odore penetrantissimo graveolente uti et sapore aromatico, amaricante; radix odore debili vel mucida omnino rejiciatur. — Cave confundas cum radice Valerianae palustris (v. infra) vel radice Ranunculi repentis, vel acris et polyanthemi, radici Valerianae adspectu similibus, sed odore omnino carentibus, rad. Caryophyllatae (p. 227.) et rad. Hirundinariae (p. 248.) aliisque radicibus similibus, quibus omnibus odor memoratus deest.

Usus: In pulvere, electuario, pilulis, praecipue in infuso. — *Praep.:* Oleum aethereum, Acidum, Aqua, Extractum, Tincturae seu Essentiae variae, Syrupus. Additur aliis quoque compositionibus.

RADIX VALERIANAE ALPINAE. Alpenbaldrian. *Racine de Valériane des Alpes.* — *Valerianae montanae* L. (Fl. Bad. I. 71.), plantae perennis alpinae Helvetiae, passimque Germaniae australis, in montibus altioribus, Radix ramosa sublignosa, fuscescens, aromatica. — Hodie apud nos non adhibetur.

RADIX VALERIANAE ALPINAE MINORIS. Kleiner Alpenbaldrian. Pyrenäenbaldrian. *Racine de Valériane des Pyrenées.* — *Valerianae pyrenaicae* L., plantae in Pyrenaeis crescentis, Radix tuberosa; odore aromatico nardino. — Olim ut medicamentum recepta. Hodie apud nos exolevit.

RADIX VALERIANAE JAVANICAE Blume, javanischer Baldrian, *Racine de Valériane de Java,* plantae perennis javensis, Radix, similibus praedita proprietatibus atque radix Valerianae offic. et pari modo in patria adhibetur.

RADIX VALERIANAE MAJORIS v. Rad. Phu (p. 266.).

RADIX VALERIANAE NOBILIS seu ANGLICAE. Edler Baldrian, auch englischer genannt. *Racine de Valériane noble.* — Hoc nomine Radix e varietate (?) Valerianae officinalis, caule stricto simplici, tenui, striato, glabro, uti et foliis pinnatis, pinnis angustis lineari-lanceolatis subintegerrimis, locis montosis, in collibus asperis siccis crescentis collecta, fibris crassioribus et brevioribus flavescentibus praedita; odore et sapore fragrantissimo valerianino, asservanda et, desiderante medico, dispensanda.

RADIX VALERIANAE PALUSTRIS seu PHU MINORIS. Kleiner Sumpf-Baldrian. *Racine de Valériane aquatique.* — *Valerianae dioicae* L. (Fl. Bad. I. 64.), plantae perennis in pratis paludosis, ad fossas, in silvis humidis, passim vulgaris, Valeriana officinali omnibus partibus minoris, caule erecto sulcato subpiloso, superne subramoso, foliis radicalibus subindivisis, petiolatis, ovatis, caulinis lyrato-pinnatifidis et pinnatis, pinnis integerrimis, floribus corymbosis dioicis, rubellis, masculis magis expansis, foemineis contractis, Radix vel potius Caudex subterraneus, repens, cylindricus, calamum scriptorium circiter crassus, geniculatus, subtus praecipue fibris (radicibus) filiformibus praeditus, colore albido, siccatus griseo; odore debili valerianino. — Hodie vix adhibetur.

RADIX VERATRI VIRIDIS, v. Rad. Hellebori albi (p. 246.).

RADIX VERBASCI, Rheumatica. Wollkrautwurzel, Königskerzen-, Himmelbrand-Wurzel. *Racine de Bouillon blanc* ou *de Molène.* — *Verbasci Thapsi L.* (v. Flor. p. 73. et Herba p. 159.) Radix, primo anno autumno, vel secundo primo vere colligenda, fusiformis, ramosa et valde fibrosa, externe cinereo-fuscescens, intus albida, duramine pallidiore, sublignosa; inodora fere, sapore subnauseoso-amaricante, subirritante; tinctura iodi radicem colore non nisi fusco, mox evanescente, imbuit. — *Part. const. praev.:* Principium proprium amarum subnarcoticum (?). — *Vis:* nutriens, demulcens, pectoralis, anodyna (?). — Norvegi radice in phthisi boum bono cum successu utuntur. Apud nos vix adhibetur, sed medicorum attentione digna videtur.

RADIX VERBASCI NIGRI L., schwarze Wollkrautwurzel, *Racine de Bouillon noir,* (v. Flor. p.

74.), praecedenti est similis, externe fuscescens, intus magis flavescens; odore ingrato. — *Vires* praecedentis habet et forsitan praestantior (?). — Apud nos pariter non adhibetur, quanquam medicorum attentione digna.

RADIX VERONICAE VIRGINICAE L., Virginische Ehrenpreiswurzel, *Racine de Véronique de Virginie*, (Cl. cet v. Herba Veronicae p. 160.), plantae perennis Virginiae et Japoniae Radix, *Vi* subadstringente praedita (?). — In America boreali pro medicamento usurpatur.

RADIX VETIVERIAE seu VITIVERIAE, Vetyvert, Rad. Iwarancusae, Tarankus, Nardus indica seu Gangica(?). Vetiverien- oder Iwarankusa-Wurzel, Indische Narde vom Ganges(?). *Racine de Vétivère* ou *Vitivère.* — *Andropogonis Iwarancusae* BLANE, (*Cymbopogonis Iwarancusae* LEHM., *Vetiveriae odoratae* DUPETIT-THOUARS. — Cl. cet. v. Radix Graminis p. 245.), graminis perennis Asiae meridionalis et Indiae orientalis, Radix vel potius Caudex subterraneus repens filiformis. Prostat in commercio in sectis 1 — 1½ pedalibus, filum ad calamum stramineum crassis, flexuosis, colore albido, in flavescentem vel cinereum ducente, seu colore stramineo, hinc inde fusco- vel nigro-maculatis; primo adspectu radici Graminis (v. l. cit.) est simillima, sed enodis, sub compressa, paucis fibrillis (radiculis) capillaceis sparsis praedita, mollis, sed tenax, membrana papyracea nitente, facili solutu, tecta, in sectione transversa 4 strata conspicua: membrana tenuissima, sub qua vasa fistulosa, duramen lignosum album, tenuissime porosum, intus annulo flavescente terminatum, medullam farctam albam includente; radices crassiores carent passim medulla et fistulae, intus nigrescentes, apparent. Odor fragrans, aromaticus, medium quasi tenet inter radicem Calami et Iridis florentinae, simul submyrrhinus, sapor amarus et acri-aromaticus, linguae diu adhaerens; tinctura iodi radicem colore nigro-coeruleo imbuit. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Principium amarum, Resina et Amylum. *Vis:* excitans, nervina, tonico-stomachica, febrifuga. — *Usus:* In substantia vel infuso. — *Praep.:* Tinctura. — Radix in patria in multis morbis maxime celebrata; novissimis temporibus, apud nos quoque, contra choleram morbum laudatur. Ceterum in cosmeticis adhibetur et si manducatur, halitum omni odore privare dicunt.

RADIX VICTORIALIS LONGAE seu MARIS. Rad. Allii alpini seu montani, latifolii, maculati. Lange Allermannsharnisch, lange Siegmarswurzel, Siegwurzel, Männlein, Schlangenwurzel, Knoblauchswurzel. *Racine de Victoriale longue, de faux Spicanard, d'Ail de montagne.* — *Allii victorialis* L. (Fl. Bad. II. 13. — Cl. cet. v. Rad. Allii p. 212.), plantae perennis liliaceae, in pratis alpinis et subalpinis Germaniae australis, Tyrolis, Helvetiae cet., caule erecto, basi foliato, foliis brevi-petiolatis, lato-lanceolatis vel ellipticis, umbella globosa capsulifera, floribus albis, staminibus exsertis, omnibus indivisis, Radix vel potius Bulbus compositus, ex pluribus bulbis oblongis vel subcylindricis connatis constans, vaginis reticulatis obductis, inferne fibris (radiculis) praeditus; intus, si recens, carnosus et porosus; odore forti alliaceo. — Siccata prostat in commercio in sejunctis bulbulis oblongis, subfusiformibus, digitum et ultra crassis, utrinque attenuatis, 4 — 6 pollices longis, levissimis, mollibus, praecipue ex lamellis reticularibus, teneris, concentricis, laxis, laete vel obscure griseis constantibus, duramen lignosum cylindricum annulatum, saepius fistulosum includentibus. — Hoc modo siccata inodora est et insipida. — *Part. const. praev.:* recentis Oleum aethereum acre. Descripta siccata nihil aliud est nisi pars fibrosa. — Radix recens ab alpicolis ut anthelminticum, antispasticum cet. adhibetur. Siccata superstitiose pro amuleto habetur contra incantationes, ad firmanda corpora et vulnerationes impediendas; unde nomen.

RADIX VICTORIALIS ROTUNDAE seu FOEMINAE, Rad. Gladioli. Runder Allermannsharnisch, Allermannsharnisch-Weiblein, Siegwurzel-Weiblein, Ackerschwertelwurzel. *Racine de Victoriale ronde, de Glayeul commun.* — *Gladioli communis* L. (Fl. Bad. I. 77. — Cl. cet. v. Rad. Irid. florent. p. 252.), plantae liliaceae perennis Europae meridionalis passimque Germaniae, pratensis, apud nos in hortis cultae, caule erecto subcylindrico, foliis ensiformibus, floribus racemosis sub-secundis, speciosis, purpureis, perigonio corallino tubuloso subringente, limbo inaequaliter 6-partito, staminibus adscendentibus, Bulbus globoso-subdepressus, saepius geminus, nucis avellanae circiter magnitudine, membrana reticulari, grisea obductus, intus solidus, si recens, densus, carnosus, colore pallide flavo; inodorus, sapore amariusculo, post subacri-gutturali, inter citam et circumspectam exsiccationem corrugatur, et pars interior albidus subcorneus perdurus fit, inter lentam autem universus fere evanescit et praecipue ex lamellis reticulatis concentricis solutis insipidis constat. Talis in commercio prostat. — Pari modo olim ac praecedens adhibebatur. Hodie merito merx iners, qualis venditur, exolevit.

RADIX VINCETOXICI v. Rad. Hirundinariae (p. 248.).

RADIX VIOLAE seu VIOLARIAE, Violae martiae. Violen- oder Veilchen-Wurzel. *Racine de Violette de Mars, de Violier commun.* — *Violae odoratae* L. (v. Flor. p. 74. et Herba p. 160.) Radix, cum Caudice autumno colligenda, ramosa et fibrosa, superne calamum stramineum circiter crassa, in caudicem desinens simplicem vel multicipitem brevem, calamum scriptorium vix crassum, ruderibus petiolorum semi-annulatis undique dense obsessum; siccata colore griseo-subflavescente et fuscescente, superne (in caudice) radici Hypecacuanhae subsimilis, intus albida, sublignosa, tenax; odore recentis debili violaceo; siccata inodora, sapore primo dulciusculo, post nauseoso-irritante-acri, radicis Senegae subsimili, sialagogo. — *Part. const. praev.:* Violium. — *Vis:* irritans, nauseosa, emetica. — *Usus:* Uti radicis Hypecacuanhae. — Radix sane efficax hodie vix adhibetur, quanquam medicorum attentione omnino digna, Radici Hypecacuanhae passim substitui potest.

RADIX VIOLAE CANINAE L., Hundsviolen oder Hundsveilchen-Wurzel. *Racine de Violette sauvage* (Fl. Bad. III. 515.), plantae ad sepes, vias, in nemoribus vulgaris, praecedenti simillimae, sed caulescentis, stolonibus reptantibus expertis, floribusque inodoris. Radix cum Caudice, praecedenti simillima, nisi quod colore externe obscuriore fusco, passim subviolaceo; viribus similibus praedita et pari modo adhiberi potest.

Aliae Violae seu Jonidiae, Soleae specierum radices passim Hypecacuanhae substituuntur (conf. p. 250.).

RADIX VIPERINAE seu **ECHII**, Buglossi agrestis. Natterkopfwurzel, wilde Ochsenzungen-Wurzel. *Racine de Vipérine.* — *Echii vulgaris* L. (v. Herba Buglossi agrestis p. 101.) Radix, autumno colligenda, cylindrico fusiformis, praelonga, subramosa, superne digitum et ultra crassa, externe rufa vel obscure fusca, cortice crassiusculo, intus alba, densa vel sublamellosa; inodora et fere insipida, mucilaginosa. Olim in epilepsia laudabatur. Hodie exolevit. — Passim cum radice Buglossi (p. 223.) et Cynoglossi (p. 235.) confunditur.

RADIX XANTHORRHIZAE seu **ZANTHORRHIZAE APIIFOLIAE** L'Herit., Gelbwurzel, *Racine de Zanthorrize à feuilles d'Ache*, — e cl. Pentandria, ord. Polygynia, fam. Ranunculacearum, fruticis parvi Americae septentrionalis, Radix cylindrico-ramosa, fibrosa, superne digitum circiter crassa, lutea; sapore grato, sed peramaro. — In patria ut stomachicum forma pulveris adhibetur. Ceterum ad luteo- et viride tingendum inservit.

RADIX XIRIDIS seu **SPATULAE FOETIDAE.** Stinkende Iris- oder Schwerdtlilienwurzel *Racine d'Iris fétide.* — *Iridis foetidissimae* L. (Cl. cet. v. Rad. Irid. Florent. p. 252.), plantae perennis Galliae, Hispaniae et Angliae, ad littora marina crescentis, Radix vel potius Caudex subterraneus, tubero-articulatus, curvatus, externe obscure fuscus, fibris (radicibus) firmis obsessus; odore penetrante foetido cimicino, et sapore acri; — *Vi* drastica, purgante, emetica, diuretica, praedita. — Praecipue in hydrope laudabatur. Apud nos non adhibetur.

RADIX ZEDOARIAE. Zittwer. *Racine de Zédoaire.*

Synon.: Radix Zadurae, Zinziberis silvestris. Zedoar- oder Zepterwurzel, Zittwer-Wurzel. *Racine de Gingembre sauvage.*

Curcumae Zerumbet Roxb. (*Amomi Zerumbet* Kön., *Amomi latifolii* Lam. — Cl. cet. v. Cardamomi p. 26.), plantae perennis speciosae pulchrae Indiae orientalis, Javae cet., Radix vel potius Caudicis Tubera. — Exsiccata prostant plerumque decorticata et in taleolas scissa; duae plerumque in commercio distinguuntur species: 1) **Radix Zedoariae longae**, lange Zittwerwurzel, *Racine de Zedoaire long*, frusta exhibens in longitudinem secta, plerumque quadrata, passim discoidea, oblonga, ovata, 1½ — 3 pollices longa et ½ — 1 pollicem crassa, uno vel duobus lateribus plana, reliquo convexa, quod saepius inaequaliter rugosum et nodosum, ruderibus filorum lignosis sparsis praeditum. 2) **Radix Zedoariae rotundae**, runder Zittwer, *Racine de Zedoaire ronde*, a nonnullis e *Curcuma Zedoaria* Roxb. (*Curcuma aromatica* Salisb.) derivatur. Tubera exhibet subglobosa vel segmenta hemisphaerica et ovato-hemisphaerica, 1 — 1½ pollicem in diametro habentia et plerumque uno latere in apicem desinentia, cortice inaequaliter rugoso, arcte adhaerente, passim tecta; ceterum praecedentis adspectu. Ambo sunt sordide albida vel cinerea, subflavescentia et rufescentia, in superficie convexa passim obscure fuscomaculata, opaca, intus pallide flavo-fuscescentia, vel rufescentia, perdura, ponderosa, sed fragilia, fractura inaequali opaca et subresinosa; odore fragrante, grate aromatico, uti et sapore camphorino, acri. Tinctura iodi radicem colore nigro imbuit. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum, Resina aromatica acris et Amylum. — *Vis:* excitans, stomachica, carminativa.

Sit radix recens, dura, ponderosa, intus fuscescens et forte-aromatica; vetusta autem, cariosa, vel intus albido-farinosa, levis, parum aromatica, rejiciatur.

Usus: In pulvere, pilulis. — *Praep.:* Tinctura, seu Essentia, Oleum aethereum, Aqua Zedoariae anisata et vinosa. Additur aliis quoque compositionibus.

RADIX ZINZIBERIS. Ingwer. *Racine de Gingembre.*

Synon.: Radix Zingiberis seu Gingiberis, Zinziber vulgare. Gemeiner Ingwer, Inber, oder Imber, Ingwer-Klauen oder Zehen. *Amome des Indes.*

Zinziberis officinalis Rosc. (*Amomi Zinziberis* L. — Cl. cet. praecedentis), plantae Indiae orientalis ibidemque uti et in India occidentali cultae, Radix vel potius caudicis Tubera exsiccata, palmato-ramosa, articulata, polymorpha, rotundato-compressa, 2—6 pollices longa, 1½—3 pollices lata et 2—6 lineas crassa. Distinguuntur: 1) Radix Zinziberis albi, weißer Ingwer, *Gingembre blanc*, frusta exhibens saepius diffracta, hinc parva, cortice tenui sub-suberoso, sordide cinereo-flavicante, rugosissimo et sulcato, subnodoso, sulcis longitudinalibus, passim nigrescentibus, arcte adhaerente tecta, intus albida, vel flavescentia, striis et maculis fuscescentibus, uti et vasis setaceis insignia, densa, ponderosa, non admodum facilia fractu, fractura opaca, hinc inde, praecipue sub cortice, fusconitente; triturando pulverem sordide et pallide flavescentem praebentia; odore fragrante grate aromatico, uti et sapore acri-aromatico, sialagogo; tinctura iodi radicem colore nigro imbuit. Hodie Zinziber album etiam ex India occidentali mundatum prostat in frustis longioribns, elegantibus, albis, vix flavescentibus, magis porosis et levioribus, tenacioribusque, fractura magis fibrosa et farinosa; pulverem pulchre albo-flavescentem praebentibus; ceterum et odore et sapore descripto. 2) Radix Zinziberis nigri, schwarzer Ingwer, *Gingembre noir*. Optima novissimis temporibus in cistulis advehitur ligneis, characteribus chinensibus notatis, duas circiter libras continentibus; tubera exhibens plerumque integra, composita, hinc Zinzibere albo tecto saepius majora, ceterum ei similia, cortice autem obscuriori-griseo-fusco, unicolore, pulvere sordide terreo quasi consperso et magis etiam irregulariter rugoso-sulcato, passimque tuberculoso, aspero tecta; dura, ponderosa, sed fragiliora, fractura subaequali, intus concolora, saturate flavo-fusca, universa resinose-nitentia, cornu instar subpellucida; triturando autem pulverem pallide flavescentem praebentia; odore et sapore praecedentium, magis autem fragrante; tinctura iodi radicem pariter colore nigro imbuit. — *Part.* Zinziberis *const. praev.:* Oleum aethereum, Re-

sina aromatica et Amylum. — *Vis:* incidens, calefaciens, stomachica, carminativa.

Sit Zinziber recens, supra ut bonae notae descriptum, densum, ponderosum, maxime aromaticum; vetustum autem, cariosum, parum aromaticum rejiciatur.

Usus: In pulvere, electuario, pilulis. — *Praep.:* Zinziber conditum (v. sequens), Oleum aethereum, Tinctura seu Essentia. Additur pluribus aliis quoque compositionibus.

RADIX ZINZIBERIS seu ZINGIBERIS CONDITI, Zinziber conditum. Eingemachter Ingwer u. s. w. *Gingembre confit.* — In India ex radice recenti conficiitur. Parari quoque potest a pharmacopola ex radice siccata, dum aquae ope emollitur et saccharo lege artis conditur. — Tubera exhibet ex radice recenti subglobosa, composita ad pugni usque magnitudine, fusco-flavescentia, subpellucida, carnosa, grate dulcia et aromatica; ex radice siccata confecta minoris sunt pretii, colore obscuriore fusco, minus aromatica. — Comedenda passim praescribitur in iisdem casibus, quibus universe Radix Zinziberis adhibetur.

RAIS seu RAIZ PRETA v. Rad. Caincae (p. 223.).

RANA ESCULENTA et RANA TEMPORARIA. Wasserfrosch und Grasfrosch. *Grenouille verte et brune.* - Amphibia quadrupeda notissima ex ord. Batrachiorum.— Femora seu Coxa (Froschschenkel oder Froschkeulen) in cibum recipiuntur; cum jure decocta ad demulcendum et relaxandum adhibentur et aegrotis pro nutrimento commendantur. – *Praep.:* olim Emplastrum de Ranis sine et cum Mercurio. — Conf. quoque Sperma (v. infra). - Rana arborea L. (Hyla viridis Lacep.), Laubfrosch, *Grenouille d'Arbres*, in pomariis, locis gramineis, saepius arboribus insidens, obvia. — Olim comburebatur uti Bufones (p. 32.). Dudum autem exolevit.

RASURA CORNU CERVI et RASURA EBORIS conf. Cornu Cervi (p. 41.) et Ebur (p. 57.).

REGULUS USTUS. Gebrannter Zaunkönig oder Mäusekönig. *Roitelet comburé.* — *Motacilla Troglodytes* L. (*Regul. Troglod.* LATHR.), avis ex ord. Oscinum, fam. Canorarum, in nostris regionibus minima.— Olim combustus asservabatur et aliis compositionibus admisceri solebat. Jam dudum merito exolevit.

RESINA ACAJU. Acajuharz. *Résine d'Acajou.* – Resina e Cedrela odorata L. (?) (Cl. cet. v. Cort. Cedrelae p. 45.), arbore Americae meridionalis, exsudans; pellucida, aromatica. — Alia est Resina vel potius Gummi Acaju, ex Anacardio occidentali (v. Anacardia p. 6.) effluens; frusta exhibens speciosa, irregularia, lutea vel flavescentia, nitentia, plus minus diaphana, dura, passim cavernosa; inodora et insipida; trita pulverem album praebentia, inter manducandum dentibus adhaerentia; insolubilia fere in alcohole vini, maxima ex parte autem solubilia in aqua; solutio concentrata cum borace non spissescit et cum liquore ferri sulphurici oxydati non turbatur. Miscella est ex Gummi proprio solubili et Bassorino cum exigua Resinae parte. — In Brasilia pro medicamento usurpatur et Gummi arabico (p. 86.) passim substituitur.

RESINA ALBA. Weißes Harz. *Résine blanche.*

Synon.: Resina flava, Resina communis, Resina Pini seu abietina, Galipot, Thus seu Olibanum commune, silvestre seu germanicum. Fichten- oder Tannenharz, gemeines Harz, gemeiner Weihrauch. *Résine commune, Galipot.*

Pini silvestris L., *Pini Pinastri* AIT., *Pini Abietis* L., *Pini Piceae* L. aliarumque Pini specierum (Fl. Bad. III. 706 — 711.), e cl. Monoecia, ord. Monadelphia, fam. Coniferarum, arborum acerosarum, passim indigenarum silvestrium, Resina ex trunco vulnerato effluens et aëre indurescens. — Prostat in glebis magnis irregularibus vel panibus compressis, liquatione et colatura resina e sordibus privatis (Resina alba sensu strictiore), aut in granis secretis variae magnitudinis (Thus seu Olibanum silvestre); si recens, colore albido vel subflavescente, subdiaphana, consistentia molli, tenaci, glutinosa; per tempus magis indurescit et passim friabilis fit, color magis in luteum vel subaurantiacum abit; in manu mollescit et leni calore liquatur; odore est terebinthinaceo, uti et sapore; in spiritu

vini penitus solubilis, praecipue caloris ope, insolubilis in aqua. — Est Resina duorum generum cum pauxillo Olei Terebinthinae mixta. — *Vis:* irritans, diuretica, discutiens.

Sit resina pura, albida, parum flavescens, forte-odora; admodum impura autem, particulis lignosis, corticosis, aliisque quisquiliis nimis mixta, colore sordido, vel plane exsiccata, fuscescens, vix odora, rejiciatur.

Usus: In pilulis, raro interne; praecipue externe in Emplastris, et Unguentis. — *Praep.:* Pix burgundica (p. 207.), Cera arborea, Emplastrum adhaesivum, Ungt. Basilicum; additur pluribus aliis quoque emplastris et unguentis.

RESINA CEDRI. Cedernharz *Résine de Cedre.* — *Pini Cedri* L. (v. Lignum p. 171.) Resina sponte effluens, praecedenti similis, sed odore gratiore masticino. — In patria simili modo, apud nos autem non, adhibetur.

RESINA CHIBOU seu CACHIBOU, Resina de Gomart, Almecegeira. Chibouharz, Gomargummi. *Résine de Chibou ou de Cachibou.* Ex America advehitur, foliis Marantae luteae W. involuta. — Glebas exhibet albido-virescentes, pallide flavescentes vel luteas, subpellucidas, glutinosas, Elemi (p. 57.) vel Resinae albae (v. supra) similes; aëre indurescentes; odore grate balsamico subterebinthinaceo et sapore aromatico masticino. — E Bursera gummifera L. derivatur; (conf. autem Caranna (p. 25.) et Balsamum Acouchi (p. 18.). — In patria in dysenteria et calculis renum laudatur.

RESINA DAMMAR conf. Copal (p. 41.).

RESINA ELASTICA v. Cautschuc (p. 29.).

RESINA GUAJACI NATIVA. Natürliches Guajacharz. *Résine de Gaïac naturelle.*

Synon.: Gummi Guajaci seu Sanctum, Guajacum. Guajakgummi, Guajak, Franzosenharz, Franzosenholz-Gummi. *Gomme de Guayac, Résine Guayac.*

Guajaci officinalis L. (v. Lignum p. 172.) Resina sponte vel ex trunco vulnerato effluens vel caloris ope liquefacta exsudans. — Prostat in commercio in frustis magnis subglobosis vel irregularibus, flavescente-fuscis et virescente-versicoloribus, externe colore viridi subpulverulentibus, duris, fragilibus, in fractura nitentibus, plus minus pellucidis, saepius cum corticis (p. 47.) et ligni assulis intermixtis; facilis in pulverem pallide cinereum, aëris aditu colorem sordide viridem assumentem, redactu; p. spec. 1,22; odore debili subbenzoino, sapore subacri-gutturali; manu non mollescit, igne autem facile liquatur et odorem grate vaniglinum spargit; insolubilis fere in aqua, facilis autem, exceptis quisquiliis, solutu in spiritu vini, uti et in aethere, pulvis et solutio alcoholica cum multis materiis juncta, colorem coeruleum assumit, ut: mucilagine gummi arabici, radice recenti Althaeae, Solani tuberosi, acido nitroso, spiritu nitri dulci, liquore ferri muriatici oxydati cet. — Miscella est ex Resinis duorum generum et Guajacino. — *Vis:* irritans, resolvens, diaphoretica.

Sit resina pura, fusco-virescens, splendens, pellucida; non admodum particulis corticosis vel aliis quisquiliis intermixta, vel colophonio adulterata, quod detegitur ope liquoris kali caustici, qui solutionem spirituosam, aqua mixtam et lactescentem, penitus solvere et additus adeo in excessu non turbare debet.

Usus: In pulvere, pilulis, mixturis admiscetur, praecipue ope mucilaginis gummi arabici, mixturam coeruleam tunc praebens (v. supra). — *Praep.:* Tincturae variae, Sapo, Pilulae. Additur aliis quoque compositionibus.

RESINA HYOWA, ex Amyride ambrosiaca W. derivata, ab incolis Gujanensibus ut antisepticum celebrata, cum Olibano americano (p. 202.) convenire debet.

RESINA ICICA v. infra Tacamahaca.

RESINA JUNIPERI v. Sandaraca (p. 303.).

RESINA LUTEA NOVI BELGII, Resina seu Gummi acaroides, acharoides, Gummi citrinum. Gelbes Harz von Neuholland oder Botany-Bai, gelbes Gummi. *Résine acaroide, Résine jaune de Botanybay, Gomme jaune.* — Ex caudice Xanthorrheae arboreae Sm. (Cl. cet. v. Flor. Liliorum alborum p. 67.), plantae liliaceae arborescentis Novae Hollandiae, exsudans. Frustula exhibet subglobosa, vel fragmenta pisi ad nucis juglandis magnitudine et majora, flavo-fusca, Gummi Guttae (p. 88.) subsimilia, plerumque autem obscuriora, externe pulverulenta, opaca, arida, fragilia, fractura aureo- vel fusco-maculata, nitente; impellucida vel vix diaphana, facilia in pulverem saturate luteum radactu; odore levi subbenzoino et sapore parum aromatico; igne facile liquatur et nidorem fortiorem emittit, inflammabilis, insolubilis in aqua, penitus solubilis in alcohole vini et majore ex parte in aethere. — *Part. const. praev.:* Resinae colorantes duplicis generis et paullum Olei aetherei. — *Vis:* adstringens, obstruens. — In diarrhoea, dysenteria, cet. commendatur. Apud nos hodie non adhibetur.

RESINA seu BALSAMUM LANDSOM. Landsombarz oder Balsam. *Résine de Landçon.* — Hoc nomine ex India orientali Balsamum adportabatur ex arbore e fam. Terebinthacearum, non sátis cognita, effluens, consistentia fere Terebinthinae Venetae (v. infra); odore forti coriario, uti et sapore simul amaro, subacri. — Ex duabus Resinis, Oleo aethereo, et Extracto amaro constat. — Ad parandum vernicem cet. inservit.

RESINA SIMIRI. Hoc nomine Copali species intelligitur.

RESINA VESICAMO. Balsamum arboris Americae meridionalis incognitae, Terebinthinae simile, sed colore obscure glauco.

RESINA VISMIAE, species est Gummi Guttae (p. 88.).

Aliae Resinae nativae officinales, ut: Anime, Benzoë, Elemi, Copal, Mastix, Sandaraca cet. sub nominibus propriis suis locis vel nomine Gummi, ut Gummi Hederae (p. 87.) cet. quaerendae.

ROCCELLA. Orseille. *Orseille.* Ex variis lichenibus, ut: Roccella tinctoria Ach. (Licheno Roccella L.), Variolaria oreina Ach., Var. dealbata (?) cet. praecipue in Gallia meridionali paratur. — Pastam exhibet vel massas paniformes, obscure violaceo-rubras vel amarantheas; odore forti proprio putrido. — Ad tingendum inservit (Conf. et Lacca coerulea p. 165.).

RUBINUS v. Lapis (p. 169.).

RUBRICA FABRILIS, Sinopis seu Synopis Veterum. Röthel, Röthelstein, rothe Kreide. *Sanguine, Craie* ou *Crayon rouge.* — Reperitur in schisto aluminoso (Thonschiefer) Thuringae, Tyrolis, Salisburgi, Lotharingiae cet. — Massae amorphae fusco-rubrae, pingue-nitentes, molles, tactu laeves, subpingues, inquinantes, fractura opaca, terrea; triturando pulverem sanguineum praebentes, p. spec. 3,1 — 3,8. — Argilla est cum Oxydo Ferri mixta. — Olim ut adstringens, praecipue cum melle rosato mixta, ad aphthas commendabatur. Hodie exolevit. Ad delineandum et scribendum inservit.

SACCHARUM. Zucker. *Sucre.*

Synon.: Saccharum commune seu Arundinis, Zuccarum, Sal Sacchari, Mel Cannae. Gemeiner Zucker, Rohrzucker.

Succus plurimarum plantarum, in maxima copia in culmo *Sacchari officinarum* L. (Cl. cet. v. Avena p. 12.), graminis maximi sub Tropicis crescentis et praecipue in India occidentali cultae, proveniens et expressione et coctione lege artis in raffinationibus depuratus et in massam concretam redactus. Ceterum ex aliarum quoque plantarum succo, ut: Betae vulgaris (v. Herba p. 99.), Acerum specierum, cum commodo parari potest. — Variae in commercio prostant species, v. g. Saccharum album, weißer Zucker, Hutzucker, *Sucre blanc*, plerumque metas exhibet magnas ex massa crystallina concretas, porosas, plus minus compactas, colore albo, Saccharum Melitense, Melis, quoque nominatur, purius, subdiaphanum, perdurum, Saccharum raffinatum, Raffinat, et albissimum, nitens, Saccharum Canariense, Kanarienzucker. Si

solutio aquosa caloris ope lente coalescit, crystallos exhibet prismaticas, oblique rhombicas, irregulariter hexaedricas et inde derivandas, plus minus pellucidas, decolores, si purum, plerumque autem flavescentes vel rubro-fuscas, Saccharum Candi, Candum seu Canthum, sive crystallisatum, Kandiszucker, Kandelzucker, Zuckerkand, *Candi*, quod nominatur. P. spec. 1,6; Saccharum purum aëre immutabile et inodorum. Saccharum impurum autem seu crudum, Moscovade Saccharum Thomae seu rubrum, Moskowade, Thomaszucker, quod appellatur, grumas seu granula exhibet crystallina, secreta, plus minus fusca, mollia, glutinantia; odore proprio fermenti; aliquantulum depuratum Saccharum farinaceum, Farinas, Terris, Cassonade, Farin, Kassonade, Puderzucker, quod blandius, colore fusco-flavescente vel albido, minus glutinans, farinaceum. Sapor Sacchari dulcissimus; solidum affrictum in tenebris scintillat. — Principium est organicum sui generis Azoti expers. Constat ex Carbonei 12, Hydrogenii 22 et Oxygenii 11 p. M. Leni igne liquatur et calore fortiore fuscescit, saporem amarum assumit, Caramel, Saccharum tostum, Gebrannter Zucker, quod nominatur, et aëris aditu cum flamma comburitur. Facillimum est solutu in aqua, minus solubile in spiritu vini. Solutio aquosa diluta cum fermento mixta effervescit, spiritumque vini (Spiritum Sacchari) praebet. — *Vis:* nutriens, demulcens, diluens, incidens, relaxans.

Sit Saccharum purum, solidum, siccum, supra ut bonae notae descriptum; facillime penitus in dimidia aquae parte solubile. Cave ne sit coloribus noxiis arsenicalibus adulteratum, quod detegitur acidi hydrothionici ope.

Usus: Saccharum per se purum raro interne ut medicamentum adhibetur; externe pulvis ulceribus sordidis cet. mundificandi ergo inspergitur. — Usus pharmaceuticus multiplex, Constituens est et Corrigens et plurimarum compositionum Basis, ut: Syruporum, Conservarum, Confectionum et Conditorum, Morsulorum, Trochiscorum, Pastarum, Elaeosaccharorum, Electuariorum cet.

SACCHARUM GRUMOSUM seu MICACEUM. Krümelzucker. *Sucre mielleux.* — Ex pluribus succis seu liquoribus saccharinis eodem modo ac praecedens parari potest; v. g. ex Succo Uvarum, Saccharum Uvarum, Traubenzucker, ex Melle, Saccharum Mellis, Honigzucker cet.; non minus et artificialiter parari potest ex Amylo (p. 6.) vel partibus plantarum fibrosis, scope, papyro, acidi sulphurici et aquae ope (v. pars posterior). Massam exhibet granuloso-verrucosam, ex crystallis acicularibus minutissimis, cohaerentibus constantem, albam vel flavescentem, mollem, facilem tritu; sapore minus dulci, quam praecedentis, ceterum similibus praeditum proprietatibus, minus facile autem solutu in aqua, uti et in spiritu vini. - *Part. const.* Carbonei 12, Hydrogenii 22 et Oxygenii 12 p. M. — *Vis* et *Usus:* praecedentium. Apud nos autem in pharmacopoliis vix prostat.

SACCHARUM LACTIS. Milchzucker. *Sucre de Lait.*

Synon.: Saccharum Lactis Bartoleti, Sal Lactis, Milchsalz.

Paratur praecipue in Helvetia e Sero Lactis vaccini recen-

tis, dulcis, dum lac cogitur et separato caseo (p. 27.) evaporatur. — Prostat in crustis densis vel massis cylindricis crystallinis cohaerentibus prismatum tetragonorum, albis, subdiaphanis, saccharo communi durioribus, Saccharum Lactis crystallisatum, Krystallisirter Milchzucker, vel in panibus compactis, pulverulentis, Saccharum Lactis inspissatum, Eingedickter Milchzucker. Sapore minus dulci, quam Sacchari communis, simul subterreo, inter manducandum frendens, minus solubile in aqua et vix solubile in alcohole vini. — *Part. const.*: Carbonei 12, Hydrogenii 24 et Oxygenii 12 p. M. Ceterum iisdem praeditum proprietatibus ac Saccharum commune, nisi quod solutio aquosa cum fermento mixta non immutetur et cum acido nitri coctum praeter acidum oxalicum etiam acidum mucosum praebeat. — *Vis*: nutriens, diluens, demulcens, temperans, leniter laxans.

Sit album, inodorum, grate dulce, in 4 aquae partibus temperatura ordinaria penitus solubile; sordidum autem vel rancidum omnino rejiciatur.

Usus: In pulvere, solutione aquosa. Ad parandum Serum artificiale; pluribus compositionibus tanquam Constituens inservit.

SACCHARUM LIQUIDUM seu Mucosum, v. infra Syrupus.

† SACCHARUM SATURNI. Bleizucker. *Sucre de Saturne.*

Synon.: Saccharum Plumbi, Sal Plumbi seu Saturni, Dulcos seu Mel Saturni, Plumbum aceticum venale, Plumbum acetatum seu acetosum, Acetas Plumbi seu plumbicus, Acetas plumbicus acidulus, Cerussa acetata. Neutrales oder säuerliches essigsaures Bleioxyd, Bleiacetat, essigsaures Bleiweiß. *Sucre de Plomb, Acetate de Plomb, Sel de Saturne* ou *de Plomb.*

Paratur in officinis chemicis dissolutione Plumbi (p. 208.) seu Massicot (p. 31.), Lithargyrii (p. 175) aut Cerussae (p. 31.) in aceto destillato vel concentrato (aceto ligni depurato; v. pars posterior) in excessu et evaporatione solutionem claram ad crystallisationis momentum. — Crystallos exhibet parvas prismaticas, decolores vel subflavescentes (impurioris) pellucidas, nitentes, recte rhombicas, planis duobus exacutas vel aciculares; sapore nauseoso-dulci, subacerbo, colorem coeruleum laccae musicae paullum in rubrum immutat. — *Part. const.* Acidi acetici 1, Plumbi oxydati 1 et Aquae 3 p. M.; aëri sicco expositae subfatiscunt, leni igne liquantur et aquam amittunt; igne fortiori sal decomponitur et destillatione sicca praecipue Spiritus Aceti elicitur, facile solvitur in aqua; solubile etiam in alcohole vini; (de ceteris salium plumbi proprietatibus conf. Plumbum p. 209.). — *Vis*: adstringens, exsiccans, discutiens, interne ob-

struens, sensibilitatem minuens, facile nociva, colicam saturninam et ipsam mortem efficiens.

Sit sal album, facile totum solubile in aqua, addita solutione acidi sulphurici vel acidi hydrothionici in excessu omnes partes fixae praecipitentur, caloris ope vapores rutilantes non emittat.

Usus: Interne in pulvere vel solutum, in minima dosi cautissime; usus internus magnopere moderandus; externe in aqua solutum. — *Praep.:* Acetum Saturni (Extractum Saturni), Acetum concentratum et radicale, Naphtha Aceti; additur aliis quoque compositionibus.

SAGAPENUM seu SAGAPOENUM, Gummi Sagapenum, Serapinum. Sagapen- oder Serapin-Gummi oder Gummiharz. *Gomme Serapin* ou *Seraphique.* — Succus lacteus et aëre induratus Ferulae cujusdam speciei Persiae, Mediae aliarumque orientalium regionum, qui eodem modo atque Asa foetida (p. 10.) obtinetur. — Prostat in lacrymis vel granis irregularibus, plus minus conglutinatis, externe rubro-flavescentibus, intus pallidioribus, subdiaphanis, aut in massis obscure fuscis, impellucidis, plus minus sordibus intermixtis; consistentia est Asae foetidae, plus minus glutinans, odore simili alliaceo sed multo mitiori, et sapore nauseoso-amaro, acri-gutturali; ceterum similibus praeditum proprietatibus atque Asa foetida, et *Part. const. praev.* easdem, minus autem Olei aetherei. — *Vis:* resolvens, attenuans, diuretica, antihysterica, Asae foetidae et Galbani similis. — *Usus:* Idem. — Hodie vero raro adhibetur.

SAGO seu SAGU, Zagoe, Sego, Faecula Sagu, Grana Sagu, Farina Cycae. Sago, Sagomehl, Sagokörner. *Sagu.* — Paratur ex Medulla caudicis *Sagi fariniferae* LAM., *Sagi Rumphi* W., *Sagi Raphiae* LAM., e cl. Monoecia. ord. Hexandria, fam. Palmarum, aliarumque Palmarum tropicarum et subtropicarum, uti et *Cycadis circinalis* L., *Cycadis revolutae* THUNB. et aliarum Cycadis et Zamiae specierum, e cl. Dioecia, ord. Polyandria, fam. Cycadearum, arborum palmiformium Indiae orientalis et Africae, uti et aliarum plantarum Faecula. — Granula refert vel irregularia, nodoso-tuberculosa seu glebulas albas, piperis ad pisi magnitudinem, subdiaphanas, Sago albus, weiße Sago, *Sago blanc*, qui dicitur, vel in granulis minoribus globosis prostat, Hordei perlati (p. 161.) adspectu, pallide rufescentibus, opacis, subpulverulentibus, Sago ruber seu fulvus, rother oder brauner Sago, *Sago rouge*, qui nominatur. Sago durus est, difficilis tritu; inodorus et insipidus; in aqua calida intumescit, emollit, sed partim tantum solvitur mucilaginemque praebet. — Est Amylum (p. 6.) caloris ope quodammodo ex parte in Amydinum alteratum. — *Vis:* nutriens, demulcens. — *Usus:* diaeteticus. — *Praep.:* Gelatina, Jusculum Sago, aegrotis, praecipue phthisicis, reconvalescentibus caducis, passim commendatur. — Sago albus ex Faecula Solani tuberosi, Kartoffelsago, globulos exhibet minutissimos, laeves, aequales; pari modo adhibetur. Sago mucidus vel ab insectis corrosus rejiciatur.

SAL ACETOSELLAE seu ACETOSAE, Oxalium, Kali bi-oxalicum, Kali oxalicum acidum, Bioxalas Kali seu kalicus sive Potassae, Superoxalas seu Hyperoxalas kalicus seu Potassae sive Lixivae, Sal oxalicum. Sauerkleesalz, doppelt kleesaures Kali, saures sauerkleesaures Kali, saures Kali-Oxalat, oder saures Oxalat der Pottasche, Kalidoppeloxalat, zuckersaures vegetabilisches Alkali, Zuckerweinstein. *Sel d'Oseille, Binoxalate de Potasse, Suroxalate de Protoxyde de Potassium.* — Paratur in officinis peculiaribus, praecipue ex Succo recenti expresso Oxalidis Acetosellae L., Oxalidis strictae L. et Oxalidis corniculatae L. (p. 90.), passimque Rumicis Acetosae L., vel Rumicis Acetosellae L. (p. 90.), depurando et evaporando ad crystallisationem usque. Parari quoque potest ex acido oxalico cum kali vel kali oxalico neutro (v. pars posterior). — Crystallos exhibet albas, subdiaphanas, oblique rhombicas, sapore acerbo acido, aëris aditu immutabiles. — *Part. const.:* Acidi oxalici 2, Kali 1 et Aquae 2 p. M. Difficile est solutu in aqua; temperatura ordinaria 40 et in puncto ebullitionis 6 requirit partes, vix solubilis in alcohole vini; de reliquis proprietatibus conf. Salia oxalica universe in Acido oxalico, parte posteriori. — *Vis:* temperans, refrigerans, majori dosi facile damnifera, immo lethalis. — *Usus:* In pulvere et solutione, raro pro medicamento adhibe-

tur. — *Praep.:* Acidum oxalicum, Pulvis Nitri oxalici. Additur aliis quoque compositionibus. Praecipue autem ut reagens et ad delendas maculas atramentosas adhibetur. — Cave ne sit crystallis Tartari (v. infra) vel Acido Tartari seu Kali bisulphurico v. pars posterior) adulteratum. Sal purum igne facile funditur et nullum odorem empyreumaticum emittit et Kali carbonicum purum, vix coloratum, relinquit; residuum nigrum carbonosum Tartarum vel Acidum tartaricum, et residuum, quod solutum in aqua, cum sale quodam barytico praecipitatum praebet in acidis insolubile, Kali sulphuricum indicat.

SAL AMARUM. Bittersalz. *Sel amère.*

Synon.: Magnesia sulphurica, Sulphas Magnesiae seu magnesicus, Magnesia vitriolata, Talcosa sulphurica, Sal anglicum, Sal Sedlicense, seu Saidschützense, Sal Ebsomense seu Ebshamense, Sal catharticum. Schwefelsaure Magnesia, oder Bittererde, schwefelsaure Talkerde, Magnesiasulphat, englisch Salz, Ebsamer-Salz, Seidlitzer oder Saidschützer Bittersalz, Laxiersalz. *Sulphate de Magnesie, Magnesie sulphatée, Sel cathartique* ou *purgative amère, Sel d'Ebsom, Sel de Sedlitz* ou *de Saidschutz, Sel de Canal.*

Paratur in officinis chemicis vel evaparatione ex Aquis salinis amaris (p. 8.), vel ex muria marina aut salium muriaticorum decompositione cum vitriolo martis cet., vel tostione miscellae ex fossili quodam talcoso cum pyrite ferri et elixivatione et evaporatione ad crystallisationis momentum, tum lixivium quocumque modo obtentum inter refrigerandum versatur, ut crystalli parvae enascant. — Crystallos exhibet recte et obtuse rhombicas, decolores, pellucidas, plerumque autem in commercio prostat in crystallis minutis acicularibus, sapore ingrate amaro, subsalso, refrigerante. Constat ex Magnesia 1, Acidi sulphurici 1 et Aquae 7 p. M.; si purum, aëre fatiscit, plerumque autem venale humorem ex aëre attrahit, leni calore liquescit et aquam amittit; sal residuum anydrum autem fortissimo calore non decomponitur, facile est solutu in aqua, insolubile in spiritu vini; (de ceteris proprietatibus universalibus conf. Magnesia usta parte posteriori). — *Vis:* refrigerans, laxans, diuretica.

Sit sal album, aëre vix humescens. Cave ne sit Natro sulphurico adulteratum, solutio aquosa concentrata calida, additis alcaliis carbonicis praecipitato albo spissescat, solutio frigida autem alcalium bicarbonicorum ope non turbetur, aqua autem barytae totam praecipitet; nec acidi hydrothionici, nec liquoris kali ferro-hydrocyanici ope coloretur.

Usus: In solutione, mixturis admiscetur; cave ne praescribas cum alcaliis aut aliis materiis, quae salia sulphurica decomponunt (p. 201.). — *Praep.:* Magnesia alba, Aqua amara artificialis; additur aliis quoque compositionibus laxativis.

SAL AMMONIACUM. Salmiak. *Sel Ammoniac.*

Synon.: Sal Armoniacum, Ammonium muriaticum, Ammonia muriata, Murias Ammoniae, Chloretum Ammonii, Hydrochloras Ammonii seu ammoniacus, Ammonium salitum seu muriatosum, Alcali volatile salitum seu muriaticum. Salzsaures Ammoniak, Chlorammonium, Ammoniakchlorat, salzsaures flüchtiges Alkali, kochsalzsaures Ammonium. *Sel Armoniac, Hydrochlorate d'Ammoniaque, Muriate d'Ammoniaque.*

Paratur in officinis chemicis vario modo. In Aegypto ex

fuligine fimi Camelorum, in Europa plerumque decompositione Salis Cornu Cervi (p. 301.) et Spiritus Cornu Cervi impuri (v. infra) cum acido vitrioli vel vitriolo martis, gypso (v. Alabastr. p. 2.), et nova decompositione ammonii sulphurici obtenti salis culinaris ope, denique sublimatione, aut saturando spiritum urinae (v. pars poster.) cum acido salis et crystallisandum lixivium. — Crystallos refert minutissimas regulariter octaedricas, plerumque plumose aggregatas, decolores; Sublimatum autem prostat in placentis magnis concavo-convexis, subdiaphanis, duris, structura fibrosa; sapore ingrato pungente salino, urinoso; immutabile est in aëre, vel ex aëre perhumido paullum tantum aquae attrahit; caloris ope sine mutatione avolat.— *Part. const.:* Ammoniaci et Acidi Salis $\overline{aa}$ paria p. Mixt.; facile est solutu in aqua simulque frigorem efficiens, aegre autem in spiritu vini fortiori; (de ceteris proprietatibus universalibus conf. Spirit. Salis Ammoniaci caustic. parte posteriori.) — *Vis:* refrigerans, expectorans et diaphoretica, diuretica.

Sit sal album siccum, facile caloris ope volatile. Solutio aquosa acido hydrothionico non coloretur et addito chloro non colorem luteum seu rubro-fuscum assumat, qui ab aethere admixto et cum eo conquassato excipiatur, quod Bromum indicat.

Usus: Et interne et externe in solutione, in pilulis; cave ne praescribas cum alcalibus fixis vel salibus Sal ammoniacum decomponentibus. — *Praep.:* Flores Salis Ammoniaci simplices et martiales, Spiritus Salis Ammoniaci causticus et aquosus, Sal Alcali volatile siccum. Admiscetur fomentationibus frigidis Schmuckeri et aliis compositionibus.

SAL COMMUNE. Gemeines Salz. *Sel commun.*

Synon.: Natrium chloratum, Chloretum seu Chloruretum Natrii, Natrum muriaticum seu hydrochloricum, Soda muriatica seu salita, Muria fontana, Murias seu Hydrochloras natricus, Murias Sodae, Sal culinare, Sal Gemmae, Sal marinum. Chlornatrium, Chlorsodium, Natrumchlorat, Sodamuriat, salzsaures Natron, salzsaure Soda, salzsaures Mineralalkali, Kochsalz, Küchensalz, Brunnensalz, Sohlensalz, Meersalz, Steinsalz. *Chlorure de Sodium, Hydrochlorate* ou *Muriate de Soude*, *Soude muriatée*, *Sel de cuisine* ou *dé Gabelle*, *Sel Gemme* ou *marin*, *Sel muriatique.*

Reperitur in stratis salariis, saepius ingentibus, in omnibus fere terrae regionibus summopere dispersum, porro solutum in aqua, fontes salinos formans (v. Aquae muriaticae p. 8.), uti et in mari. — Paratur plerumque in officinis salinariis per evaporationem muriae vel aquarum marinarum. Ceterum etiam ipsum sal concretum effoditur. — Crystallos exhibet decolores, limpidas, cubicas, Sal Gemmae, Steinsalz (partim), vel cavas, scalares, quadrato-infundibiliformes, Sal culinare, Kochsalz, cet., ex muria caloris ope per evaporationem obtentum (impurius est, colore sordide rufescente, Sal marinum, Meersalz, Sonnensalz, ex aqua marina evaporatione spontanea paratum); sapore est pure

salso, aëre immutabile, plerumque autem sal culinare paullum aquae ex aëre humido attrahit, propter admixta salium deliquescentium vestigia; igne rubro-candente facile funditur, sed fortissimo tantum igne in auras abit, facile est solutu in aqua et quidem pariter in frigida atque in calida, difficilius in spiritu vini. — Constat ex Natrii 1 et Chlori 2 pond. Mixt. (De ceteris proprietatibus universalibus conf. Acidum Salis in parte posteriori. — *Vis:* incitans, digestiva, aperiens, refrigerans.

Sit sal album, facile et penitus solubile in 3 aquae partibus; solutio additis alcaliis carbonicis non turbetur et acido hydrothionico minime coloretur. Jodum detegitur chlori ope et amylo colorem coeruleum in solutione efficiente.

Usus: diaeteticus cet. notissimus. Ut medicamentum per se raro adhibetur, ut refrigerans, in haemoptysi cet., clysteribus passim admiscetur et externe in balneis, ad fomentationes frigidas usurpatur. — *Praep.:* Acidum Salis, Chlorum (seu Acidum muriaticum oxygenatum) Spiritus Salis dulcis, Sal mirabile Glauberi, Soda cet. Additur aliis quoque compositionibus.

SAL CORNU CERVI. Hirschhornsalz. *Sel de Corne de Cerf.*

Synon.: Sal volatile Cornu Cervi, Ammonium carbonicum pyro-oleosum, Ammonium subcarbonicum pyro-oleosum, Carbonas Ammoniae seu ammonicus pyro-oleosus. Flüchtiges Hirschhornsalz, brenzlich-öliges kohlensaures Ammoniak oder flüchtiges Alkali. *Carbonate d'Ammoniaque pyro-huileux.*

Paratur plerumque in officinis chemicis destillatione Cornu Cervi vel aliarum animalium Ossium (p. 41.) et partium cartilaginearum, una cum Spiritu Cornu Cervi (v. infra) et Oleo Cornu Cervi (p. 193). Sal ab oleo et liquore aquoso segregatum sublimatione iterata cum Bolo alba (p. 21.), Creta vel Carbone mixta depurandum et in vasis optime clausis asservandum. — Crustas sic exhibet albas, tempore flavescentes, leves, poroso-fibrosas, crystallinas; subdiaphanas, friabiles; odore penetrante ammoniacali simulque empyreumatico-oleoso, Olei animalis Dipelli (v. pars posterior) simili uti et sapore. Ceterum sese habet uti Sal volatile Salis Ammoniaci (v. in part. posteriori suo loco). Miscella est Ammoniaci carbonici cum Oleo animali passimque vestigiis Ammoniaci borussici. — *Vis:* excitans, nervina, antispasmodica, diaphoretica, absorbens.

Sit sal album aut flavescens, non fuscum, odoris penetrantis supra memorati. Cave ne sit artefactum ex Ammoniaco carbonico puro et Oleo Cornu Cervi (v. pars posterior.).

Usus: In pilulis, cavendum nec addantur materiae acidae vel alcalinae fixae, quae sal decomponunt, melius in solutione aquosa. Additur aliis quoque compositionibus. Praecipue ad parandum Sal Ammoniacum (v. supra) inservit.

SAL GEMMAE, Steinsalz, v. Sal commune (p. 300.).
SAL MARINUM, Meersalz, v. Sal commune (p. 300.).

SAL MIRABILE GLAUBERI. Glaubers Wundersalz *Sel admirable de Glauber.*

Synon.: Sal Glauberi, Sal Fridericianum, Sal catharticum Glauberi, Natrum sulphuricum, Sulphas Natri seu natricus, Sulphas Sodae, Protosulphas Protoxydi Sodii, Soda sulphurica seu vitriolata, Alkali minerale vitriolicum, Vitriolum Sodae. Glaubersalz, Fridrichsalz, schwefelsaures Natron, Natronsulphat oder Sodasulphat, schwefelsaures Mineralalkali, Natron- oder Soda-Vitriol. *Sel de Glauber, Sulphate de Soude, Soude sulfatée, Vitriol de Soude.*

Obtinetur in officinis chemicis ex parergo in conficiendo Sale Ammoniaco, vel Magnesia alba cum Natro (p. 176.), uti et ex residuo coctionis Salis communis cet. Parari etiam potest a pharmacopola ipso ex residuo destillationis Acidi Salis (v. pars posterior) et in aliis operationibus chemicis, ubi natrum cum acido sulphurico conjungitur. Iterata solutione et, si necesse est, saturatione lixivii cum acido sulphurico vel natro et crystallisatione lege artis depurandum. — Crystallos refert speciosas hyalinas, decolores, prismaticas, inaequaliter hexagonales, in longitudinem striatas, planis 2, 4 et 6 exacutas, aliasque figuras, ex prismate oblique rhombico derivandas (si solutio in crystallisationis momento movetur, crystallos exhibet parvas aciculares, Salis amari similes). Neutrum est; sapore refrigerante amariusculo-salso. Constat ex Natri 1, Acidi sulphurici 1 et Aquae 10 p. M. (Sal Glauberi crystallisatum, Natrum sulphuricum crystallisatum, Sulphas natricus cum aqua, Krystallisirtes Glaubersalz cet.). In aëre sicco facile dilabitur, pulveremque praebet album, levem, anydrum (Sal Glauberi seu Natrum sulphuricum siccatum, dilapsum, Zerfallenes Glaubersalz cet.), qui igne fortissimo funditur, sine decompositione. Facile est solutu in aqua, insolubile in spiritu vini (de ceteris proprietatibus universalibus v. Oleum Vitrioli (p. 201.) et Lixivium causticum minerale in parte posteriori. — *Vis:* laxans, diuretica, refrigerans.

Sit sal plane decolor, aëre non humescens, facile et penitus solubile temperatura ordinaria in 2—3 aquae partibus; solutio neutra, additis alcaliis puris fixis vel carbonicis vel solutione argenti sulphurici non turbetur, aut cum prioribus vapores ammoniacales spargat et acido hydrothionico minime coloretur.

Usus: In solutione, cave ne salia admisceantur cum acido sulphurico praecipitatum praebentia; externe ad fomentationes frigidas. Additur Aquae laxativae et aliis compositionibus purgantibus.

SAL SODAE EMALE. Käufliches Sodasalz. *Sel de Soude cru.*

Synon.: Natrum carbonicum emale, Carbonas natricus seu Natri emalis, Subcarbonas Sodae emalis, Alkali minerale emale, Soda crystallisata. Gewöhnliches käufliches Sodasalz oder Mineralalkali. *Mephite de Soude, Craie de Soude.*

Paratur plerumque in officinis chemicis elixivatione Sodae (v. infra) et crystallisatione lixiviae lege artis. Parari quoque potest pari modo a pharmacopola ipso. — Frusta plerumque exhibet crystallina cum crystallis integris oblique rhombicis et inde derivandis intermixta, alba, pellucida, saporis alcalini refrigerantis, in aëre fatiscentia; facile solubilia in aqua, insolubilia in spiritu vini. — Est Natrum carbonicum crystallisatum saepius cum paullo Salis mirabilis Glauberi, passimque etiam Salis culinaris intermixtum (de reliquis proprietatibus Salis puri et *Part. const.* v. pars posterior.).

Sit sal album alcalinum, facile fatiscens, non nimis salibus supra memoratis vel natro hydrothionico intermixtum, quod detegitur ope barytae muriaticae, argenti nitrici et odore, si cum acido sulphurico in excessu commiscetur.

Usus: Ad parandum Sal depuratum.

SAL THERMARUM CAROLINARUM, Sal Carolinense. Karlsbadersalz. *Sel Carolinense, Sel thermale.* — Paratur evaporatione Aquae Thermarum Carolinarum (p. 8.). Miscella est ex Natro sulphurico et Natro carbonico, quae et artificialiter parari potest. — Ad parandam Aquam Thermarum Carolinarum artificialem inservit.

Aliae quoque Aquae minerales passim evaporantur, ut sal proprium enascatur, quod hinc inde pro medicamento usurpatur.

SANDARACA. Sandarak. *Sandaraque.*

Synon.: Sandraca, Sandaracha Arabum, Gummi seu Resina Sandarac, Gummi seu Resina Juniperi, Vernix sicca. Sandarach, Sandrach, Wachholderharz. *Gomme de Genèvrier.*

Thujae articulatae VAHL., e cl. Monoecia, ord. Monadelphia, fam. Coniferarum, trib. Cupressinearum, fruticis seu arboris mediocris sempervirentis Africae borealis, Resina sponte ex cortice exsudans et aëre indurescens. — Lacrymas exhibet oblongas, rotundatas, vel subglobosas, aut irregulares, 1—2 lineas crassas et 2—12 lineas longas, passim in glebulas majores concretas, colore pallide flavo, subfuscescente, externe opacas, subpulverulentas vel parum nitentes, plus minus subdiaphanas, duras, fragiles, fractura splendente pellucida, triturando pulverem album praebentes. — Temperatura ordinaria fere inodora, calefacta autem nidorem grate balsamicum subjuniperinum spargens, insipida; inter manducandum frangitur, sed non emollit; igne facile liquatur et cum flamma splendente comburitur; in aqua non, maxima ex parte autem solubilis in spiritu vini, lente solubilis in oleo terebinthinae. Miscella est ex Resina duorum

generum cum pauxillo Olei aetherei. — *Vis:* irritans, resolvens, discutiens.

Sit Sandaraca pura, pallide flava, subdiaphana, dura; fusca autem, plane opaca, quisquiliis intermixta, rejiciatur. Cave confundas cum Mastiche (p. 129.) vel Resina alba vetusta (p. 293.).

Usus: Interne rarissime, in pilulis; plerumque ad suffitus inservit. Additur Pulveri fumali et Candelis fumalibus, uti et variis emplastris et unguentis. — Ad parandum vernicem quoque inservit.

SANDARACA GERMANICA, Resina Juniperi communis. Deutscher Sandarak, Wachholderharz. *Sandarac d'Allemagne.* — Hoc nomine Resina prostat ex truncis annosioribus Juniperi communis (v. Baccae p. 15.) hinc inde exsudans. Granula refert flavescentia, odore, si calefiunt, juniperino. Apud nos non adhibetur. — Nomine Sandarac resina quoque intelligitur, quae in acervis tegentibus formicas, sub Junipero invenitur. — Glebulas exhibet flavescentes, odore terebinthinaceo. Nihil aliud esse nisi Resinam Pini, veri simile est.

SANGUIS DRACONIS, Gummi seu Resina Sanguinis Draconis, Gummi sanguineum seu Draconis. Drachenblut. *Sang de Dragon.* Succus ex fructibus Calami Draconis W., Calami Rotang W., Calami veri Lour. Calami rudenti Lour., e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Palmarum, palmarum scandentium Indiae orientalis, uti ex trunco Dracaenae Draconis L. (Cl. cet. v. Rad. Asparagi p. 218.), arboris pariter Indiae orientalis et Madeirae, porro Pterocarpi Draconis L. (Cl. cet. v Rad. Liquiritiae p. 257.), aliarumque Pterocarpi specierum, arborum Indiae occidentalis exsudans et aëre indurescens. — Variae sunt in commercio species: 1) Sanguis Draconis in baculis, Drachenblut in Stückchen oder Stangen, *Sang de Dragon en bâtons;* baculos exhibet 1—1½ pedales, vix digitum crassos, plerumque tenuiores, palmarum frondibus, ramulis calami fissis circumflexa obvolutos, colore saturate fusco-rubro, in violaceum ducente, opacos, fragilissimos, triturando pulverem pulchre cinnabárinum praebentes; inodorus est et fere insipidus, leni igne liquescit, et odorem tunc spargit benzoinum. 2) Sanguis Draconis in lacrymis, Drachenblut in Thränen, *Sang de Dragon en larmes;* in folliculis prostat ovoideis, nucis juglandis circiter magnitudine, e frondibus palmarum convolutis lineae margaritarum instar connexis, frusta includentibus forma olivae, laevia, obscure fusco-rubra. 3) Sanguis Draconis in granis, Drachenblut in Körnern, *Sang de Dragon en grains.* Granula exhibet irregularia vel rotundata subangulosa, fusco-rubra, subpulverulenta, piperis ad cerasi magnitudine, fragilia, passim fragmentis fructus Calami intermixta. Ceterum hae species uti ea, quam primum descripsimus, sese habent. 4) Sanguis Draconis in massis verus, ächtes Drachenblut in Massen, Drachenblut von Madeira, kanarisches Drachenblut, *Sang de Dragon en masses veritable* (qui *Dracaena Dracone* obtinetur); frusta magna amorpha, fusco-rubra, subviolacea, subnitentia, impellucida, calore minus facile liquatur, magnopere spumescit et nidorem spargit pungentem, acidi benzoici similem, tussim excitantem. 5) Sanguis Draconis de Carthagena, amerikanisches oder Carthagenisches Drachenblut, *Sang de Dragon des Indes occidentales* (Ex *Pterocarpo Dracone* derivatur). In frustis prostat 12—14-pollicaribus, uno latere acutangulis, cyrrhis Cissi et foliis partim obvolutis, colore fusco-rubro, tritus ductum pulchre cinnabarinum assumens, igne facile liquefiens et odorem subpetroselininum emittens. Ceterum et haec species uti praecedentes sese habet. — Sanguis Draconis insolubilis est in aqua, facilis autem solutu in spiritu vini, difficilior in aethere et oleis; solvitur quoque in liquoribus alcalinis causticis aquosis cum colore violaceo. — Est Principium colorans resinosum sui generis (Draconinum) partim cum Acido benzoico et aliis materiis mixtum. Ceterum et inter se discrepant species secundum plantas, de quibus oblinetur. — *Vis:* adstringens (?), siccans; ex proprietatibus autem descriptis patet, sanguinem draconis hodiernum vix vim adstringentem possidere posse. — *Usus:* In pulvere, interne hodie raro, dentifriciis admiscetur. — *Praep.:* Tinctura. Addebatur olim variis compositionibus, ut: Pulveri ad Casum, Pulveri stiptico, Balsamo Locatelli, Emplastro roboranti, Empl. stiptico, Empl. pro Herniosis cet. — Sit purus, saturate fusco-ruber, pulverem pulchre cinnabarinum praebens, facile et penitus solubilis in alcohole vini; hodie Sanguis Draconis non nisi ex Calami speciebus prostat, optimus in baculis supra descriptus; massae decolores, sordide fuscae, pulverem pallide rufescentem praebentes, vel aliis resinis et quisquiliis intermixtae, in spiritu vini partim tantum solubiles, rejiciantur.

SANGUISUGA v. Hirudines (p. 160.).

SAPO VENETUS ALBUS. Weiße venetianische Seife. *Savon de Venice blanc.*

Synon.: Sapo alicantinus, hispanicus seu aloënsis, Sapo albus seu durus. Alicantische, spanische Seife. *Savon d'Espagne.*

Paratur in Europa meridionali e lixivio Sodae caustico et Oleo Olivarum communi (p. 196.) coctione. — Prostat in sectis parallelepipedis, oblongis, solidis, tactu submollibus, subtenacibus, colore albido; odoris proprii saponacei uti et saporis; aëri expositus non humescit, immo aëre sicco magis indurescit, ita ut in pulverem album redigi possit; facilis est solutu in aqua pura uti in spiritu vini (de reliquis proprietatibus conf. Sapo medicatus parte posteriori).— *Vis:* irritans, solvens, aperiens, antacida, mundificans.

Sit et intus albus, solidus, facile solubilis in aqua et spiritu vini; sapo adeo mollis, pinguis, rancidus, ex parte tantum solubilis vel intus nigrescens, aut artificialiter coloratus, removeatur.

Usus: Non nisi externe adhibendus, ad lotiones cet.; additur emplastris et unguentis. — *Praep.:* Spiritus Saponis, Emplastrum saponatum. Additur aliis quoque compositionibus.

SAPO DOMESTICUS seu NOSTRAS, Sapo sebaceus. Hausseife, gemeine Seife, Talgseife. *Savon domestique.*— Paratur ab opificibus saponariis coctione lixivii saponarii plerumque kalini (Meisterlauge) et Sebi et decompositione saponis kalini salis culinaris ope.— Massa praecedenti simillima, sed per tempus durior fit, colore sordide albido, flavescente-fusco; ceterum iisdem gaudet proprietatibus; solutio spirituosa autem, non admodum tenuis, refrigerando gelatinae instar indurescit. — *Vis* et *Usus:* Uti praecedentis. Novissimis temporibus sapo rasus praecipue externe in cutis ambustionibus commendatur. — *Praep.:* Opodeldoc.

SAPO VIRIDIS, Sapo niger, Sapo mollis seu kalinus. Grüne oder schwarze Seife, Schmierseife, Kaliseife. *Savon noir.* — Paratur praecipue in regionibus septentrionalibus coctione lixivii saponarii kalini et olei cannabis vel adipis piscini (Axungia Ceti p. 13).— Massam exhibet mollem semifluidam, lubricam, tenacem, opacum, colore sordide viridi vel fusco-nigrescente; odore foetido rancido, uti et sapor , simul caustico. Aëri expositus non indurescit; facilis solutu in aqua et spiritu vini (de ceteris proprietatibus conf. Sapo kalinus parte posteriori . — *Vis:* uti praecedentis, antipsorica. — *Usus:* praecedentis. Admiscetur unguentis psoricis cet.

SARCOCOLLA, Gummi Sarcocollae, Gluten Carnis. Sarkokolle, Fischleim. *Sarcocolle, Gomme Sarcocolle, Collechaire.* — *Penaeae mucronatae* L. et *Pen. Sarcocollae* L. (Cl. et ord. ut Rad. Rubiae tinctorum p. 274., fam.?), fruticum Prom. bonae Spei, Succus ex omnibus fere partibus exsudans et aëre indurescens. — Frustula exhibet subglobosa, piperis ad nucis juglandis magnitudine, nitentia, subpellucida, colore sub-flavescente et rufescente, rimoso-porosa, friabilia; inodora, sapore subirritante amariusculo et dulci, Liquiritiae (p. 257.) subsimili; difficilis solutu in aqua, magis solubilis in spiritu vini, insolubilis in aethere; calore aegre liquatur, intumescit, et cum flamma comburitur. Praecipue materiam organicam sui generis (Sarcocollinum) continet, quod constat ex Carbonei 57,15, Hydrogenii 8,34 et Oxygenii 34,51 partibus. — *Vis:* resolvens, pectoralis (?), adstringens (?), glutinans. — Olim in oculorum fluxionibus, albugine, nubeculis, lacte humano vel asinino macerata ut mundificans, vulnerarium cet. commendabatur. — *Praep.:* Tinctura. — Hodie apud nos vix adhibetur.

SATURNUS v. Plumbum (p. 206.)

SCAMMONIUM, Scammonia, Gummi seu Gummi-Resina Scammonii, Diacrydium. Scammonium, purgirender Windensaft. *Scammonée* ou *Ecammonée.* — Succus lacteus aëre induratus, qui ex diversis plantis obtinetur. Variae

enim sunt in commercio species. 1) **Scammonium Haleppense**, Scammonium von Aleppo, *Scammonée d'Alep*, quod optimum et solum pro medicamento usurpandum; ex radice resecta *Convolvuli Scammonii* L. (Cl. cet. v. Rad. Jalappae p. 250.), plantae perennis scandentis Asiae minoris, praecipue Syriae, Natoliae, colligitur. — Occurrit vel in testis (calebassis), plerumque autem in massis amorphis, compactis, cinereis, viridescentibus vel in colorem flavescentem aut rufescentem ducentibus, intus passim obscurioribus, fuscis, opacis, levibus, subporosis, friabilibus sed paullum subglutinantibus, fractura subnitente; triturando pulverem albide-griseum praebentibus; odore debili nauseoso, sapore primo miti, post nauseoso subviolaceo-gutturali; cum aqua tritum lac praebet sordide virescens; in spiritu vini quoque ex parte tantum solubile.— *Part. const. praev.*: Resina propria. — *Vis*: drastica, purgans, in majori dosi facile nociva, colicam, inflammationem cet. efficiens. 2) Scammonium de Smyrna, smyrnisches Scammonium, *Scammonée de Smyrne*, — Derivatur passim de *Periploca Secamone* L. (*Secamone Alpini* R. et SCH. — Cl. cet. v. Rad. Hirundinariae p. 248.). Frusta exhib t seu panes complanatos, rotundatos, fusco-nigros, praecedentis duriores, ponderosiores, sed magis insigniter porosos; odore debili mucido et sapore minus acri; inter masticandum stridet propter admixtam arenam. — *Part. const. praev.* et *Vis*: praecedentis, inferioris autem est pretii et impurior. 3) Scammonium antiochicum, antiochisches Scammonium, *Scammonée d'Antioche*. Frustula irregularia perforato-cariosa, fuscescentia vel griseo-fusca, opaca, subfarinosa, friabilia. Miscella esse videtur e Scammonio et farina aliisque quisquiliis. 4) Scammonium monspeliacum seu gallicum, Scammonium von Montpellier, französisches Scammonium, *Scammonée de Montpellier*. E *Cynancho monspeliaco* L. (Cl. cet. v. Rad. Hirundinariae p. 248.), planta perenni scandente Europae australis, paratur. Prostat in frustis seu placentis Scammonii smyrnei similibus, sed crassioribus et minoribus, penitus nigris, solidis, non porosis. — Aliae plantae convolvulaceae, ut: Convolvulus Brasiliensis L. (Conv. Pes Caprae), qui succum drasticum exhibet, nomine Potatoe Slip Scammoni notum, et asclepiadeae, succum praebent similem passim Scammonii nomen gerentem. — *Usus*: In pulvere, pilulis in parva dosi caute. — *Praep.*: Resina, Tinctura, Electuarium, Diacrydium sulphuratum, glycyrrhizatum, cydoniatum, rosatum; et pluribus aliis additur compositionibus, praecipue antiquioribus. — Sit Scammonium haleppense supra ut bonae notae descriptum, reliquae autem species heterogeneae, plerumque impurae, removeantur.

SCARABEUS CORNUTUS. Hirschkäfer. *Cerf volant*. — *Lucanus Cervus* L. Insectum coleopterorum indigenorum maximum, e fam. Scarabeorum, notissimum, praecipue in quercetis occurrens, obscure castaneum, nitens, antennis 10-articulatis, apice foliatis, maxillis superioribus maris maximis, curvatis, intus dentatis, furcatis, cornubus Cervi subsimilibus.— Olim Cornua quae dicuntur infantibus ut antifebrile cet. amuleti instar suspendi solebant. — *Praep.*: Oleum coctum. Hodie merito exolevit.

SCARABEUS MAJALIS seu STRIDULUS, Melolontha. Maykäfer *Hanneton*. — *Melolontha vulgaris*, (*Scarabeus Melolontha* L.). — Coleopterus notissimus (fam. praecedentis), rubro-fuscus, subtus niger, caudatus, thorace piloso, antennis 10-articulatis, apice foliaceo-flagellatis. — Olim ut medicamentum, in hydrophobia uti Meloë majalis (p. 180.) adhibebatur; pro aphrodisiaco quoque habetur. — *Vi* irritante, stimulante, ut Cantharides praeditum, veri est simile.— Hodie exolevit.

SCARABEUS PILULARIS. Roßkäfer. Mistkäfer. *Scarabée pilulaire*. — *Geotrupes Stercorarius* (*Scarabaeus Stercorarius* L. fam. praeced.) Coleopterus notissimus, in stercore, praecipue equino, vulgaris, superne niger, subtus violaceus, glaber, nitens, elytris punctato-sulcatis, antennis 11-articulatis, apice foliaceis. — Olim ut diureticum, in oculorum morbis cet. adhibebatur; ex longo inde tempore autem merito exolevit.

SCARABEUS UNCTUARIUS = Meloë majalis et proscarabaeus (p. 180.).

SCORPIONES. Skorpione oder Scorpione *Scorpions*. — *Scorpio europaeus* L. — Insectum apterum caudatum e fam. Scorpionum, Europae australis, Tyrolis cet. Cancri (p. 24.) subsimile, sed multo minus, 1/2 — 2 pollices longum, corpore oblongo, antice incrassato, postice in caudam pallidiorem, 6-articulatam attenuato, apice aculeo incurvo venenato instructam, 6-oculum, antennis carens, ejus loco palpis cheliferis magnis praeditum, pedibus 8 araneis flavescentibus; undique pilis sparsis setaceis praeditum.— Olim in pulvere, ut diureticum, diaphoreticum praescribebantur, hodie vix interne adhibentur. — *Praep.*: Oleum Scorpionum.

SEBESTENAE, Sebesten, Fructus Sebestenae, Myxae, Pruna Sebestenae, Jujubae nigrae. Sebesten, schwarze Brustbeeren oder Brustbeerlein. *Sebestes*. — *Cordiae Myxae* L. (Cl. cet. v. Rad. Consolidae majoris p. 233.), arboris Indiae orientalis, Arabiae, Aegypti, Fructus drupaceus, oblongo-ovatus, nigricans, pruni minoris adspectu, calyci repando indurato flavescenti insidens, pulpa fusca mucilaginosa, dulcissima, pyrenam 3—4-gonam, perduram includens. Siccatae prostant corrugatae, sub 3—4-gonae; saepius autem vetustae, ab insectis corrosae et calyce orbatae, quae rejiciendae.— Nonnunquam quoque pruna exsiccata eis substituuntur. — Olim pro demulcente, pectorali uti Jujubae (p. 162.) usurpabantur. Hodie apud nos vix adhibentur; supervacaneae quoque sunt. — Ejus loco etiam Cordiae Sebestenae L., fruticis seu arboris Indiae occidentalis Fructus similis colligitur.

SECALE, Semen Secalis seu Frumenti. Roggen, Korn. *Seigle*. — *Secalis Cerealis* L. (Fl. Bad. I. 276. — Cl. cet. v. Avena p. 12.), graminis annui cerealis notissimi ubique fere in regionibus temperatis culti, Fructus. — Caryopsis nuda, oblonga, tenuis, uno latere convexa, altero plana, externe laete fusca, setulosa, intus alba, farinosa; inodora et fere insipida. — *Part. const. praev.*: Amylum, Saccharum, Gummi et Materia glutinosa. — *Vis*: maxime nutriens, demulcens. — *Usus*: diaeteticus, notissimus.— *Praep.*: Farina (p. 59.), Furfur (p. 82.) et Fermentum panis (p. 59.).

†SECALE CORNUTUM, Clavus secalinus, Secale clavatum seu corniculare, Orga. Mutterkorn, Kornmutter, Mehlmutter, Afterkorn, Kornzapfen, Zapfenkorn, Vogelsporn. *Ergot*, *Seigle ergoté*, *Blé cornu*, *Clou à l'Ergot*. — Invenitur in spica *Secalis Cerealis* L., fructibus immaturis passim interpositum, quod sereno tempore colligendum, caute penitus siccandum et in vasis clausis loco sicco asservandum. — Grana exhibet elongata, ½ — 1½ pollicem longa et 1 — 3 lineas crassa, subcylindrico-trigona, obtusa, vel apice attenuata, plerumque plus minus incurva, uno latere sulco longitudinali (passim 2 — 3) exarata, passimque irregulariter rimosa, colore obscure griseo-fusco seu nigrescente, in violaceum ducente, opaca, subpruinosa, in apice passim capitulo sordide flavescente; si humectatur sub microscopico tunicam irregulariter plicatam gelatinosam exhibente praedita, intus albida et laete cinereo-fuscescentia, si recentia subspongiosa, mollia; siccata densa, fragilia, si humida paullum flexilia, triturando pulverem rufescente-cinereum praebentia; inodora, si vero teruntur odorem nauseosum mucidum emittentia, sapore debili, nauseoso, amariusculo et dulciusculo, post-gutturali. Est Ovarium Secalis degeneratum per Fungum parasiticum, Sphaceliam Segetum, apici passim insidentem (v. supra). — *Part. const. praev.*: Oleum pingue proprium, Funginum, Ergotinum, Osmazomium vegetabile. — *Vis*: specifice uteri gravidi vel distenti ciens contractiones, emmenagoga, narcotica (?), facile nociva, raphaniam efficiens adeoque lethalis. — *Usus*: In pulvere, parva dosi, caute, in infuso et decocto. — Sit recens, densum, turgidum; vetustum autem, mucidum, corrugatum, decolor, omnino rejiciatur.

SEDUM ACRE v. Herba (p. 153.).

SEMEN ABELMOSCHI, Alcaeae aegyptiacae seu Ketmiae aegyptiacae, Grana seu Semina moschata, Grana Abelmoschi, Abelmoschus, Semen Bamiae moschatae. Bisam Körner oder Samen, Abelmoschsamen. *Grains de Musc*, *Semence* ou *Grains d'Ambrette*. — *Hibisci Abelmoschi* L. (Cl. cet. v. Rad. Althreae p. 212.), fruticis Aegypti, utriusque Indiae Semen. — Granula exhibet reniformia, subcompressa, lentis fere magnitudine, griseo-fusca, eleganter concentrice striata, hilo nigrescente, perdura, intus albida; odore, praecipue si triturantur vel calefiunt, forti, grate aromatico, Moschi (p. 183.) simili et sapore subaromatico, oleoso. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum et Oleum pingue — *Vis*: excitans, nervina, aphrodisiaca (?). — *Usus*: Potui Coffeae admiscentur; praecipue autem ad suffitum, odoramenta inserviunt. — Oleum pingue expressum specificum contra morsum serpentum censetur. Apud nos hodie vix adhibetur.

SEMEN ACETOSAE. Sauerampfersamen. *Semence d'Oseille*. — *Rumicis Acetosae* L. (v. Herba p. 90.) Fructus. — Caryopsis parva, 3-gona, punicea, splendens, valvulis integerrimis, granulis destitutis, tecta; sapore adstringente. — Olim pro alexipharmaco habebatur et nonnullis compositionibus addebatur. — Hodie exolevit.

SEMEN ACMELLAE. Acmellen- oder Fleckblumen-Samen. *Semence d'Acmelle*. — *Spilanthi Acmellae* L. (v. Herb. p. 90.) Fructus. — Achaena exigua, compressa, alata, pappo bidentato instructa, acris. — *Vis* et *Usus*: Herbae. — Hodie pariter exolevit.

SEMEN ACONITI. Eisenhütleinsamen u. s. w. *Semence d'Aconit*. — *Aconiti Napelli* L (v. Herba p. 90.) Semen parvum, seminis sinapis circiter magnitudine, angulosum, rugosum, nigrum; sapore acerrimo mordaci caustico, diutissime linguae adhaerente. — *Part. const. praev.* et *Vis*: Herbae, eaque uti veri est simile, praestantius, unde jure in medicamentorum thesaurum recipiatur.

SEMEN ADJOWAEN seu ADJOWAIN. Adjowaensamen, Koptensamen, Scharfsamen. *Semence d'Ajowaine*, *d'Ammi coptique*. — *Ammi coptici* L. (*Trachyspermi coptici* LINK., *Ptychotis coptici* DEC. — Cl. cet. v. Semen Anisi), plantae annuae parvae, Aegypti, quae apud nos coli potest, Fructus. — Dischaenae parvae plerumque in Carpella pusilla subglobosa, raphe contracto, magnitudine et adspectu Seminis Petroselini (p. 327., sed costis et valleculis tuberculoso-asperis, solida, dilapsae; odore forti grate aromatico, Herbae Thymi et Saturejae simili et sapore acri-pungente aromatico, cuminino. — In patria, Bengala, cet. crebre pro medicamento et condimento usurpatur. Nostrorum quoque medicorum attentione dignum.

SEMEN ADONIDIS. Adonissamen. *Semence d'Adonis*. — *Adonidis autumnalis* L. (Cl. cet. v. Rad. Adonidis p. 211.), plantae annuae pulchellae indigenae, in arvis, passim et in hortis cultae, caule erecto subpalmari, ramoso, foliis bipinnatis, pinnulis et laciniis tenuissimis, lineari-acutis, floribus solitariis terminalibus, ranunculaceis sanguineis, corolla subocto-petala, petalis obovatis, obtusis, calyce vix majoribus, Fructus. — Caryopsides exhibet nudas, angulosas, viride-fuscescentes, in cylindrum elongatum aggregatas; sapore peracri. — Hodie exolevit.

SEMEN seu BACCAE AGNI CASTI, Viticis officinalis. Keuschlammsamen, Keuschbaum- oder Schaafmüllen-Samen, Mönchspfeffer, Abrahamsbaum-Samen. *Semence d'Agnus castus*. — *Viticis Agni casti* L. (v. Flor. p. 61.) Fructus. — Drupae parvae subglobosae, fusco-nigrescentes, durae, piperis fere magnitudine, 4-loculares, 4 spermae, odore, praecipue si teruntur, forti, aromatico, subnarcotico et sapore aromatico, peracri piperino. — *Vis*: excitans, sub-narcotica (?) ant-aphrodisiaca (?). — Olim in multis morbis praescribebatur. Hodie apud nos vix adhibetur. In patria passim ut piper cet. pro condimento inservit.

SEMEN ALKEKENGI seu HALICACABI. Schlutten- oder Judenkirschen-Samen. *Semence de Coqueret*. — *Physalidis Alkekengi* (v. Baccae p. 14.) Semina parva, subrotunda, compressa, albida. — Olim antinephriticis adnumerabatur. Hodie exolevit.

SEMEN ALLIARIAE. Knoblauchkraut- oder Knoblauch-Hederich-Samen. *Semence d'Alliaire commune.* — *Erysimi Alliariae* L. (v. Herba p. 92.) Semina oblonga, 1 — 1 1/2 lineam longa, utrinque obliqua truncata, obscure fusca, nitentia; odore, si cum aqua teruntur, peracri, suballiaceo et sapore acri lepidino. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum (vel elementa ad formandum cum aqua?) et Oleum pingue. — *Vis*: Herbae, simul vermifuga (?), diuretica. — Hodie immerito vix adhibetur.

SEMEN ALTHAEAE, IBISCI cet. Eibisch- oder Althäa-Samen. *Semence de Guimauve.* — *Althaeae officinalis* L. (v. Flores p. 61., Herb. p. 93. et Radix p. 212.) Fructus. — Utriculi polycocci, discos exhibentes, 2 — 4 lineas latos, ex carpellis in orbem dispositis, contiguis, reniformibus, compressis, albidis, tomentosis, intus fissura longitudinali dehiscentibus, semina subreniformia, obscure fusca includentibus; inodori sunt et fere insipidi, maxime mucilaginosi. — *Vis* et *Usus*: Uti reliquarum plantae partium, sed hodie vix adhibetur.

SEMEN AMMEOS seu Ammi veri, cretici, Semen Origani odorati. Aechter oder cretischer Ammi, oder Ammei Herrenkümmel. *Semence d'Ammi, Ammi de boutique.* — *Sisonis Ammi* L. (Cl. cet. v. Semen Anisi), plantae annuae Europae australis, Aegypti, Montevideo, Fructus. — Diachaenae parvae in Carpella minuta, ovata, compressa, magnitudine fructus Apii, argute costata, valleculis univittatis, solida, rufescente-fusca, dilapsae; odore fragrante grate aromatico, origanino et sapore pungente aromatico, cuminino simulque piperaceo. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum. — *Vis*: excitans, carminativa, stomachica, diuretica, alexipharmaca (?). — Olim crebro pro medicamento usurpabatur, Theriacae addebatur et Seminibus quatuor calidis minoribus adnumerabatur. Hodie apud nos exolevit.

SEMEN AMMEOS MAJORIS seu **VULGARIS.** Großer Ammei-Samen, gemeiner Ammi. *Semence de grand Ammi, d'Ammi vulgaire.* — *Ammeos majoris* L. (Cl. cet. praeced.), plantae biennis Europae australis, passimque Germaniae, apud nos passim cultae, foliis pinnatis vel bipinnatis, foliolis oblongo-lanceolatis, cartilagineo-serratis, umbellis multiradiatis sublaxis, involucro polyphyllo, foliolis sub-3-partitis, laciniis angustis linearibus, longis, involucellis polyphyllis, foliolis lanceolato-subulatis, floribus albis, Fructus. — Diachaenae parvae, ovato-oblongae, a latere compressae, obtuse costatae, valleculis univittatis, solidae, fusco-ferrugineae, odore debili aromatico et sapore amaro-acri. — Hodie apud nos exolevit.

SEMEN AMMEOS seu **AMOMI VULGARIS** sive **GERMANICI.** Gemeines oder deutsches Amomum. *Semence d'Amomum allemande.* — *Sisonis Amomi* L. (Cl. cet. praeced.), plantae biennis Europae australis, Angliae passimque Germaniae, foliis pinnatis Pimpinellae Saxifragae (p. 143.) similibus, umbellis depauperatis, radiis inaequaliter elongatis, involucro et involucellis oligophyllis, floribus minutis albidis, Fructus. — Diachaenae parvae breve-ovatae, a latere compressae, aequaliter profunde costatae, valleculis univittatis, solidae, nigro-fuscae, costis fusco-rubris; odore aromatico Seminis Ammeos veri simili, sed debiliori et sapore grate aromatico, pungente. — Hodie pariter exolevit.

SEMEN AMOMI, Baccae Amomi, Piper jamaicense, Pimenta, Pimenta di Tabaco, Piper Tabasci, Fructus Pimenti, Caryophylli rotundi. Nelkenpfeffer, Wunderpfeffer, jamaikanischer Pfeffer, Amömlein, Piment, englisch Gewürz, Modengewürz, Almeti, Allerlei-Gewürz. *Poivre de la Jamaique, Piment des Anglais, Toute Epice.* — *Myrti Pimentae* L. (Cl. cet. v. Caryophylli p. 27.), arboris Indiae occidentalis, in Mexico, praecipue in Jamaica uti et India orientali cultae, Fructus. — Baccae immaturae siccatae, globosae, piperis ad pisi magnitudine, calycis ruderibus coronatae, passimque pedunculo brevi instructae, saturate fusco-ferrugineae seu griseo-fuscae, opacae, tenerrime verrucosae, asperae, sub cortice dura fragili duo semina hemisphaerica cochleatim torta, obscure brunnea, subpingue nitentia includentes; odore fragrante aromatico caryophyllino et piperino, et sapore aromatico caryophyllino. — *Part. const. praev.* et *Vis*: Caryophyllorum similis. — *Usus*: Idem; praecipue autem in culinis adhibetur. — *Praep.*: Oleum aethereum, Aqua, Tinctura, Spiritus, Acetum. — Baccae vetustae inanes, parum aromaticae, rejiciendae. — Confundi fertur cum Cocculis indicis (p. 38.).

SEMEN ANDAE GOMESSII Juss., Anda-Samen, *Semence d'Anda*, — (Cl. cet. v. Cautschuc p. 29.) arboris lactescentis Brasiliae, fructus Semen magnum, Castaneis (p. 28.) simile, sapore grate dulci oleoso; — *Vi* laxante praeditum. — In patria purgandi ergo usurpatur. — Hunc in finem etiam Andae brasiliensis Raddi Semina simillima sumuntur.

SEMEN ANETHI. Dill- oder Tillsamen, Garten-Dill. *Semence d'Anet odorant, de Fenouil puant.* — *Anethi graveolentis* L. (v. Flor. p. 61. et Herba p. 93.) Fructus. — Diachaenae suborbiculares ovales, dorso compressae, lentiformes. $\frac{1}{2}$ — 1 lineam latae et 1 — $1\frac{1}{2}$ lineam longae, margine membranaceo, costis dorsalibus argute carinatis, valleculis univittatis, commissura bi-vittata, solidae, griseo-fuscae, margine pallidiore; odore forti aromatico graveolente, sapore grate aromatico calefaciente. — *Part. const. praev.* et *Vis*: uti Herbae, sed multo illa praestantiora. — *Usus*: In pulvere, infuso. — *Praep.*: Oleum, Aqua. Additur aliis quoque compositionibus. — Semen vetustum, parum aromaticum, rejiciatur.

SEMEN ANGELICAE, Semen Costi nigri, Semen Smyrnii, Semen Podagrariae. Angelika- oder Engelwurz-Samen u. s. w. *Semence d'Angélique* cet. — *Archangelicae officinalis* Hoffm., (*Angelicae Archangelicae* L. — v. Herba p. 93. et Radix p. 213.) Fructus. — Diachaenae speciosae, 2 — 3 lineas et ultra longae, ovato-oblongae, a dorso subcompressae, utrinque bialatae, margine membranaceo, costis dorsalibus approximatis, carinatis, pallide fuscescentes; carpella exhibentes nu-

cleata, et semina libera convexa, antice plana, undique vittata; odore et sapore aromatico. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus:* Radicis. Hodie autem rarissime adhibetur. Semina vetusta omnino rejicienda.

SEMEN ANGELICAE SILVESTRIS. Wilde Angelika- oder Enzelwurz-Samen *Semence d'Angélique sauvage.* — *Angelicae silvestris* L. (v. Radix p. 214.) Fructus, praecedentis simillimus sed solidus, valleculis univittatis (v. loco citato); pariter aromaticus. — Hodie, forsitan immerito, vix adhibetur. Rustici semen ad pediculos necandos capiti inspergunt.

SEMEN ANGELIM. Angelim oder Angelin, Angelim-Samen. *Semence d'Angelim.* — *Geoffraeae vermifugae* MART. et *Geoff. spinulosae* MART. (v. Cort. Angelinae p. 43 et Geoffraeae p. 47.), arborum brasiliensium, fructus Semen oblongum, nucis moschatae circiter magnitudine. In taleolas sectum prostat saepius disciformes, externe cinereas vel nigrescentes, intus flavescente-albas, opacas, subfarinosas, densas sed fragiles; inodoras et fere insipidas. Principio proprio acri praeditum. — In patria ut anthelminticum magnopere laudatur. Apud nos autem nondum adhibetur.

SEMEN ANISI. Anis: *Semence d'Anis.*

Synon.: Semen Anisi vulgaris, Semen Absinthii dulcis. Gemeiner Anis, Aniskörner.

Pimpinellae Anisi L. (*Sisonis Anisi* SPR., *Anisi vulgaris* GAERTN. — Fl. Bad. IV. 212. — Cl. cet. v. Rad. Pimpinellae p. 266.), plantae annuae parvae, caule erecto subramoso, striato, foliis inferioribus indivisis, rotundato-cordatis, inciso-dentatis, reliquis 3-lobis, 3-fidis et subpinnatifidis, lobis cuneiformibus et lineari-lanceolatis, umbellis mediocribus laxis, involucro universali subnullo, involucellis minutis subulatis, floribus albis, Fructus. — Diachaenae subgloboso-ovatae, 1 — 1' lineam longae et $\frac{3}{4}$ lineam crassae, vel ovato-óblongae, attenuatae, ad 2 lineas et ultra longae (Semen Anisi Fugliense), plerumque pedicellatae, a latere contractae, solidae, carpellis cohaerentibus, aequaliter et leviter costatis, valleculis 3-vittatis, colore sordide griseo, subvirescente, costis pallidioribus, pube brevi adpresso tectae, unde opacae, intus fuscae, oleosae, sutura albida; odore forti, grate aromatico, uti et sapore, simul dulciusculo. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* calefaciens, carminativa, becchica.

Sit semen purum, turgidum, ponderosum, fragrans; fuscum autem vel corrugatum, aromate egens vel sordibus terreis aliisve quisquiliis intermixtum vel artificiale, ex terra confectum, rejiciatur.

Usus: In pulvere, pilulis, electuario, infuso. — *Praep.:* Oleum aethereum et expressum, Aqua, Spiritus, Aqua Chamomillae anisata, Confectio, Elaeosaccharum, Spiritus Salis Ammoniaci anisatus, Balsamus Sulphuris anisatus. Additur Aquae Vitae et pluribus aliis compositionibus; adnumerabatur Seminibus quatuor calidis majoribus.

SEMEN ANISI STELLATI. Sternanis. *Semence d'Anis étoilé.*

Synon.: Semen Anisi indici, Semen Badianae seu Badianum, Anisum sinense, Semen Foeniculi stellati, Fructus Illicii, Capsulae Anisi stellati. Indischer oder chinesischer Anis oder Sternanis, sibirischer Anis oder Fenchel, kanadischer Anis, Sternsamen, Badian oder Badiansamen. *Semence de Badiane, Fruits de Badiane, Semence d'Anis de la Chine-*

Illicii anisati L., e cl. Polyandria, ord. Polygynia, fam. Magnoliacearum, arboris Japoniae, Cochinchinae, Fructus. — Carpella exhibet leguminacea, stellatim posita, plerumque octona, inaequalia, compressa, subovato-ventricosa, apice subincurvo, uno latere hiantia, stellamque pollicem circiter latam formantia, fulvo-fuscam vel ferrugineam; sub cortice subcoriaceo-lignoso, fragili, externe opaco, rugoso, intus glabro, nitente, semen ovatum complanatum, pallide rubro-fuscum, nitens, intus albidum, oleosum, continentia; odore fragrante aromatico anisino, uti et sapore, sed utroque praecedentis gratiore.— *Part. const. praev.* et *Vis:* praecedentis; praestantior autem putatur.

Fructus vetusti, vel immaturi, parvi, corrugati, parum aromatici rejiciantur.

Usus: In pulvere, praecipue in infuso pro thea; additur speciebus. — *Praep.:* Oleum aethereum.

SEMEN ANTICHOLERICAE seu SOPHORAE. Schnurstrauch- oder Sophoren-Samen. *Semence de Sophore.* — *Sophorae heptaphyllae* L. (v. Rad. p. 214) Semina, in legumen lanatum, moniliforme, polyspermum inclusa, subglobosa, peramara. — Olim pariter ac radix pro anticholerico habebantur. Hodie exoleverunt.

SEMEN APII, Apii sativi seu hortensis, Paludapii, Semen Celeri Italorum. Sellerie-samen, Eppigsamen. *Semence d'Ache* ou *de Céleri.* — *Apii graveolentis* L. (v. Herb. p. 95. et Radix p. 214.) Fructus. — Diachaenae minutae, globoso-ovatae, a latere compressae, didymae, solidae, facile dilabentes in carpella subhemisphaerica, 1/2 lineam longa, argute et aequaliter 5-costata, valleculis subunivittatis, colore fusco; odore proprio aromatico, uti et sapore, simul amariusculo. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* incitans, diuretica. Ad Semina quatuor calida minora adnumerabatur. — Hodie vix adhibetur.

† SEMEN APOCYNI FOLIO SUBROTUNDO. Aufrechter Pergularienkraut-Samen. *Semence de Pergulaire étroite.* — *Pergulariae erectae* SPR. (*Cynanchi erecti* L. v. Herba p. 95.) Semen narcoticum, venenatum. — Apud nos non adhibetur.

SEMEN AQUILEGIAE, Chelidonii medii. Ackelei- oder Agelei-Samen, Glockenblumensamen. *Semence d'Ancolie* ou *d'Ancholie.* — *Aquilegiae vulgaris* L. (v. Fl. p. 72., Herbae p. 95. et Rad. p. 214.) Semina parva, oblongo-3-gona, lineam longa, dorso convexo, lateribus subplanis, marginibus prominentibus, nigro-fusca, splendentia, dura; inodora, sapore amariusculo, subacri. — *Part. const. praev.:* Principium narcoticum (?) et Oleum pingue. — *Vires* ei adscribebantur alexipharmacae, antiscorbuticae. In ictero, peripneumonia, praecipue in morbis cutaneis, variolis, erysipelate cet. commendabatur. Hodie exolevit. — Cave confundas cum Semine Psyllii (p. 328.).

SEMEN ARACHIS HYPOGAEAE L., Glandes terrestres, Erdeichel, amerikanische Erdnuß-samen, *Semence d'Arachide,* — plantae annuae tropicae, Semina bina legumini subrotundo-gibboso, subterraneo insidentia, amygdalarum magnitudine, fusca, oleosa, grate dulciuscula. — *Usus:* diaeteticus. In emulsione commendatur in variis affectibus vesicae urinariae. — *Praep.:* Oleum pingue.

SEMEN ARGEMONES. Argemonensamen. *Semence d'Argémone.* — *Argemones mexicanae* L. (v. Herb. Card. flav. p. 104.) Semen minutum subglobosum, oleosum. — *Vires* narcoticae ei adscribuntur et in diarrhoea, dysenteria laudatur. Oleum autem expressum Olei Ricini effectum habere ferunt (?).

SEMEN ARTEMISIAE CAMPESTRIS L., Feld- oder rother Beifußsamen, Feldwermuth-Samen. *Semence d'Armoise champêtre* (Fl. Bad. III. 400. — Cl. cet. v. Herba Absinthii p. 89.), plantae perennis ad vias, fluviorum ripas cet., praecipue locis sabulosis vulgaris, caulibus procumbentibus, adscendentibus, glabris, saepius fusco-rubellis, foliis multifidis, laciniis linearibus, junioribus sericeis, adultis glabris, floribus (calathiis) racemosis subsecundis, nutantibus, fusco-purpurascentibus, parvis, glabris, Fructus. — Achaenae minutae oblongae, pappo destitutae; plerumque flores toti deflorati hoc nomine colligebantur; odore debili aromatico, uti et sapore, simul amariusculo. — Hodie exolevit.

SEMEN ASCYRI. Sibirischer Johanniskrautsamen. *Semence d'Ascyron.* — *Hyperici Ascyri* L. (Cl. cet. v. Flor. Hyperici p. 66.) Semen minutissimum; *Vi* diucetica praeditum (?).— Nuper in malo ischiadico laudabatur.

SEMEN ASPARAGI seu ALTICIS. Spargelsamen. *Semence d'Asperge.* — *Asparagi officinalis* L. (v. Rad. p. 218.) Semen subreniforme, rotundatum, nigrum, 1 — 2 lineas complectens, perdurum, intus album oleosum; inodorum et insipidum. Ejus loco saepius totae Baccae rubrae succulentae prostabant. — *Vires* diureticae ei adscribebantur. — Hodie exolevit.

SEMEN ATRIPLICIS, Atriplicis hortensis seu albi, sativi. Melden- oder Meltensamen. *Semence d'Arroche* ou *de Bonne Dame.* — *Atriplicis hortensis* L. (v. Herba p. 96.) Fructus. — Caryopsides orbiculari-ovatae, compressae, valvulis membranaceis, glabris, reticulato-venosis tectae, 1/2 pollicem circiter longae, albidae; odore, si recens, proprio et sapore subempyreumatico. — *Vi* emetica et purgante (?)

praeditum putatur. — Hodie exolevit. — Semen Atriplicis angustifolii Spr. Iisdem gaudere virtutibus veri e t simile. — Semen Atriplicis glauci L. contra pro medicamento colico habetur.

SEMEN seu NUCES ATTALIAE AMYGDALINAE Humb., Nuculae brasilienses, Attalien-Samen oder Nüsse, brasilianische Nüßchen, *Semence* ou *Noix d'Attalie*, palmae Novae Granadae, e cl. Polyandria, ord Trigynia, fructus Semen ovato-3-gonum, rugoso-asperum, griseo-fuscum, durissimum, sub testa lignosa nucleum album, oleosum, edulem includens. — In patria, nunc in Europa quoque, passim nutriendi ergo comeditur; eodemque modo atque Amygdalae adhibetur.

SEMEN AURANTIORUM. Pomeranzensamen, Pomeranzenkerne. *Semence d'Oranges.* — *Citri Aurantii* L. (v. Aurantia p. 11.) Semen ovato-rotundatum, subcompressum, albidum, amarum, oleosum. Virtutes ei adscribebantur alexipharmacae, diaphoreticae et anthelminticae. — Dabatur in emulsione. — Hodie exolevit.

SEMEN AVENAE v. Avena (p. 12.).

SEMEN BALSAMITAE seu COSTI HORTORUM, Tanaceti hortensis cet. Balsamkrautsamen, Frauenmünzen-, breitblätteriger Rainfarrn-Samen *Semence de Balsamite.* — *Balsamitae vulgaris* W. (*Tanaceti Balsamitae* L. — v. Herba p. 97.) Fructus. — Achaenae minutae oblongae, 5 — 6-costatae, processo ligulato, membranaceo, lacero, coronatae, fuscescentes; odore forti aromatico menthaceo, uti et sapore, simul amaro. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus:* Herbae. — Praecipue autem ut anthelminticum adhibebatur. Hodie pariter fere exolevit.

SEMEN BARDANAE seu LAPPAE MAJORIS, Semen Arctii. Klettensamen *Semence de Bardane* ou *de Glouteron.* — *Arctii Lappae* L. (v. Radix p. 220.) Fructus. — Achaenae parvae oblongae, compresso-angulosae, apicem versus dilatatae, 2 lineas longae, pappo brevi, setaceo, deciduo coronatae, colore laete griseo-fusco, sapore amaro et acri, oleum pingue continentes. — *Vi* diuretica et insigniter diaphoretica, praedita esse ferunt. Praescribebantur in substantia vel emulsione. Hodie, forsitan immerito, exoleverunt.

SEMEN BASILICI seu OCIMI VULGATIORIS. Basilien- oder Basilgensamen. *Semence de Basilic.* — *Ocimi Basilici* L. (v. Herba p. 98.) Fructus. — Caryopsides nuculaceae, (vulgo Semen) minutae, subovatae, nigricantes, sapore mucilaginoso. — Olim ut diaphoreticum et diureticum laudabatur. — Hodie exolevit.

SEMEN BEHEN RUBRI seu LIMONII. Rother Behensamen, Meernelken-, Limonienkrautsamen. *Semence de Béen rouge.* — *Statices Limonii* L. (v. Herb. p. 98 et Rad. p. 221.) Fructus. — Utriculi parvi oblongi, rufescentes, unispermi, calyce inclusi, sapore adstringente. — Hodie exolevit.

SEMEN BERBERIDUM, Acini fructus Berberidum. Sauerachbeerensamen, Berberitzensamen, Erbselensamen *Semence d'Epine-vinette.* — *Berberidis vulgaris* L. (v. Baccae p. 14.) Semina oblongo-rotundata, pallide rubro-fusca, dura; sapore nauseoso, amariusculo-acerbo. — Olim ut adstringens adhibebatur. Hodie exolevit

SEMEN BOMBACIS seu GOSSYPII. Baumwollensamen. *Semence de Coton.* — *Gossypii herbacei* L. (v. Bombyx p. 21.) Semina nigro-fusca, albide pilosa, ovata, pisi fere magnitudine; oleosa, sapore dulciusculo, mucilaginoso. — Olim ut demulcens, nephriticum, pectorale adhibebatur. — *Praep.:* Oleum pingue. — Apud nos exolevit.

SEMEN BRANCAE URSINAE. Bärenklau- oder Heilkraut-Samen. *Semence de Berce Branc-ursine.* — *Heraclei Sphondylii* L. (v. Herb. p. 100. et Rad. p. 222.) Fructus.— Diachaenae speciosae, ovales, compressae, alatae, solidae, costis dorsalibus teneris, filiformibus, valleculis univittatis, vittis clavatis, primo breve-pilosae, post subglabrae, pallide cinereo-fuscescentes; odore forti graveolente et sapore aromatico-acri. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Resina. — Hodie exolevit. Semen hoc sane efficax medicorum attentione omnino dignum.

SEMEN BRASSICAE OLERACEAE. Kohlsamen. *Semence de Chou-potager.* — *Brassicae oleraceae* L. (v. Herba p. 100.) Semen. — Granula exhibet parva, subglobosa, passim inaequaliter compressa, obtusangulosa et rugoso-sulcata, nigro-fusca vel obscure rufa, opaca, vel parum nitentia, pro varietate discrepantia, Semine Sinapis nigrae majora. Eligebatur praecipue Semen Brassicae rubrae, rother Kohlsamen, *Semence de Chou rouge.* Sapore est oleoso, post amariusculo-acri. — *Part. const. praev.* et *Vis:* Seminis Sinapis similes. — Olim in tussi et ad icterum commendabatur. Hodie exolevit. — Ad parandum Oleum pingue aptum uti Semen Napi p. (325.).

SEMEN BRUSCI seu RUSCI. Bruschsamen, Mausdornsamen. *Semence de Rusc* ou *de Houx Frélon.* — *Rusci aculeati* L. (v. Rad. p. 222.) Semen. Saepius quoque Baccae rubrae 3-loculares, pisi magnitudine, sapore dulciusculo colligebantur. — Hodie exoleverunt.

SEMEN BRYONIAE, Uvae anginae. Zaunrübensamen, Hundskürbissamen. *Semence de Bryone, de Couleuvrée.* — *Bryoniae albae* et *dioicae* L. (v. Baccae p. 14 et Rad. p. 222.) Semina parva ovata, subcompressa, subrugosa, fusca. — Hodie exolevit.

SEMEN CACAO v. Cacao (p. 23.).

SEMEN CALCATRIPPAE seu CONSOLIDAE REGALIS. Gemeiner oder Feldrittersporn-Samen. *Semence de Pied d'Alouette.* — *Delphinii Consolidae* L. (v. Flor. p. 63.) Semina parva, angulosa, aspera, nigra; sapore acerrimo-mordaci. — *Part. const. praev.:* Delphininum (?). — *Vi* narcotica, emetica, purgante praedita. — Nuper praecipue in asthmate, tussi convulsivo, commendabatur. — *Praep.:* Tinctura. — Remedium sane efficax medicorum attentione dignum.

SEMEN CALCITRAPAE seu CARDUI STELLATI. Sterndistelsamen. *Semence de Chausse-trappe* — *Centaureae Calcitrapae* L. (v. Herba p. 102.) Fructus. — Achaenae parvae, lineam longae, ovatae, albidae, laeves, pappo destitutae; sapore amariusculo. — Olim ut nephriticum adhibebatur. — Hodie exolevit.

SEMEN CAMELINAE seu MYAGRI. Leindotter. *Semence de Cameline.* — *Camelinae sativae* Crantz (*Myagri sativi* L. v. Herb. p. 102.) Semina parva, oblonga, 3-gona, rubello-flava; sapore amarius-

culo-subdulci, sublepidino-mucilaginoso. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue, Oleum aethereum acre et Mucilago. — *Vis:* demulcens. — *Usus:* In decocto, et externe ut cataplasma. — *Praep.:* Oleum pingue. —Hodie vix adhibetur.

SEMEN CANARIENSE, Grana canariensia. Kanarienſamen, Glanzgrasſamen *Semence de Canarie.* — *Phalaridis canariensis* L. (Fl. Bad. IV. 40. — Cl. cet. v. Avena p. 12.), graminis annui elegantis, ex Canariis oriundi, nunc in Europa meridionali et apud nos quoque culti, panicula subovata spiciformi, Fructus. — Caryopsides ovatae compressae, nitentes, albidae vel pallide flavescente-fuscae, 2 lineas longae et 3/4 lineam latae; inodorae, farinosae. — Olim ut diureticum, nephriticum cet., adhibebatur. Nutriendi ergo ut reliqua cerealia adbiberi potest.

SEMEN CANNABIS. Hanfſamen. *Semence de Chanvre, Chenevis.* — *Cannabis sativae* L. (v. Herba p. 102.) Fructus. — Caryopsides nuculaceae, ovato-subglobosae, subcompressae, cinereae, nitentes, sub testa fragili bipartibili nucleum oleosum includentes, fere inodorae, sapore subnauseoso-oleoso, dulciusculo. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue. — *Vis:* demulcens, involvens, narcotica (?).

SEMEN CARDUI BENEDICTI seu **CARDUI SANCTI.** Kardobenediktenſamen, Spinnendiſtelſamen, Bitterdiſtelſamen, Bornkrautſamen, Stechkörner *Semence de Chardon bénit.* — *Centaureae benedictae* L. (v. Herba p. 104.) Fructus. — Achaenae oblongae subcylindricae, ventricosae, subcurvae, 2 — 2 1/2 lineas longae, in longitudinem striatae, griseo-fuscae, subflavicantes, in basi a latere oblique truncatae, umbilicato-excavatae, superne annulo dentato et pappo setaceo rigido biseriali stellatim erecto-patente, interiore brevissimo, instructae; sapore amaro-oleoso. Hodie vix adhibetur. A vulgo passim in pleuresia praedicatur.

SEMEN CARDUI MARIAE seu **CARDUI MACULATI**, Semen Spinae albae seu Lactei. Marienſ oder Frauendiſtelſamen, Meerdiſtelſamen, Stech- oder Stichkörner. *Semence de Chardon Marie, de Chardon de notre Dame.* — *Silybi mariani* GAERTN. (*Cardui mariani* L. — v. Herba p. 104.) Fructus. — Achaenae praecedentium subsimiles; distinguuntur autem eo, quod sunt compressae et latiores, glabrae, fuscae, nitentes, vix striatae, et pappo longiori albido-nitente, molliori, setaceo-piloso, deciduo praeditae; sapore amariusculo-oleoso, subacerbo. — *Vis* et *Usus:* Praecedentis. — Hodie pariter vix adhibetur.

SEMEN CARDUI TOMENTOSI, Acanthii, Spinae albae. Krebsdiſtelſamen, breite Wegdiſtel oder Eſelsdiſtelſamen, Frauendiſtel, Krampfdiſtelſamen. *Semence de Chardon aux Anes* — *Onopordi Acanthii* L. (v. Herba p. 104.) Fructus. — Achaenae oblongo-quadrangulares, albidae, pappo piloso, longo, albido, annulo deciduo insidente, praeditae sapore miti oleoso. — Hodie exolevit. Ad parandum Oleum pingue mite quoque inservit.

SEMEN CARTHAMI, Carthami flore croceo seu Cnici, Semen Croci hortensis seu silvestris. Saflorſamen, wilder Safranſamen, Florſamen, Papageienkörner. *Semence de Carthame* ou *de Safran bâtard, Grains de Perroquet.* — *Carthami tinctorii* L. (v. Flores p. 63.) Fructus. — Achaenae oblongae, subcompresso-4-gonae, apice incrassatae, 2 lineas longae, albae, nitentes, pappo destitutae; inodorae, sapore oleoso-amariusculo. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue. — *Vis:* cathartica, hydragoga, anthelmintica (?). — *Usus:* In emulsione. — *Praep.:* Syrupus Carthami solutivus seu Comitis. — Hodie, forsitan immerito, rarissime adhibetur. — Semina levia, inania vel rancore corrupta, rejiciantur.

SEMEN CARVI. Kümmelſamen. *Semence de Carvi.*

Synon.: Semen Cumini pratensis, Semen Cari. Wieſen- oder Feldkümmel, Kümmich, Matkümmich. *Semence de Cumin des prés.*

Cari Carvi L. (Fl. Bad. I. 720. — Cl. cet. v. Semen Anisi p. 309.), plantae biennis in pratis et pascuis, praecipue montosis, passim frequentis, caule erecto ramoso, anguloso-sulcato, glabro (de Foliis conf. Herba p. 105.), umbellis terminalibus mediocribus, involucro oligophyllo, involucellis nullis, floribus aequalibus albidis vel rubellis, Fructus. — Diachaenae oblongae, a latere valde compressae, solidae, facillime in carpella oblongo-prismatica, $1\frac{1}{2}$—2 lineas longa, subincurva, fusca, aequaliter 5-costata, costis filiformibus pallidioribus, valleculis univittatis, dilabentes; odore proprio, forti aromatico, uti et sapore, simul amariusculo. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* excitans, stomachica, carminativa, diuretica, lactifera.

Sit maturum, fuscum, odore fragrante; semen corruptum, cariosum vel virescens, parum odorum, rejiciatur.

Usus: In pulvere et infuso, speciebus cet. admiscetur. — *Praep.:* Oleum aethereum, Aqua, Spiritus, Aqua Vitae, Essentia, Emplastrum, Caraway cordial; additur Speciebus carminativis, Tincturae carminativae et aliis compositionibus. Seminibus quatuor calidis majoribus adnumerabatur. Ceterum condimentum praestantissimum, usitatissimum.

SEMEN CATAPUTIAE MINORIS, Tithymali latifolii, Lathyridis majoris, Euphorbiae. Kleine Springkörner oder Treibkörner, kleine Purgirkörner, Euphorbien- oder Wolfsmilchsamen. *Semence d'Epurge* ou *d'Euphorbe.* — *Euphorbiae Lathyridis* L. (Fl. Bd. II. 324. — Cl. cet. v. Euphorbium p. 58.), plantae biennis Europae australis et mediae passimque Germaniae, ad vias, in ruderatis, hortis cet., crescentis, caule stricto, primo anno simplici, glabro, foliis cruciatim positis, lineari-oblongis, latis, glaucescentibus, subcoriaceis, secundo anno 3—5 pedali, superne ramoso, umbella maxima, subquadrifida, dichotoma, foliis rameis floralibus cordato-lanceolatis, acuminatis, appendiculis involucri glandulosis (petalis) semi-lunatis, obtuse bi-cornibus, capsula magna globoso-3-gona, viridi, turgida, laevi-spongiosa, elastice desiliente, Semina ovali-subglobosa, piperis magnitudine, apice truncata, fusco-et cinereo-maculata, subaspera, sub lente reticulatim sulcata apparentia, inferne nodulo albido mobili praedita, sub tegmine tenui, sed duro, nucleum albidum oleosum includentia; inodora, sapore primo miti oleoso, post acri-gutturali. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue cum Principio proprio cathartico mixtum. — *Vis:* purgans; mitior autem quam Granorum Tiglii (p. 85.). — *Usus:* In substantia, parva dosi, in emulsione. Granis Tiglii vehementissimis passim praeferri merentur. — *Praep.:* Oleum pingue. — Semina immatura vel rancida rejiciantur.

SEMEN seu NUCLEI CEDRI. Cedersamen. *Semence de Cèdre.* — *Pini Cedri* L. (v. Lignum p. 171.) Semen, odore grato balsamico et sapore dulciusculo-oleoso. — Hodie apud nos exolevit.

† SEMEN CERBERAE AHOVAI L. Brasilianischer Schellenbaumsamen, *Semence de Cerbera Ahovai* (Cl. cet. v. Nuces Vomicae p. 190.), arboris brasiliensis fructus drupacei tricuspidati Semina. — *Vi* emetica, venenata praedita. — Apud nos non adhibetur.

SEMEN CEREFOLII, Chaerefolii seu Chaerophylli, Semen Scandicis. Kerbel- oder Körbelsamen, Gartenkörbelsamen. *Semence de Cerfeuil commun.* — *Anthrisci Cerefolii* HOFFM., (*Scandicis Cerefolii* L. v. Herba p. 105.) Fructus. — Diachaenae lineares, a latere compressae, breviter rostratae, facile in carpella tenuia lineari-subulata, 3—4-lineas longa, ecostata, et vittis destituta, obscure fusca, uno latere sulco longitudinali exarata, dilabentes; odore, si virides, debili aromatico, siccatae inodorae, sapore subacri. — Hodie vix adhibetur.

SEMEN CERVARIAE NIGRAE, Gentianae nigrae. Hirschpetersilchen- oder Bergpetersilchen-Samen u. s. w. *Semence de Persil de montagne, de Carotte de montagne.* — *Peucedani Cervariae* LAPEYR. (*Athamantae Cervariae* L. v. Rad. p. 244.) Fructus. — Diachaenae oblongo-ovales, a dorso compressae, flavo-fuscae, solidae, margine lato, plano, costis filiformibus, valleculis 1—3-vittatis; odore et sapore forti aromatico. — *Part. const. praev.* et *Vis:* Radicis. — Hodie autem rarissime pro medicamento usurpatur, quanquam efficax.

SEMEN CHEIRI, Keiri, Leucoji lutei. Goldlacksamen, gelbe Levkojen- oder gelbe Violensamen. *Semence de Giroflée jaune.* — *Cheiranthi Cheiri* L. (v. Fl. p. 65. et Herba p. 107.) Semina ovali-orbiculari-compressa, Milii circiter magnitudine, laete fusca, margine brevissimo membranaceo; inodora, trita cum aqua autem odorem lepidinum emittentia, sapore acri, simul peramaro. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue et aethereum acre et Principium amarum. — Hodie immerito vix adhibetur.

SEMEN CHENOPODII ANTHELMINTICI L., wurmtreibender Gänsefußsamen, americanischer Wurmsamen, Jerusalems-Eichensamen, *Semence d'Ansérine vermifuge, de Patte de Vers.* (Cl. cet. v. Herba Botryos mexicanae p. 100.), plantae perennis Americae borealis, Semen parvum, rotundatum, subcompressum, fuscum, nitens; odore penetrante nauseoso, uti et sapore acri-aromatico, amaro. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* excitans, vermifuga. — *Usus:* In substantia, in pulvere, electuario cet. — *Praep.:* Oleum aethereum (v. et p. 200.). In patria crebro pro anthelmintico, apud nos autem vix, adhibetur.

SEMEN CHIA, Chia. Chiasamen. *Semence de Chia.* — Hoc nomine in Mexico Semen quoddam, (Salviae hispanicae?) mucilaginosum pro potu cet. adhibetur.

SEMEN CICERIS seu CICERUM RUBRORUM. Kichererbsen, Kichern oder Ziesern, deutsche Kaffeebohnen. *Semences de Pois Chiches rouges.* — *Ciceris arietini* L. (Fl. Bad. IV. 550. — Cl. cet. v. Rad. Liquiritiae p. 257.), plantae perennis Europae australis et mediae passimque Germaniae, et cultae, caule erecto, ramoso, piloso, foliis pinnatis, foliolis serratis, glanduloso-pilosis, floribus axillaribus, pedunculatis, parvis, violaceis, vel albidis, papilionaceis, leguminibus brevibus, subrhomboideis, inflatis, glanduloso-hirsutis, 2-spermis, Semina subglobosa, pisi magnitudine, antrorsum gibbosa, apice brevi compresso-inflexo, capiti arietis subsimilia; obscure fusco-rubra vel albida, perdura, intus albido-farinosa, inodora, sapore amariusculo-farinoso. — *Part. const. praev.:* Farina. — *Vis:* nutriens. — Olim ut diureticum in morbis biliosis, et puerperis ad lochiorum fluxum promovendum cet. commendabatur; pro aphrodisiaco quoque habebatur. — *Praep.:* Farina. — Hodie vix ut medicamentum adhibetur. Pro nutrimento, uti pisa et fabae, praecipue Hispanis inservit. Tostum etiam pro Coffeae succedaneo usurpatur.

SEMEN CICHORII, Cichorii hortensis seu sativi, Semen Intybi. Cichorien- oder Weg-

wartsamen, Hindläuftsamen u. s. w. *Semence de Chicorée.* — *Cichorii Intybi* L. (v. Flor. p. 65, Herba p. 108. et Radix p. 230.) Fructus. — Achaenae parvae oblongae, compresso-4-gonae, truncatae, albidae, pappo brevissimo, paleaceo-squamoso coronatae; oleosae. — In emulsione in hepatis inflammatione commendabatur. Hodie exolevit.

† SEMEN CICUTAE seu CONII. Schierlingsamen. *Semence de Ciguë.* — *Conii maculati* L. (v. Herba p. 108.) Fructus. — Diachaenae oviformes, 1 — $\frac{5}{8}$ lineam longae, sordide fusco-virescentes et flavescentes, costis tuberculoso-crenulatis aequalibus, pallidioribus, praeditae, nudae (reliqua descriptio v. loco citato); inodorae, contusae et maceratae cum liquore kali caustici autem nidores vehementissimos Coniini emittentes, sapore primo miti oleoso, post nauseoso-acri. — *Part. const. praev.:* Coniinum et Oleum pingue. — *Vis:* summopere narcotica, facile toxica, tetanum, adeo mortem efficiens. — *Usus:* In pulvere, infuso, caute. — *Praep.:* Coniinum. — Semen hoc. quod dicitur, efficacissimum, quod tempore non alteratur, hodie vix medicis cognitum, herbae, quae per tempus facile corrumpitur, longe praeferendum et omni jure in medicinam recipiendum!

SEMEN CINAE. Wurmsamen. *Semence contre les Vers.*

Synon.: Semen Cynae, Semen Sinae seu Zinae, Sementina, Semen Contra, Semen Zedoariae, Semen Santonicum seu Sanctum, Semen contra Vermes. Zittwersamen. *Semencine, Semence* ou *Graine de Zedoaire, de Barbotine.*

Duae praecipue sunt Species in commercio: 1) Semen Cinae levanticum, haleppense seu alexandrinum, levantischer, aleppischer oder alexandrinischer Wurmsamen, *Semence contre les Vers de Levante.* — *Artemisiae Contra* L. (?) (Cl. cet. v. Herba Absinthii p. 89.), fruticuli persici, Flores compositi (Calathia) parvi oblongo-ovati, 1 – $1\frac{1}{2}$ lineam longi et $\frac{1}{2}$ lineam circiter crassi, sub-fusco-flavescentes, passim plus minus in virescens abeuntes, glabri, subnitentes, sub lente resinose-glandulosi, plerumque clausi, squamis calycis (periclinii) imbricatis, ovato-obtusis, margine membranaceo subdiaphano, flosculis, si conspicui, paucis, tubulosis, apice fusco-rubris, partim cum pedunculo brevissimo ramulorum ruderibus insidentibus et fragmentis ramulorum filiformibus, glabris, uti et pulvere plus minus intermixti, a quibus et aliis quisquiliis cribri ope liberati, Semen vocantur Cinae levanticum cet. electum seu in granis, auserlesener, levantischer Wurmsamen, odore forti, graveolente, aromatico, et sapore aromatico-camphorino et ingrate amaro. 2) Semen Cinae barbaricum seu africanum, Semen Cinae americanum (improprie), barbarischer oder afrikanischer Wurmsamen, (fälschlich) amerikanischer genannt, *Semence contre les Vers de la Barbarie.* — *Artemisiae glomeratae* Sieber, fruticis Africae borealis, Palaestinae, Flores compositi (Calathia) incompleti (gemmulae), subglobosi, minuti, $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{2}$ lineam vix crassi, pallide griseo-fuscescentes, passim in flavo-virescens ducentes, colore laetiore vel obscuriore, opaci, tomento brevissimo obducti, non nisi ex squamis calycis (periclinii) imbricatis, suborbicularibus constantes et corollulis de-

ficientes, passim ruderibus ramulorum glomeratim insidentes et permultis ramulorum fragmentis brevissimis, anguloso-sulcatis et tomentosis intermixti. Leviores sunt praecedentibus; odore simili, si recentes et praecipue si teruntur, fortiori, uti et sapore plus aromatico-pungente, camphorino. Semen Cinae indicum seu ostindicum, indischer oder ostindischer Wurmsamen, *Semence contre les Vers des Indes orientales.* Hoc nomine Flosculi in commercio occurrunt praecedentibus simillimi, sed colore magis virescente vel fusco-flavescente, minus tomentosi, fere glabri, ponderosiores; odore et sapore penetrante ingrate aromatico. Derivatur ab Artemisia inculta Delille, sed vix a praecedente diversum videtur, quod saepius artificialiter tinctum, nomen memoratum gerit. — *Part.* Seminis Cinae *const. praev.:* Oleum aethereum et Santoninum. Semen Cinae barbaricum recens oleo aethereo praeponderat. — *Vis:* excitans, nervina, stomachica, praecipue vermifuga.

Sit recens, forte aromaticum et amarum; semen vetustum autem, nigro-fuscum vel decolor vel artificialiter tinctum, aromate egens, vel ab insectis corrosum, rejiciatur; sit porro non nimis fragmentis ramulorum crassiorum vel seminibus alienis, arena aliisque quisquiliis intermixtum. Cave ne sit Semine Tanaceti (p. 332.) adulteratum.

Usus: In substantia, totum vel in pulvere, electuario, infuso seu decocto rarius. — *Praep.:* Extractum aethereum, Tinctura, Confectio, Santoninum. Additur pulveribus vermifugis, Electuario anthelmintico, Trochiscis contra Vermes et pluribus aliis compositionibus vermifugis.

SEMEN CISMAE seu CHICHMAE, Semen Cassiae Absus. Chichm- oder Chism- oder Tschischm-Samen. *Semence de Chichme.* — *Cassiae Absus* L. (Cl. cet. v. Folia Sennae p. 79.), plantae annuae Africae interioris, Aegypti superioris et Ceylonis, Semina suborbicularia, compressa, nigro-fusca, splendentia, seminis lini magnitudine, durissima, sapore nauseoso-peramaro, mucilagine abundantia. — In ophthalmia, blenorrhoea palpebrarum praecipue contagioso-aegyptiaca, forsitan plus quam meretur, praedicatur.

SEMEN CITRI, Mali Citri, Limonum. Citronen-Samen oder Kerne. *Semence de Citron.* — *Citri medicae* L. (v. Citrea p. 37.) Semina ovata, gibba, albida, pisi fere magnitudine, dura, amara, mucilaginosa. — *Vi* calefaciente, attenuante, vermifuga (?) praedita. — Olim in febribus malignis cet., emulsionibus addebatur; Bezoardico Curb.i admiscebatur. Hodie exoleverunt.

SEMEN CITRULLI seu ANGURIAE, Semen Melonis seu Cucurbitae aquaticae. Wasser-Melonen- oder Kürbissamen, Angurien-Samen oder Kerne *Semence de Citrouille* ou *d'Angourie, Semence de Melon d'eau, de Pastèque.* — *Cucurbitae Citrulli* L. (Cl. cet. v. Cucumis p. 55.), plantae annuae Indiae orientalis, in Europa meridionali, passimque quoque apud nos, cultae, foliis 3—5-partitis, hirsutis, lobis sinuato-pinnatifidis, rotundatis, fructibus praemagnis, ellipticis, glabris, maculatis, carne succulenta, grate dulci, refrigerante, Semina obovata compressa, 1/2 pollicem circiter longa, nigra, margine incrassato, sub cortice crassiusculo, duro, coriaceo nucleum albidum oleosum dulciusculum includentia. — *Vi* refrigerante et demulcente praedicabantur et Seminibus quatuor frigidis majoribus adnumerabantur. Hodie exoleverunt.

† SEMEN seu BACCAE COCCOGNIDII, Coccognidium, Semen Mezerei seu Chamaelei, Grana Gnidii seu Gnidia, Cocci Gnidii, Piper germanicum. Kellerhals-Samen oder Beeren, Seidelbastsamen, Purgirkörner, deutscher Pfeffer oder Bergpfeffer. *Semence* ou *Grains de Garou, de Bois gentil, Semence de Lauréole, Poivre d'Allemagne.* — *Daphnes Mezerei* L. (v. Cortex p. 49.) Fructus. — Baccae globosae, recentes rubrae, succulentae, pisi magnitudine, siccatae, uti prostant, obscure griseo-fuscae, piperis magnitudine, sub membrana tenui rugosa aliam teneriorem pallidiorem et testam obscure fuscam nitentem fragilem includentes, quae nucleum albidum oleosum continet; inodorae, sapore acerrimo caustico, faucibus diutissime adhaerente. — *Part. const. praev.:* Resina acris et Oleum pingue. — *Vis:* drastica, purgans, emetica, facile inflammationem et in majori dosi ipsam mortem provocans. — *Usus:* Uti Corticis. Olim in hydrope, tussi convulsivo cet., sed, ut veri est simile, perperam, hodie autem vix unquam interne per se adhibetur. Ad pa-

randa. Epispastica uti cortex adhibendum, oui forsitan subinde praeferendum. Usus ad augendam aceti acrimoniam quam maxime damnandus. Fructus oblongi, nigri, nitentes Daphnes Laureolae L. et Fructus ovales rubri, siccati nigri, nitentes Daphnes Gnidii L., qui vera Coccognidia (v. Cortex Mezerei l. cit.) in Europa meridionali pariter nominibus supra memoratis, colliguntur. Iisdem praediti virtutibus.

SEMEN COCHLEARIAE. Löffelkrautsamen. *Semence de Cranson* ou *de Cochléaria.* — *Cochleariae officinalis* L. (v. Herba p. 100.) Semina parva, subglobosa, fusca; inodora, sapore acri pungente lepidino. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue et aethereum acre (vel potius elementa ex quibus aquae ope oleum aethereum acre prodit). — *Vis* et *Usus:* Herbae. — Semen recens acerrimum, deficiente Herba, ad parandum Spiritum Cochleariae aptum.

SEMEN COFFEAE, Fabae Coffeae, Caffe, Coffe. Kaffee oder Koffee, Kaffebohnen oder Kaff.samen. *Café, Semence de Café.* — *Coffeae arabicae* L. (Cl. cet. v. Cortex Chinae p. 32.), arboris Arabiae felicioris, in utraque India cultae, Fructus baccati, cerasi adspectu, bispermi, Semina ovalia convexo-plana, arillo papyraceo, facili solutu cincta. — In commercio prostant nuda, in latere plano sulco longitudinali exarata, sordide flavescente-cinerea, vel virescentia, plus minus in fuscum ducentia. Plures sunt varietates quoad magnitudinem et colorem. Optima censentur, arabica, praecipue e Mokka seu Mocha advecta, ceterum aliae quoque species, si sanae et maturae, ad usum medicum aptae. Perdura sunt Semina, odore debili proprio, et sapore dulciusculo-subacerbo, parum amaro; si autem caute torrentur nidores fortes, grate aromaticos emittunt, et saporem grate amarum assumunt. — *Part. const. praev.:* Caffeum et Acida duorum generum (?). — *Vis:* febrifuga, Coffeae tostae excitans, nervina, analeptica, praecipue pro antidoto habetur in opii effectum noxium narcoticum. — *Usus:* In pulvere et infuso, praecipue e Coffea tosta. — *Praep.:* Tinctura, Acetum, Potio et Tisana febrifuga, Caffeum. — Usus diurnus pro potu ordinario notissimus.

† SEMEN COLHICI. Zeitlosensamen. *Semence de Colchique.*

Synon.: Semen Croci pratensis. Wiesensafransamen, Lichtblumensamen. *Semence de Mort au Chien.*

Colchici autumnalis L. (v. Flores p. 65. et Radix p. 231.) Semina matura mense Majo vel Junio colligenda, parva, globosa, seminis Milii magnitudine, obscure fusca, opaca, rugoso-aspera, basi propagine albido umbilicali praedita, perdura, tenacia, difficillima in pulverem redactu; inodora, sapore nauseoso peramaro et subgutturali. — *Part. const. praev.:* Colchicium et Oleum pingue. — *Vis:* drastica, purgans, narcotica, in majori dosi facile nociva; inflammationem in canali intestinali, colicam et ipsam mortem efficientia.

Sint semina matura, obscure fusca, ponderosa, immatura autem, pallida, ferruginea, corrugata, rejiciantur. Confusio cum aliis seminibus similibus facile ex descriptione et praecipue sapore nauseoso peramaro, subacri, patebit.

Usus: In substantia vel infuso raro, cautissime in parva dosi adhibendum. — *Praep.:* Tinctura, Vinum, Spiritus ammoniatus, Colchicium.

SEMEN COLOCYNTHIDUM. Koloquinten-Samen oder Kerne. *Semence de Colocinthe.* — *Cucumeris Colocynthidis* L. (v. Colocynthides p. 48.) Semina ovata, obtusa, compressa, 2 lineas circiter longa, margine obtuso, albida, glabra; inodora et fere insipida, mucilaginosa et oleosa. — Hodie exoleverunt.

SEMEN CONII v. Semen Cicutae (p. 314.).

SEMEN CONSOLIDAE REGALIS v. Semen Calcatrippae (p. 311.).

SEMEN CORIANDRI. Koriandersamen. *Semence de Coriandre.*

Synon.: Semen Coriandri vulgaris seu sativi, Semen Anethi cimici. Würzkoriander, Schwindelkörner, Wanzendillsamen.

Coriandri sativi L. (Fl. Bad. I. 692. — Cl. cet. v. Herba Cicutae p. 108.), plantae annuae Europae australis et Orientis passimque Germaniae, inter segetes, et cultae, caule erecto superne ramoso, glabro, foliis inferioribus pinnatis, foliolis orbicularibus inciso-serratis, superioribus bipinnatis, foliolis 3-partitis, ovatis, basi attenuatis, laciniis summis linearibus, umbellis terminalibus mediocribus, 3 — 5 radiatis, involucro subnullo, involucellis dimidiatis, 3-phyllis, floribus radiantibus, rubellis vel albis (tota planta odorem foetidum cimicinum spargit), **Fructus.** — Diachaenae globosae piperis albi fere magnitudine, pallide cinereo-flavescentes, leviter 10-striato-costatae, solidae, valleculis tribus lineis flexuosis praeditis, carpellis arcte cohaerentibus, planis commissuralibus concavis albidis; siccatae odore forti grate aromatico, uti et sapore. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* excitans, stomachica, carminativa.

Sit semen pallide flavescens, valde aromaticum; fuscum autem vel corrugatum, aut ab insectis corrosum, aromate egens, rejiciatur. — Cave confundas cum Semine Coccognidii.

Usus: In pulvere, infuso. — *Praep.:* Confectio, Oleum aethereum et Aqua. Additur aliis quoque compositionibus.

SEMEN CORIDIS. Meer-Korissamen. *Semence de Coris de Montpellier.* — *Coridis monspeliensis* L. (v. Herba p. 112.) Semen. — Hodie exolevit.

SEMEN vel potius BACCAE CORRUDAE. Spitzblätterige Spargelsamen. *Semence d'Asperge sauvage.* — *Asparagi acutifolii* L. (v. Rad. p. 234.) Fructus et Semina, fructibus et seminibus Asparagi (p. 310.) similia. — Apud nos non adhibetur.

SEMEN COSTI HORTORUM v. Semen Balsamitae (p. 311.).

SEMEN CUCUMERIS, Cucumeris sativi. Gurken oder Kukumern-Samen oder Kerne *Semence de Concombre,* — *Cucumeris sativi* L. (v. p. 55.) Semina oblongo-ovata, compressa, 2 1/2 — 3 lineas longa, margine acuto, albida, subflavescentia, sub membrana coriaceo-papyracea nucleum oleosum includentia; inodora, sapore dulciusculo-oleoso. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus:* Sequentis. — Seminibus 4 frigidis majoribus adnumerabatur. — Hodie rarissime adhibetur. Semen vetustum, cariosum et rancidum rejiciatur.

SEMEN CUCURBITAE seu PEPONIS. Kürbis-Samen oder Kerne. *Semence de Courges.* — *Cucurbitae Peponis* L. (Fl. Bad. IV. 689. — Cl. cet. praeced.), plantae annuae, India orientali oriundae, apud nos crebro cultae, caule repente, scandente, ramoso, foliis petiolatis magnis, cordatis, obtusis, 5-lobis, denticulatis, asperis, fructibus maximis, subglobosis, oblongis, retusis, flavis, viridibus, glabris (variat colendo quam maxime fructus magnitudine, figura, colore) carne succulenta refrigerante dulciuscula. Semina ovalia basi contracta et producta, compressa, ½ — 1 pollicem longa, margine incrassato cincta, albida, subflavescentia, sub membrana coriacea nucleum externe virescentem, intus albidum includentia, sapore dulciusculo-oleoso. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue. — *Vis:* demulcens. — *Usus:* In emulsione cum saccharo. — *Praep.:* Oleum pingue. Seminibus 4 frigidis majoribus adnumerabatur. Ejus loco Semina quoque Cucurbitae Lagenariae L. (Fl. Bad. IV. 688.), plantae pariter orientalis, nobis cultae, foliis late cordatis, 3-lobis, obtusangulis, denticulatis, pubescentibus, basi biglandulosis et fructibus clavatis, cortice lignoso, colliguntur; quae sub-linearia, basi contracta, apice truncata, utrinque bisulcata, colore cinereo, plus minus in flavescentem vel fuscum abeunte, praecedentibus duriora, ceterum similibus proprietatibus praedita. -- Semina vetusta, rancida vel cariosa rejiciantur.

SEMEN CUMINI seu CYMINI, Cumini romani, Semen carvi romani seu Foeniculi orientalis. Römischer Kümmel, langer Kümmel, Mutterkümmel,

Haferkümmel, Kreuzkümmel, welscher Kümmel, Pfaffenkümmel, Pfefferkümmel. *Semence de Cumin, Cumin de Prés.* — *Cumini Cymini* L. (Cl. cet. v. Semen Carvi p. 312.), plantae annuae Graeciae, Aegypti, in Europa australi cultae, Fructus.— Diachaenae ovatae, utrinque attenuatae, 2½ lineas longae et ¾ lineam circiter crassae, a latere subcontractae, griseo-flavescente-fuscae, solidae, costis aequalibus parvis, breviter setosis et costis accessoriis 4 prominulis, centrotis pallidioribus, praeditae, valleculis univittatis; odore forti subnauseoso-aromatico et sapore peracri cuminino. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum. — *Vis*: calefaciens, carminativa, dissolvens, diuretica. — *Usus*: In pulvere, infuso. — *Praep.*: Oleum aethereum, Aqua, Emplastrum. Additur aliis quoque compositionibus et Seminibus 4 calidis majoribus adnumerabatur. Semen cariosum, aromate egens, rejiciatur.

SEMEN CUMINOIDIS seu CUMINI SILVESTRIS. Kümmelartiger Federknopfsamen. *Semence de Cumin sauvage.* — *Lagoeciae cuminoidis* L. (v. Herba p. 113.) Fructus.— Caryopsides calyce coronatae. — Proprietates Herbae possidet sed apud nos pariter non adhibetur.

SEMEN CYANI. Blaue Kornblumensamen. *Semence de Bluet.* — *Centaureae Cyani* L. (v. Flor. p. 65. et Radix p. 235.) Fructus. — Achaenae parvae, oblongae, pappo brevi setaceo, annulo deciduo insidente, coronatae. — In pharmacopoea hispanica receptum, apud nos non adhibetur.

SEMEN CYDONIORUM. Quittenkerne. *Semence de Coins.*

Synon.: Grana Cydoniorum, Semen Cotoniae. Quittensamen, Küttenkerne. *Grains de Coins.*

Pyri Cydoniae L. (v. Cydonia p. 56.) Semina ovata, subcompressa, convexo-plana, passim irregulariter angulosa, 2 — 2½ lineas circiter longa, fusca, adspectu seminum mali, sed opaca et indumento incano subdiaphano mucilaginis obvoluta; inodora et fere insipida, in ore autem multum mucilaginis praebentia, item si in aquam immittuntur; sub membrana fusca nucleum album oleosum includentia. — *Part. const. praev.*: Mucilago et Oleum pingue. — *Vis*: demulcens, involvens.

Semina corrugata vel cariosa, vetusta rejiciantur. Cave confundas cum seminibus pyri vel mali, quae nitentia, indumento mucilaginoso carent.

Usus: In infuso, ad parandum mucilaginem, minus apte in decocto. Additur aliis quoque compositionibus.

SEMEN CYNAE v. Semen Cinae (p. 314.).

SEMEN CYNOSBATI, Rosarum silvestrium. Hainbutten- oder Hagenbutten-Samen oder Körner. *Semence de Grattes-Culs, de Cynorrhodons.* — *Rosae caninae* L. (v. Cynosbata) Semina vel potius Carpella nuculacea, a lanugine setaceo, urente, sedulo liberanda, angulosa, 1—2 lineas longa, flavescentia, glabra, perdura; inodora et insipida. — *Vi* diuretica et lithontriptica praedicantur. — *Usus*: In pulvere, infuso vel decocto. — Hodie raro adhibetur.

SEMEN DAUCI CRETICI, Candiani seu Myrrhidis annuae. Möhrenkümmel, cretischer Vogelnest-Samen. *Semence de Carotte de Crète* ou *d'Athamante de Crète.* — *Athamantae cretensis* L. (Fl. Bad. I. 544. — Cl. cet. v. Ammoniacum p. 5.), plantae perennis montanae Europae australis et Orientis passimque Germaniae meridionalis, Helvetiae, Tyrolis, caule humili subsimplici, striato-incano, foliis 2—3 plicato-pinnatifidis, laciniis linearibus angustis, villoso-incanis, umbellis terminalibus mediocribus, radiis tomentoso-villosis, rigidis, flosculis albis, Fructus. — Diachaenae oblongae, subcylindricae, 3 circiter lineas longae et ½ lineam crassae, a latere paullum compressae, apice attenuatae, flavescente-griseae, dense albido-villosae, solidae, costis tenuibus filiformibus et valleculis 3—1 vittatis praeditae; odore fragrante grate aromatico origanino et sapore grate aromatico subdaucino. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum. — *Vis*: excitans, carminativa, diuretica, emmenagoga. — *Usus*: In pulvere, infuso. Admiscetur Theriacae, Mithridatio, Electuario Philonii romani

et aliis compositionibus pristinis. — Hodie semen efficax immerito vix adhibetur. Semen vetustum autem, cariosum, omnino rejiciatur.

SEMEN DAUCI VULGARIS, germanici, Pastinacae silvestris. Wilder Möhren- oder Vogelnest-Samen, Karottensamen. *Semence de Carotte sauvage, de Panais.* — *Dauci Carotae* **L. (v. Rad. p. 236.) Fructus, a planta inculta sumendi. — Diachaenae ovales, a dorso subcompressae, fuscae, solidae, facile in carpella convexa, costis 5 filiformibus setaceis et 4 secundariis uniserialibus, cristato-aculeatis, 4-vittatis, vittis 2 commissuralibus praeditae, dilabentes; odore forti proprio aromatico uti et sapore peracri. —** *Part. const.* **et** *Vis:* **praecedentis; paullo minus tamen aromaticae. —** *Usus:* **Idem. Seminibus 4 calidis minoribus adnumerabatur. Hodie, forsitan immerito, vix adhibetur.** In media umbella Dauci Carotae saepius invenitur concrementum coccineum carnosum ex flosculis sterilibus ortum. Avicula in nido, Vögelein im Nest, quae dicitur, quae ad epilepsiam commendabatur; jamdudum autem merito exolevit.

SEMEN DIGITALIS. Fingerhutsamen. *Semence de Digitale pourprée, de Gentelée.* — *Digitalis purpureae* **L. (v. Flor. p. 65. et Herba p. 114.) Semina minuta, oblonga, compresso-sub-4-gona, ½ lineam vix longa, fusco-ferruginea, opaca, sub lente punctata; inodora, sapore nauseoso-peramaro. —** *Part. const. praev.:* **Digitalium et Oleum pingue. —** *Vis* **et** *Usus:* **Herbae. — Semen hoc sane efficacissimum, adhuc vix pro medicamento usurpatum, quod in medicinam introducatur omnino dignum.**

SEMEN EBULI. Attichsamen *Semence d'Yèble.* — *Sambuci Ebuli* L. (v. Baccae p. 15.) Semina parva, oblongo-ovata, convexo-plana, lineam circiter longa, rufescentia, rugulosa; inodora et fere insipida, oleosa. — Olim hydragogis adscribebatur; urinam movens. Oleum pingue expressum *Vi* purgante et emetica praeditum, contra philtra laudabatur. Hodie exolevit.

SEMEN EMPETRI. Schwarze Rauschbeerensamen. *Semence de Camarine.* — *Empetri nigri* L. (v. Herba p. 115.) Semina. — Hodie exolevit.

SEMEN ENDIVIAE, Scariolae seu Intybi hortensis, Cichorii latifolii. Endiviensamen. *Semence d'Endive, de Scariole.* — *Cichorii Endiviae* L. (v. Herba p. 115.) Fructus. — Achaenae oblongae, parvae, albidae vel nigrescentes, Semini Cichorei (p. 313.) similes. — Ut refrigerans cet. ictericis et hepaticis praescribebatur, Seminibus 4 frigidis minoribus adnumerabatur. Hodie exolevit.

SEMEN ERUCAE v. Sem. Sinapis albae (p. 330.).

SEMEN ERUCAE SATIVAE. Raukenkohl-, Senfkohl-Samen. *Semence de Roquette.* — *Brassicae Erucae* L. (v. Herba p. 116.) Semina subglobosa, flava, Sinapi alba (p. 330.) paullo majora. — *Part. const. Vis* et *Usus:* Seminis Sinapis albae. — Apud nos autem vix adhibetur.

SEMEN ERUCAGINIS. Senfblätteriger Zackenschotensamen. *Semence de Roquette sauvage.* — *Buniadis Erucaginis* L. (v. Herb. p. 116.) Semina acria, oleosa. — Pari modo atque praecedens passim adhibetur.

SEMEN ERYSIMI VULGARIS seu IRIONIS. Gemeiner Wegsenf, gelben Eisenkrautsamen *Semence de Vélar des boutiques, aux Chartres.* — *Erysimi officinalis* L. (*Sisymbrii officinalis* SCOP. — v. Herba p. 116.) Semina minuta, ovalia, linea longitudinali exarata, fusca, acria, uti sinapis, — et pari modo adhiberi potest.

SEMEN FABARUM v. Fabae (p. 58.).

SEMEN FAGOPYRI. Buchwaizen, Heidekorn *Semence de Sarrasin, de Blé noir.* — *Polygoni Fagopyri* L. (Fl. Bad. II. 181. — Cl. cet. v. Herb. Centumnodii p. 105.), plantae annuae Asia oriundae, nobis cultae, caule erecto, geniculato, superne ramoso, uno latere piloso, foliis sagittato-cordatis, glabris, floribus axillaribus et terminalibus, racemoso-paniculatis, albis vel rubellis, Fructus. — Caryopsides triquetrae, angulis aequalibus integerrimis, non membranaceis, obscure fuscae, nitentes, intus albae, farinosae. — *Part. const. praev.:* Farina. — *Vis:* valde nutriens. — *Usus:* diaeteticus. Farina passim ad cataplasmata praescribitur. Semen mundatum crassius molitum, Polenta Fagopyri, Heidegrütze, in jusculo aegrotis nutriendi ergo commendatur. — Pari modo Fructus Polygoni emarginati L. et Polygoni tatarici L. adhibetur.

SEMEN FOENICULI. Fenchelsamen. *Semence de Fenouil.*

Synon.: **Semen Marathri. Fenchel oder Fönchel.**

Foeniculi vulgaris GAERTN. (*Anethi Foeniculi* L. — Fl. Bad. I. 718. — Cl. cet. v. Ammoniacum p. 5.), plantae biennis et perennis Europae australis passimque Germaniae, locis asperis lapidosis, vineis cet. et cultae, caule erecto, 3—7 pedali, ramoso, tenerrime striato, glabro, glauco, umbellis terminalibus amplis, involucro et involucello nullo, flosculis parvis luteis, (conf. et Herb. p. 119. et Rad. p. 241.) Fructus. — Diachaenae oblongo-ovales, subrotundae, solidae, facile dilabentes, unde plerum-

que disjunctae prostant, Carpella exhibentes convexo-plana, costis 5 obtuse carinatis, marginalibus sublatioribus, valleculis univittatis, commissura 2-vittata; colore sordide virescente-griseo, subfusco. — Distinguitur: 1) Semen Foeniculi dulcis, cretici seu romani, süßer Fenchel, cretischer oder römischer Fenchel, *Semence de Fenouil doux*, quod majus, magis oblongum, 2—2½ lineas longum, colore magis cinereo-spadiceo, costis pallidioribus subflavescentibus; 2) Semen Foeniculi vulgaris, germanici, gemeiner deutscher Fenchel, *Fenouil commun*, Carpella exhibens minora, magis ovalia, 1½ lineas vix superantia, magis fuscescentia vel virescentia. — Fructus Foeniculi durus, paullum tenax, oleosus; odore grate aromatico, uti et sapore, simul dulci, anisino. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum (Foeniculum dulce plerumque uberius oleo aethereo). — *Vis:* carminativa, calefaciens, galactopoietica.

Sit Foeniculum maturum, plenum, oleo aethereo turgens; corrugatum autem, vel ab insectis corrosum, parum aromaticum, rejiciatur.

Usus: In substantia, infuso; speciebus cet. admiscetur. — *Praep:* Oleum aethereum, Aqua, Syrupus; Confectio, Pulvis nutricum et additur aliis compositionibus.

SEMEN FOENICULI AQUATICI v. Semen Phellandrii (p. 327.).

SEMEN FOENUGRAECI. Bockshornsamen. *Semence de Fenugrec.*

Synon.: Semen Foenigraeci. Griechisch Heu-Samen, Kuhhornsamen.

Trigonellae Foenugraeci L. (Fl. Bad. IV. 570. — Cl. cet. v. Rad. Liquiritiae p. 257.), plantae annuae Europae australis passimque apud nos quoque cultae, caule erecto, sub-ramoso, foliis 3-natis, foliolis oblongis, truncatis, apice serrulatis, glabris, floribus axillaribus solitariis, binis, sessilibus, parvis, sub-papilionaceis, lutescentibus, leguminibus longis sub-falcatis compressis, Semina compresso-subquadrigona, 1—2 lineas longa et lineam circiter lata, utrinque oblique truncata, et uno latere sulco obliquo exarata, laete vel obscure flavo-fusca, vel rubro-fusca, glabra, intus lutea, perdura, difficilia in pulverem redactu, integra; fere inodora, trita autem odorem fortem nauseosum, submelilotinum spargentia, sapore nauseoso-amaro, farinoso; cum aqua fervida infusa multum mucilaginis praebentia. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum (?) et pingue, Mucilago et Principium amarum. — *Vis:* emolliens, discutiens, anodyna, confortans.

Semina integra emenda; pulvis enim emalis saepius rancidus et adulteratus prostat.

Usus: Ad cataplasmata et clysmata. Praecipue autem a veterinariis praescribitur. — *Praep.:* Pulvis Equorum, Oleum Mucilaginis, additur emplastris et unguentis ut: Emplastro diachylo, Unguento Althaeae cet. — Pulvis ad pediculos pellendos capiti inspergitur.

SEMEN FRAXINI, Linguae avis, Ornithoglossa. Eschensamen, Eschenbaumsamen, Aeschen- oder Aschen-Samen, Vogelzungen. *Semence de Frêne.* — *Fraxini excelsioris* L. (v. Cort. p. 47. et Folia p. 76.) Fructus. — Samarae oblongae, ovatae, compressae, planae, 1½ pollicem circiter longae et 3 lineas latae, flavescentes vel fuscescentes, sub pericarpio sicco foliaceo-membranaceo semen oblongum angustum, flavo-fuscum; quod mundatum per se quoque asservatur, includentes; sapore amaro-adstringente et acri, praecipue seminis. — *Part. const. praev.:* Principium amarum et adstringens. — *Vis:* diuretica, lithontriptica (?), antiarthritica (?), aphrodisiaca (?). — *Usus:* In pulvere et decocto, speciebus admiscetur.

SEMEN GALEGAE. Geißrautensamen. *Semence de Galéga officinal.* — *Galegae officinalis* L. (v. Herba p. 119.) Semina oblongo-reniformia, 2 lineas longa, flavescentia, glabra. — Hodie exoleverunt.

SEMEN GALEGAE NEMORENSIS VERNAE. Früh-Bergerbse. *Semence d'Orobe printannier.* — *Orobi verni* L. (Fl. Bad. III. 169. — Cl. cet. v. Herba Meliloti p. 133.), plantae perennis indigenae silvaticae, caule erecto simplici anguloso, foliis abrupte pinnatis, foliolis ovato-lanceolatis, 3-nerviis, stipulis integerrimis, floribus racemosis, longe pedunculatis, violaceo-purpureis, leguminibus teretibus rectis. Semina parva subglobosa, fusca, farinosa. — Hodie exolevit.

SEMEN GENISTAE ANGULOSAE, Scopariae seu Spartii. Ginster- oder Genisten-Samen, Künschottensamen, Pfriemensamen. *Semence de Genêt commun, Semence de Scopaire.* — *Genistae scopariae* LAM. (*Spartii scoparii* L. — v. Flor. p. 66. et Herba p. 120.) Semina ovali-orbicularia, subcompressa, basi truncata, seminis Lini fere magnitudine, laete fusca, plus minus in flavescens vel virescens abeuntia, glabra, nitentia; inodora, sapore nauseoso-amaro. — *Vis:* emetica, purgans, diuretica. — Olim in hydrope cet. laudabatur. Hodie, forsitan immerito, rarissime adhibetur.

SEMEN GENISTAE HISPANICAE. Spanischer Ginstersamen. *Semence de Genêt d'Espagne.* — *Genistae junceae* SCOP. (*Spartii juncei* L. — v. Herba p. 120.) Semina praecedentium simillima. — Hodie apud nos exoleverunt.

SEMEN GENISTAE TINCTORIAE L., Färberginstersamen, *Semence de Genêt des Teinturiers,* (v. Herba p. 120.) Semina praecedentibus similia, sed paullo minora, virescente-glabra; sapore nauseoso-amaro. — *Vis* et *Usus*: praecedentium. Sed pariter hodie vix adhibetur.

SEMEN GENTIANAE CHIRAITAE ROXB., Chiraitasamen, *Semence de Chiratta,* (v. Rad. p. 244), — in patria ut vermifugum cet. adhibetur.

SEMEN GIRAUMONT, Giraumont seu Giraumon, Giromon, Cheromon. — *Cucurbitae occidentalis* L. (?) Semina, seminibus Cucurbitae similia, sed minora; inodora, sapore mucilaginoso-oleoso, amariusculo. — In India occidentali ut vermifugum, contra taeniam adhibetur. — Nomine Giraumon vert d'Espagne in Gallia alia semina cucurbitacea, nostris majora, venduntur. — Apud nos non adhibetur.

SEMEN GOSSYPII v. Semen Bombacis (p. 311.).

SEMEN GRAMINIS MANNAE, Manna coelestis. Mannagrütze, Himmelsthau, Schwaden. *Semence de Fétuque flottante.* — *Glyceriae fluitantis* R. BR. (*Festucae fluitantis* L. — Fl. Bad. I. 221. — Cl. cet. v. Avena p. 12.), graminis perennis, in aquis stagnantibus, paludibus, rivulis, pratis humidis, passim vulgaris, caule geniculato, radicante, obliquo, passim natante vel erecto ramoso, foliis linearibus longis, glabris, panicula ramosa, florente planta patente-erecta, ante et post anthesin contracta, spiculis cylindricis longis, subsessilibus, muticis, Fructus. — Caryopsides parvae, nudae, oblongae-bicornes, olivaceae, vel fuscae, nitidae. Mundatae quoque prostant; semina exhibentes minuta, oblongo-ovata, ¾ lineam vix longa, subcompressa, alba, subdiaphana, basi oblique excavata; sub lente Oryzae mundatae (p. 204.) figuram referentia; perdura, subcornea; sapore dulciusculo-farinoso. — *Part. const. praev.:* Farina et Saccharum. — *Vis:* nutriens, demulcens. — *Usus:* diaeteticus; aegrotis, reconvalescentibus, tanquam cibus sapidissimus et facilis concoctu commendatur. Externe ut emolliens applicatur. — Semen, Oryzae praeferendum, medicorum attentione magis dignum

SEMEN GRAMINIS SANGUINARII, Ischaemi. Bluthirse, wilde Hirse, Himmelsthau. *Semence de Panic sanguin.* — (*Panici sanguinalis* L., *Digitariae sanguinalis* SCOP., *Syntheresmatis vulgaris* SCHRAD. — Fl. Bad. I. 129. — Cl. cet. praecedentis), graminis annui, ad vias, in agris, vineis cet. vulgaris, caule erecto, adscendente, procumbente et prostrato, ramoso, vaginis longe pilosis, punctatis, spiculis digitatis linearibus, glabriusculis, saepius violaceis, flosculis muticis, Fructus. — Caryopsides minutae, tectae, ovali-oblongae, compressae, luteolae. — Praecedentis fere Vires habet. — Sed hodie exolevit.

SEMEN GRANATI seu GRANATORUM, Mali punicae. Granaten-Samen oder Körner. *Se-*

mence de Grenades. — *Punicae Granati* L. (v. Cortex p. 47. et Granata p. 85.) Semina oblonga, gibboso-acuminata, violaceo-rubra; sapore acerbo. — Hodie exolevit.

SEMEN HELIANTHI. Sonnenblumensamen *Semence d'Hélianthe, de Tournesol.* — *Helianthi annui* L. (Fl. Bad. III. 492. — Cl. cet. v. Herba Helianthi tuberosi p. 246.), plantae annuae speciosae Americae meridionalis, nobis cultae, caule crasso, firmo, 4—12-pedali, superne subramoso, hirto uti et folia petiolata magna, late cordato-ovata, grosse serrata, 3-nervia, floribus (calathiis) terminalibus maximis, pedunculis incrassatis insidentibus, cernuis, flosculis radii luteis, disci nigro-fuscis, squamis calycis (periclinii) foliaceo squarrosis, receptaculo (anthoclinio) paleaceo, Fructus. — Achaenae oblongae, obtusae, compresso-4gonae, 3 lineas circiter longae, paleis duabus lanceolatis, deciduis coronatae, nigrescentes vel cinereae, nucleum albidum oleosum includentes; inodorae, sapore miti oleoso. — *Vis:* nutriens, demulcens. — *Usus:* diaeteticus; ad parandum Oleum expressum. — In America ex seminibus his panis coquitur et aliae cibi formae parantur.

SEMEN HELIOTROPII seu VERRUCARIAE. Sonnenwendesamen, Scorpionsschwanzsamen u. s. w. *Semence d'Héliotrope, de Tournesol, aux Verrues.* — *Heliotropii europaei* L. (v. Herba p. 123.) Fructus. — Caryopsides nuculaceae, parvae, ovatae, acuminatae, rugoso-granulatae, pubescentes, immaturae cohaerentes, maturae dilabentes, basi imperforatae. — Hodie exolevit.

SEMEN HORDEI v. Hordeum p. 161.).

SEMEN HORMINI. Scharlachkrautsamen. *Semence d'Orvale, d'Ormin ou de Sauge-Hormin.* — *Salviae Hormini* L. (v. Herba p. 124.) Fructus. — Caryopsides nuculaceae parvae, glabrae, mucilaginosae, amariusculae. — Olim in ophthalmia adhibebatur. — Hodie exolevit.

† SEMEN HYOSCYAMI. Bilsensamen. *Semence de Jusquiame.* — *Hyoscyami nigri* L. (v. Herba p. 125. et Rad. p. 249.) Semina minuta, capsulam urceolatam operculatam bilocularem, calyce cinctam implentia, compressa, orbiculari-subreniformia, eleganter tuberculoso-rugosa, cinerea, plus minus laete flavescente-fusca, fere inodora; sapore nauseoso-amariusculo, subacri, oleoso; aqua si humectantur, color primum obscurior fit, postea, si leviter tantum siccata apparent, colorem albidum assumunt. — *Part. const. praec.:* Hyoscyamium et Oleum pingue. — *Vis:* narcotica uti Herbae, eaque praestantiora (?). — *Usus:* In pulvere interne caute, parva dosi. — *Praep.:* Oleum expressum, Hyoscyamium. Admiscetur Pilulis de Cynoglosso, Philonio Romano, et aliis compositionibus.

† SEMEN HYOSCYAMI ALBI L. Weißer Bilsensamen *Semence de Jusquiame blanche* (v. Herba p. 125.) Praecedenti est simillimum, nisi quod est colore pallidiore. Iisdem gaudet virtutibus eodemque modo adhibetur.

SEMEN HYPECOI. Krummkümmelhornsamen. *Semence de Hypécoum* (v. Herba p. 126.). In capsula siliquiformi articulata, cornu arietis instar arcuata, inclusum. — Vires habet Herbae et pari modo, apud nos vero non, adhibetur.

SEMEN HYPERICI. Johanniskrautsamen *Semence de Millepertuis.* — *Hyperici perforati* L. (v. Flor. p. 66.) Semina minuta, oblongo-cylindrica, ex rufo-fusca; sapore amaro, balsamico-resinoso. — Olim pro vulnerario, diuretico, antinephritico et praecipue egregio anthelmintico habebatur. Hodie, forsitan immerito, vix adhibetur.

SEMEN HYSSOPI. Ysopsamen. *Semence d'Hysope.* — *Hyssopi officinalis* L. (v. Herba p. 126.) Fructus. — Caryopsides nuculaceae parvae, subovato-3gonae. Hodie exolevit.

SEMEN JUNCI FLORIDI. Blumenbinsen, Wasserviolen Samen. *Semence de Jonc fleuri.* — *Butomi umbellati* L. (v. Rad. p. 254.) Semina parva, oblongo-cylindrica, utrinque obtusa. — Hodie exolevit.

SEMEN JUNCI MAXIMI seu SCIRPI MAJORIS. Große Sumpfbinsensamen *Semence de Jonc le plus grand.* — *Scirpi lacustris* L. (v. Rad. p. 254.) Fructus. — Caryopsides nuculaceae parvae, obtuso-3gonae, spice acutae, flavescentes. — Hodie exolevit.

SEMEN LABLAB. Aegyptischer Fasel- oder Lablabsamen. *Semence de Lablab.* — *Dolichi Lablab* L. (Cl. cet. v. Fabae p. 58.), plantae annuae scandentis, Phaseoli facie, Semina ovalia, nigra, Fabis p. 58.) similia, strophiola incurva alba praedita. — *Part. const. praec.* et *Vis:* Fabarum similis. — Crebro in patria pro nutrimento inservit; in morbis pectoris commendatur, et cum croco commixtum ad menstrua promovenda datur. Apud nos non adhibetur.

SEMEN LABURNI. Bohnenbaumsamen, Baumerbsen. *Semence d'Aubours.* — *Cytisi Laburni* L. (v. Folia p. 77.) Semina, Fabis Phaseoli similia, sed minora, subreniformia, obscure viridia, matura fere nigra, nitentia, umbilico insigniore, parte extremo latiore magis approximato, praedita; inodora, sapore nauseoso-amaro; tinctura iodi semen colore non nisi fusco imbuit. — *Part. const. praec.:* Cytisinum. — *Vis:* emetica, purgans, drastica, facile nociva. Semen sane efficax medicorum attentione dignum.

SEMEN LACRYMAE JOBI seu LACRYMA JOBI. Hiobsthränen. *Larme de Job.* — *Coicis Lacrymae* L. (Cl. cet. v. Flor. Mays. p. 68.), graminis cerealis annuae Indiae orientalis, in Europa meridionali passim cultae, Fructus. — Caryopsides tectae ovatae, rostratae vel inverse turbinatae, pisi magnitudine, albidae, glabrae, splendentes, osseae; sub cortice perduro nucleum membrana tectum rotundum, rufescentem, sapidum, farinosum includentes. — Olim in phthisi pulmonali, hydrope cet. laudabatur. Hodie exolevit. Pro nutrimento inservit, uti reliqua frumenta.

SEMEN LACTUCAE, Lactucae sativae. Lattichsamen, Salatsamen *Semence de Laitue.* — *Lactucae sativae* L. (v. Herba p. 127.) Fructus. — Achaenae parvae ovatae, oblongae, compressae, plerumque cinereo-argenteae, pappo stipitato piloso, facile deciduo, coronatae; immaturae odore sub-narcotico, maturae inodorae, sapore oleoso. — Olim ut refrigerans biliosis praescribebatur. — *Praep.:* Nuper Aqua destillata, solummodo ex seminibus immaturis paranda. Seminibus 4 frigidis minoribus adnumerabatur.

SEMEN LACTUCAE VIROSAE L. seu INTYBI ANGUSTI, Giftlattichsamen, *Semence de Laitue vireuse,* (v. Herba p. 128.) Achaenae praecedentium simillimae sed colore nigro, immaturae odore nauseoso herbae; maturae inodorae, sapore oleoso. — Hodie vix adhibetur.

SEMEN LAPATHI ACUTI. Grindwurzel- oder Mangelwurzel-Samen. *Semence de Patience.* — *Rumicis obtusifolii* L. (v. Rad. p. 254.) Fructus. — Caryopsides ovatae,

triangulares, vix lineam longae, laete fuscae, nitentes, Seminis Acetosae (p. 307.) simillimae; sapore amaro et peradstringente; tinctura iodi semen colore atro-coeruleo imbuit, infusum aquosum frigidum decolor liquoris ferri muriatici oxydati ope nigro-viride et spiritus salis ammoniaci caustici ope sensim colore subrubicundo coloratur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens, Rumicinum (?) et Amylum. — Olim ut adstringens, alvi fluxum dolentem sopiens, alexipharmacum cet. laudabatur. — Hodie immerito vix adhibetur. Medicorum attentione autem omnino dignum.

SEMEN LAPATHI AQUATICI. Wasserampfer- oder Wassergrindwurzel-Samen. *Semence de Patience d'Eau, de Rhubarbe sauvage.* — *Rumicis aquatici* L. et *Rumicis Hydrolapathi* HUDS. (v. Rad. p. 255.) Fructus. — Caryopsides praecedentium similes, sed paullo majores. — Iisdem praeditae virtutibus. Nuper in diarrhoea et dysenteria optimo cum successu adhibebatur.

SEMEN LAPPAE MAJORIS v. Semen Bardanae (p. 311.).

SEMEN LAPPAE MINORIS seu BARDANAE MINORIS, Semen Xanthii. Spitzkletten-, Kropfkletten-, Bettlerlaus-Samen. *Semence de Lampourde glouteron.* — *Xanthii strumarii* L. (v. Herba p. 128. et Rad. p. 255.) Semina, in capsula oblongo-ovali, aculeis hamatis praedita, biloculari, inclusa, oblonga, glabriuscula, nigrescentia, sub cuti membranacea nucleum albidum oleosum continentia; sapore oleoso subacri. — Hodie exolevit.

SEMEN LAVENDULAE. Lavendelsamen. *Semence de Lavande.* — *Lavandulae angustifoliae* et *Lav. latifoliae* EHRH. (v. Flor. p. 66.) Fructus. — Caryopsides nuculaceae minutae, ovatae. In partu difficili et laboroso mirum citumque auxilium praestare dicuntur. — Hodie exolevit.

SEMEN LENTIS, seu Lentillii v. Lens (p. 169.).

SEMEN LEVISTICI. Liebstöckelsamen. *Semence de Levèche.* — *Levistici officinalis* KOCH (v. Rad. p. 255.) Fructus. — Diachaenae oblongo-ovales, a dorso subcompressae, 2 lineas circiter longae, solidae, fuscae, glabrae, carpellis margine hiantibus, facile dividuis, costis dorsalibus alatis, lateralibus duplo latioribus, valleculis univittatis, plano commissurali 2—4 vittato; odore et sapore fragrante aromatico, radicis simili, sed fortiore. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* radicis, magis autem excitans. — *Usus:* In pulvere, infuso. — Hodie rarius adhibetur, quam meretur.

SEMEN LILAC v. Fructus (p. 62.).

SEMEN LIMONII v. Sem. Behen rubri (p. 311.).

SEMEN LINI. Leinsamen. *Semence de Lin.*

Lini usitatissimi L. (Fl. Bad. I. 755.), e cl. Pentandria, ord. Monogynia, fam. Linearum, plantae annuae indigenae et crebre cultae, notissimae, Semen oblongo-ovatum, acutum, compressum, $1\frac{1}{2}$ 2 lineas longum, margine acuto, fuscum, splendens, glaberrimum, sub membrana tenaci nucleum albidum oleosum includentia; inodora, sapore ingrate mucilaginoso, et oleoso. — *Part. const. praev.:* Mucilago et Oleum pingue proprium. — *Vis:* involvens, leniens, emolliens.

Semen vetustum, rancidum vel cariosum, rejiciatur.

Usus: In decocto, pro mucilagine. — *Praep.:* Farina, Oleum expressum. Additur Speciebus ad Cataplasmata et aliis compositionibus.

† SEMEN LOLII. Lolch, Schwindelhafer. *Semence d'Yvraie.* — *Lolii temulenti* L. (Fl. Bad. I. 272. — Cl. cet. v. Avena p. 12.), graminis annui, inter segetes, praecipue Hordeum. passim frequentis, culmo erecto, 2—4 pedali, spica disticha plana, 2—10-pollicari, spiculis dorso ad rachin conversis, aristatis, multifloris, gluma calycina mutica sub-minoribus, Fructus. — Caryopsides tunicatae, asperae, pallide virides, arista duplo longiore praeditae, a gluma corollina liberatae, semina quae dicuntur exhibentia oblonga, angusta, 2 — $2\frac{1}{2}$ lineas longa et $\frac{1}{2}$ lineam lata, uno latere convexa, altero sulco longitudinali profunde exarata, flavo-fusca, glabra, intus alba, farinosa; inodora, sapore farinoso, vix amariusculo. — *Part. const. praev.:* Principium proprium venenatum, quod magis investigandum, et Farina. — *Vis:* narcotica, vertiginem, temulentiam, delirium, somnum, convulsiones passimque ipsam

mortem contrahens. — *Usus:* Farina externe ut anodynum in pleuritide, sphacelo, exanthematibus cutis inveteratis applicabatur. Semen efficax medicorum attentione omnino dignum.

SEMEN LUPINI. Wolfsbohnen, Feigbohnen, Lupinen. *Semence de Lupin.* — *Lupini albi* (Fl. Bad. IV. 538. — Cl. cet. v. Fabae p. 58.), plantae annuae orientalis, in Europa meridionali, passim quoque apud nos cultae, caule erecto crasso, ramoso, villoso, foliis longe petiolatis digitatis, molli-sericeis, floribus terminalibus verticillato-racemosis, albis, papilionaceis, leguminibus rectis subcompressis, hirsutis, coriaceis, Semina magna compressa, discoidea, alba, dura, farinosa; sapore amaro. — Olim pro anthelmintico, contra strumas et externe farina ad cataplasmata adhibebatur. Hodie exolevit. Nutriendi ergo hinc inde comeditur. — Pari modo Semina fusca, albo-maculata Lupini lutei L.; porro Lupini pilosi, Lupini angustifolii cet. adhiberi possunt.

SEMEN LYCOPODII. Bärlappsamen. *Semence de Lycopode.*

Synon.: Lycopodium, Semen Plicariae, Musci clavati, Farina seu Pulvis Lycopodii, Sulphur vegetabile. Streupulver, Blitzpulver, Hexenmehl, Druidenmehl, Alpmehl, Wurmmehl, Moospulver, Klopfpulver, Erdschwefel. *Lycopode, Soufre végétal.*

Lycopodii clavati L., e cl. Cryptogamia (ord. Musci L.), fam. Lycopodiacearum, plantae perennis silvaticae (conf. et Muscus clavat. p. 185.), Sporae seminales, pulverem exhibentes sulphureum, levem, impalpabilem, tactu tenerrimum, subpinguem, digitis adhaerentem, facile percurrentem (sub microscopico granula tetraedrica subpellucida exhibentem); inodorum et insipidum, qui in flammam inspersus celerrime cum flamma splendente et strepitu, fulguris instar, comburitur; aquae innatat et aegre cum ea commiscetur, tunc autem emulsionem quasi format; in alcohole vini facile humectatur et tincturae iodi ope colorem fuscum solummodo assumit. — *Part. const. praev.:* Polleninum (paullum Amyli), Oleum pingue et Saccharum. — *Vis:* anodyna, leviter diuretica, involvens. — Lycopodium annotinum L., planta alpina, subalpina, semen praebet cum descripto omnino congruens.

Sit Lycopodium genuinum, supra ut bonae notae descriptum. Pollen florum Coryli avellanae (p. 209.), Typhae latifoliae (p. 288.), vel Pini specierum, colore est plerumque saturatiore flavo, passim fuscescente, minus tener, magis cohaerens, difficilius percurrens; odore passim proprio praeditum. Amylum detegitur tincturae iodi ope, colore coeruleo inficientis, et pulvis radicis Aristolochiae rotundae vulgaris (p. 216.) praeterea sapore amaro. Pulvis talci, gypsi, calcariae carbonicae, pondere graviore et elutriendo detegitur, flores sulphuris comburendo cet.

Usus: In pulvere vel tritum cum aqua, forma emulsionis; praecipue autem ad conspergendas partes cutis saucias, pilulas cet. adhibetur.

SEMEN MALVAE. Malven- oder Pappel-Samen. Käsepappelsamen. *Semence de Mauve.* — *Malvae rotundifoliae* L. (v. Herba p. 131.) Fructus, fructus Althaeae (v. Semen p. 308.) simillimi, sed minores, vix pisi magnitudine, pubescentes, semina reniformia, depressa, nigra, includentes. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus:* Ut seminis Althaeae, sed pariter vix adhibetur.

SEMEN MAYS. Welschkorn, türkisch Korn, Mays-Samen oder Körner. *Semence de Mays, Ble de Turquie.* — *Zeae Mays* L. (v. Flores p. 68.) Fructus, spadici cylindrico conico, magno, arcte insidentes. — Caryopsides nudae, rotundo-quadrigonae, pisi magnitudine, plerumque flavae, passim fusco-rubrae, glabrae, intus albae, farinosae, perdurae; inodorae, sapore dulciusculo-farinoso. — *Part. const. praev.:* Farina

saccharata. *Vis:* valde nutriens. — *Usus:* diaeteticus, pro nutrimento inservit uti alia frumenta. Decoctum in morbis inflammabilibus commendatur. Farina externe ad cataplasmata adhiberi potest.

SEMEN MELAMPYRI. Kuhweizen, Wachtelweizen, Ackerbrand-Samen. *Semence de Mélampyre des champs, de Rougette, Blé noir.* — *Melampyri arvensis* L. (Fl. Bad. II. 676. — Cl. cet. v. Herba Digitalis p. 114.), plantae annuae, in arvis, inter segetes, passim vulgaris, caule erecto ramoso, foliis sessilibus lineari-lanceolatis, spicis terminalibus conicis, laxis, bracteis dentato-setaceis, eleganter striatis, purpurascentibus, corollis personatis rubris et flavo-maculatis, capsula oblonga oblique acuminata biloculari, oligosperma, Semina Tritici similia, glabra, sed minora, sulco carentia, flavescente-rubicunda, postremo nigrescentia, perdura, cornea, sapore fatuo dulciusculo, post amariusculo. — *Part. const. praev.:* Materia propria caseosa, Gummi-resina, Oleum pingue, Materia colorans et saccharina. — *Vis:* discutiens, emolliens (?) Farina externe ad cataplasmata adhibetur. — Farina farinae frumenti admixta, panem ex ea paratum colore rubello-violaceo et coeruleo inficit.

SEMEN MELAMPYRI LUTEI. Wiesen- und Wald-Kuhweizen. *Semence de Mélampyre des prés.* — *Melampyri pratensis* L. (Fl. Bad. II. 679. — Cl. cet. praeced.), plantae annuae in nemoribus, locis graminosis, ericetis vulgaris, caule erecto brachiatim ramoso, foliis anguste lanceolatis, floribus axillaribus secundis, flavis, personatis, bracteis basi hastatis, subtrifidis, Semina praecedentium simillima, iisdem proprietatibus praedita. — Olim ut stimulans adhibebatur. Hodie exolevit.

SEMEN MELILOTI. Steinklee- oder Meliloten-Samen. *Semence de Mélilote* ou *de Mirlilot.* — *Meliloti officinalis* L. (v. Herba p. 133.) Semina legumini parvo, bispermo, foveolato-rugoso, pubescente, nigrescente, subtuberculoso insidentia, parva, inaequaliter cordata, compressa. — Olim ut discutiens, aperiens, resolvens adhibebatur, ad Aceti Hispalensis compositionem requiritur. — Apud nos exolevit.

SEMEN MELONUM seu MELONIS. Melonensamen oder Melonenkerne. *Semence* ou *Grains de Melons.* — *Cucumeris Melonis* (v. Herba p. 180.) Semina, seminibus Cucumeris (p. 317.) simillima, sed paullo majora, 4 lineas circiter longa. — *Part. const. praev., Vis* et *Usus:* Uti seminum Cucumeris. Etiam Seminibus 4 frigidis majoribus adnumerabatur. Semina vetusta, rancida vel cariosa rejiciantur.

SEMEN MESPILI. Mispeln- oder Mespeln-Samen oder Kerne. *Semence de Néflier.* — *Mespili germanicae* (v. Mespila p. 182.) Semina gibba, fusca, ossea, fere insipida. — Olim ut diureticum, in calculo renum et vesicae urinariae laudabatur. Hodie exolevit.

SEMEN MILII v. Milium (p. 182.).

SEMEN MILII SOLIS seu LITHOSPERMI. Steinhirsen oder Meerhirsen, Perlhirse, Steinsamen. *Semence aux Perles, de Grémil.* — *Lithospermi officinalis* L. (Fl. Bad. I. 413. — Cl. cet. v. Herba Heliotropii p. 123.), plantae perennis locis asperis lapidosis, arenosis vulgaris, caule erecto firmo, superne ramosissimo, foliis late lanceolatis, acutis, asperrimis, floribus spicato-racemosis, subsecundis, parvis, albis, Fructus. — Caryopsides nuculaceae elegantes, ovatae, lineam circiter longae, albido-cinerascentes seu margaritaceae, passim fusco-luteo-maculatae, glabrae, splendentes, durae, imperforatae, inodorae, sapore oleoso. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue. — Olim ut diureticum, praecipue lithontripticum, ad partum promovendum, in febre quotidiana, dysenteria cet. laudabatur. — Hodie vix adhibetur.

SEMEN NAPI, **Napi sativi seu Buniadis.** Reps- oder Rübsensamen, Kohlsamen, Kohlsaat, Lewat, weißer Steckrübensamen. *Semence de Navet.* — *Brassicae Napi* L. (Fl. Bad. I. 93. — Cl. cet. v. Herba Brassicae p. 100.), plantae annuae et biennis, nobis cultae, tritissimae, foliis glaucis, junioribus subhispidis, adultis glabris, floribus racemosis expansis, aureis, calyce semi-patente, siliquis compressis, rostro oblongo conico obtusiusculo, Semina globosa, seminum Brassicae circiter magnitudine, coerulescente-nigra, nitentia; acria, amaricantia, oleo turgida. — *Part. const. praev.* et *Vis:* uti Seminum Brassicae. — Olim ut abstergens, attenuans, alexipharmacum, in emulsione adhibebatur. — *Praep.:* Oleum expressum.

SEMEN NASTURTII HORTENSIS seu LEPIDII. Kressensamen, Gartenkressensamen. *Semence de Cresson Alénois.* — *Lepidii sativi* L. (v. Herba p. 138.) Semina parva, ovata, acuminata, subcompressa et subincurva, lineam circiter longa, fusco-aurantiaca, oleosa; inodora, trita autem odore acri, lepidino et sapore acri-pungente. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum acre et Oleum pingue. — *Vis:* antiscorbutica, diuretica, herniosis quoque commendabatur. — Hodie immerito vix adhibetur.

SEMEN NIGELLAE seu MELANTHII, **Semen Cumini nigri.** Schwarzkümmel, schwarzer, Coriander, Nardensamen. *Semence de Nielle* ou *de Nigelle, de faux Cumin.* — *Nigellae sativae* L. (Fl. Bad. II. 503. — Cl. cet. v. Semen Aquilegiae p. 310.), plantae annuae Europae meridionalis passimque Germaniae, in arvis et cultae, caule erecto, subramoso, pilosulo, foliis 2—3-pinnatis, foliolis laciniisque angustis, lineari-lanceolatis, piloso ciliatis, floribus terminalibus nudis, albis, flavescentibus vel virescentibus, calyce petaloideo 5-sepalo, petalis (nectariis) parvis, sub-5-nis, bilabiatis, folliculis sub-5-nis, connatis, rostratis, muricatis. Semina ovata, convexo-plana, marginibus acutis prominulis, 3-quetra vel irregulariter 4-gona, subcompressa, lineam circiter longa, aspera, rugosa, reticulato-venosa, nigra, opaca (variat colore laete fusco), nucleo albido oleoso; odore, praecipue si conteritur, fragrante, grate aromatico, myristicino et sapore acri-aromatico. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Oleum pingue. — *Vis:* incidens, aperiens (?) diuretica, lactifera, errhina. In hydrophobia, febribus quartanis cet. laudatur. — *Usus:* In pulvere, infuso. — *Praep.:* Oleum aethereum, Tinctura. — Hodie praecipue a veterinariis praescribitur; a plebe stulte contra incantationes animalium usurpatur; pro condimento inservit. Semen omnino efficax medicorum attentione magis dignum. — Saepius nomine Seminum Nigellae,

Nigellae Damascenae L. (Fl. Bad. II. 502.), plantae annuae descriptae simillimae, sed glabrae, magis ramosae, floribus involucratis prostant, quae subminora, oblongo-ovata, sub-3-gona, lateribus rugosis, omnibus convexis, marginibus minus prominulis. — Passim quoque Semina Nigellae arvensis L. (Fl. Bad. II. p. 5.) colliguntur, plantae annuae in arvis sabulosis vulgaris, caule demissiore, patente-ramoso, floribus minoribus nudis, folliculis semi-connatis, quae subtriangulares, minores, rugosae. — Ceterum ambo nigra, odore et sapore simili aromatico, sed inferioris pretii, praedita. — Cave confundas cum Seminibus Stramonii (p. 332.) vel Nigellastri (v. seq.), quae inodora (conf. quoque l. cit.).

SEMEN NIGELLASTRI seu GITHAGINIS, Semen Lolii officinarum. Kornraden oder Kornnelken-Samen. *Semence de Lampette des blés.* -- *Lychnidis Githaginis* Scop. (*Agrostemmatis Githaginis* L. — v. Herba p. 121. et Rad. p. 245.) Semina sub reniformi-angulosa, seminibus Nigellae majora, tenerrime serialiter tuberculosa, aspera, nigro fusca, intus alba, farinosa; inodora et fere insipida. — *Part. const. praev.:* Amylum et Oleum pingue. — *Vis:* nutriens, nociva (?). Hodie exolevit.

SEMEN OCHRI seu ERVILIAE SILVESTRIS. Ocherérbse, italienische Erbse. *Semence d'Ochre.* -- *Lathyri Ochri* Lam. (*Pisi Ochri* L. — Cl. cet. v. Pisa p. 207.), plantae annuae Italiae, Graeciae, Semina orbiculari-subcompressa, pisi magnitudine, luteo- et albo-striata, farinosa. — Hodie exolevit.

SEMEN OCIMI v. Semen Basilici (p. 311.).

SEMEN OCIMI GRATISSIMI L., wohlriechender Basilicumsamen, *Semence de Basilic le plus agréable,* plantae Indiae orientalis Fructus. — Caryopsides Basilici (p. 311.) simillimae, mucilaginosae. — In patria tanquam potus in gonorrhoea adhibetur.

SEMEN OMPHALEAE TRIANDRAE L. et OMPHALEAE DIANDRAE L., Omphaleensamen oder Kerne, *Semence d'Omphalie,* e cl. Monoecia, ord. Triandria, fam. Euphorbiacearum, arboris Indiae occidentalis, Semina oleosa, dulciuscula. — *Vires* eis adscribuntur diureticae et laxativae. — In patria etiam pro nutrimento inserviunt. Oleum expressum tanquam pectorale adhibetur.

SEMEN OREOSELINI seu APII MONTANI. Bergpeterſilgen-Samen, Grundheilſamen. *Semence de Persil de montagne.* — *Peucedani Oreoselini* Moench. (*Athamantae Oreoselini* L. — v. Herba p. 140. et Radix p. 262.) Fructus. — Diachaenae ovales, a dorso compressae, alatae, laete fuscae, solidae, costis dorsalibus filiformibus aequalibus, valleculis 1—3 vittatis, plano commissurali 2—6-vittato; odore fragrante aromatico petroselinino et aurantiaco et sapore aromatico acri-pungente, simul amaro. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* excitans, nervina, diuretica, diaphoretica. — *Usus:* In pulvere, infuso. Hodie semen, omnino efficax, immerito vix adhibetur.

SEMEN ORNITHOPODII seu PEDIS AVIS. Vogelfußſamen. *Semence de Pied d'Oiseau.* — *Ornithopi perpusilli* L. (v. Herba p. 140.) Semina parva, subglobosa, fusca. — Hodie exolevit.

SEMEN OROBI seu ERVI, Ervum. Erve, Erveninſe oder Erveniwicke. *Semence d'Orobe, Ers.* — *Ervi Erviliae* L. (Fl. Bad. IV. 548. — Cl. cet. v. Lens p. 169.), plantae annuae Europae mediae et australis, passimque Germaniae, inter segetes, et cultae, caule gracili, ramoso, subvilloso, foliis subimpari pinnatis, glabris, pedunculis subbifloris, floribus albidis papilionaceis, pendulis, leguminibus articulatis, glabris, sub-4-spermis, Semina globoso-subcompressa, pisi magnitudine, fusca, farinosa. — Olim in medicina valde celebrata. Addebatur Theriacae et aliis compositionibus. Farina externe ad cataplasma ut resolvens cet. adhibebatur. Hodie exolevit. — Nutriendi ergo hinc inde usurpatur.

SEMEN ORYZAE v. Oryza (p. 204.).

SEMEN PAEONIAE seu POEONIAE. Gichtroſen- oder Pfingſtroſen-Samen, Gichtkörner, Gichtperlein, Zahnerbſen. *Semence de Pivoine.* — *Poeoniae officinalis* L. (v. Fl. p. 69. et Radix p. 268.) Semina rotundo-ovalia, pisi magnitudine, rubro-nigra, glabra, splendentia, sub membrana dura nucleum oleosum includentia; inodora, sapore miti oleoso. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue. — *Vis:* anodyna, sub-narcotica (?), emetica (?) et laxans (?), antiepileptica (?). — Hodie, forsitan immerito, vix adhibetur.

SEMEN PALIURI. Stechdornſamen *Semence de Paliure.* — *Paliuri australis* Gaertn. (v. Folia p. 77. et Fructus p. 82.) Semina. Hodie exolevit.

† SEMEN PAPAVERIS ALBI. Weißer Mohnſamen.
Semence de Pavot blanc.

Synon.: Semen Papaveris sativi seu hortensis. Weißer Magſamen.

Papaveris somniferi L., var. *albi,* (*Papaveris officinalis* Gmelin — v. Capita p. 25. et Opium p. 203.) Semina minuta reniformia, $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$ lineam vix longa, albida, sub lente reticulato-venosa, oleo pingui turgentia; inodora, sapore miti oleoso, dulciusculo. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue et paullum Morphii cet. — *Vis:* demulcens, lenitiva, anodyna, in majori dosi narcotica, facile nociva, immo mortem provocans.

Sint granula albida, recentia, vetusta autem, rancida vel cariosa, rejiciantur.

Usus: In emulsione. — *Praep.:* Syrupus, Oleum pingue. Additur aliis quoque compositionibus.

† SEMEN PAPAVERIS NIGRI. Schwarzer Mohnsamen oder Magsamen. *Semence de Pavot noir.* — *Papaveris somniferi* L., var. **nigri**, Semina praecedentibus paullo minora, glauco-fusco-nigrescentia, insignius reticulato-venosa. — Iisdem gaudet *Part. const.* et *Virtutibus*, forsitan magis narcoticum (?). — *Praep.:* Oleum expressum (p. 197.).

† SEMEN PAPAVERIS NUDICAULIS L., Nacktstängeliger Mohnsamen, *Semence de Pavot à tige nue*, — plantae biennis Europae et Asiae borealis, foliis simplicibus pinnatifidis, scapo hispido unifloro, floribus flavis, grate odoris, capsulis oblongis hispidis, Semina. — A Kalmukis tanquam Opium adhibentur.

SEMEN PASTINACAE seu STAPHYLINAE. Pastinak- oder Pastenak-Samen Pestnagelsamen. *Semence de Panais* ou *de Pastenade.* — *Pastinacae sativae* L. (v. Rad. p. 264.) Fructus. — Diachaenae ovato-orbiculares, 2 lineas circiter longae, complanatae, flavo-fuscescentes, solidae, costis dorsalibus tenuibus filiformibus, lateralibus margine approximatis, valleculis late univittatis, plano commissurali bivittato; odore penetrante aromatico, uti et sapore. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* incidens, diuretica, lithontriptica (?). — Hodie vix adhibetur.

SEMEN PERFOLIATAE seu BUPLEURI. Durchwachssamen, Hasenohrsamen *Semence de Perce-feuille.* — *Bupleuri rotundifolii* L. (v. Herba p. 142.) Fructus. — Diachaenae oblongae, a latere contractae, subdicoceae, facillime in carpella oblongo-prismatica, subincurva, 1 1/2 lineam vix longa, obscure glauco-violaceo-fusca, costis aequalibus tenuibus filiformibus, valleculis striatis evittatis dilabentes, perdurae, inodorae et fere insipidae, paullum ingrato-austerae, amariusculae. — *Part. const. praev.:* Principium proprium amarum et adstringens (?), quod magis investigandum. — *Vis:* adstringens (?), herniosis et contra strumas praescribebatur. Hodie vix adhibetur.

SEMEN PETROSELINI. Petersilgen- oder Peterlein-Samen. *Semence de Persil.* — *Petroselini sativi* HOFFM. (*Apii Petroselini* L — v. Herba p. 142 et Radix p. 266.) Fructus. Seminum Apii (p. 310.) simillimi, sed paullo majores, carpella exhibentes magis oblongo-ovalia. incurva; ¾ lineam circiter longa, griseo-virescentia, costis obtusioribus; odore gratiore petroselinino et sapore acri-aromatico. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* incidens, diuretica, resolvens, alexipharmaca (?). *Usus:* In pulvere, infuso; externe ad pediculos pellendos. *Praep.:* Oleum aethereum, Aqua. Additur aliis quoque compositionibus. Hodie immerito raro adhibetur.

SEMEN PETROSELINI MACEDONICI seu APII SAXATILIS, petraei. Macedonischer Petersiliensamen, Steineppig- oder Steinpeterlein-Samen. *Semence de Persil de Macédoine* — *Athamantae macedonicae* SPR. (*Bubonis macedonici* L. — Cl. cet. praec.), plantae biennis Europae australis et Africae borealis, Petroselini subsimilis, sed caule albido-piloso, umbellis minoribus et flosculis albis, Fructus, Petroselini similes, sed paullo majores et tenuiores, oblongo-ovati, quasi caudati, obscure olivacei, piloso-asperi; odore fragrante balsamico-aromatico, et sapore aromatico-urente, amariusculo. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* excitans, carminativa, diuretica, alexipharmaca (?); ad Theriacae compositionem requiritur. Apud nos non adhibetur.

SEMEN PHALANGII RAMOSI et PHALANGII NON RAMOSI. Aestiger und Lilien-Zaunblumen-Samen, Erdspinnenkraut-Samen. *Semence de Phalangère rameuse* et *de Phalangère à fleurs de Lys.* — *Antherici ramosi* L. et *Antherici Liliaginis* L. (v. Herba p. 142. et 143.) Semina parva, angulosa. — Hodie uti reliquae plantae partes exoleverunt.

SEMEN PHASEOLI, v. Fabae (p. 58.).

SEMEN PHELLANDRII. Wasserfenchel. *Semence de Phellandre aquatique.*

Synon.: Semen Foeniculi aquatici, Foeniculi caballini. Roßfenchel, Pferdefenchel, Peersaat. *Semence de Fenouil d'Eau, Semence de Cicutaire des Marais.*

Oenanthes Phellandrii LAM. (*Phellandrii aquatici* L. — Fl. Bad. I. 680. — Cl. cet. v. Herba Cicutae p. 108.), plantae perennis in fossis, aquis stagnantibus, passim vulgaris, caule erecto, divaricato-ramoso (de Foliis conf. Herb. p. 143.), umbellis oppositifoliis, multiradiatis, mediocribus, involucro nullo, involucellis polyphyllis, flosculis albis radiantibus submajoribus, Fructus. — Diachaenae ovato-oblongae, 1½ lineam longae, a latere subcompressae, solidae, pistilli et calycis ruderibus coronatae, costis 10 obtusiusculis, marginantibus sublatioribus, valleculis univittatis; colore laete fuscescente passimque in flavo-virescentem et purpureo-violaceum abeunte, nudae, opa-

cae, plano commissurali albido, in medio obscuriore (saepius immaturae in commercio prostant, et fermentatione quadam immutatae, quae tenuiores, magis oblongae, plerumque in carpella disjunctae, costis imperfectis, magis obsoletis, praeditae et colore obscure fusco); odore proprio forti, subnauseoso-aromatico, sublevisticino et sapore ingrato aromatico-acri (semen immaturum magis nauseosum). — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et Principium proprium extractivum peculiare (?). — *Vis:* irritans, calefaciens, diuretica, in majori dosi narcotica (?), nociva.

Sit semen maturum, supra ut bonae notae descriptum. — Cave ne sit aliis umbelliferarum fructibus, ut: Cicutae virosae (p. 109.), Sii latifolii (p. 155.), Sii angustifolii (p. 99.) cet. adulteratum, quae omnia sapore carent supra memorato; vel adeo semine Pini silvestris, quod compressum, ovato-angulosum, obscure fuscum, nitens, oleosum; odore terebinthinaceo.

Usus: In pulvere, pilulis, electuario, infuso, praecipue etiam a veterinariis praescribitur. — *Praep.:* Tinctura. Additur aliis quoque compositionibus.

SEMEN PLANTAGINIS LATIFOLIAE seu **MAJORIS**, Semen Arnoglossi. Breitwegerichsamen. *Semence de grand Plantain.* — *Plantaginis majoris* L. (v. Herba p. 143 et Rad. p. 268.) Semina parva, oblonga, convexo-concava, laete fusca, parum nitentia; ceterum seminibus Psyllii (v. infra) similia, mucilaginosa. — Nuper in diarrhoea et dysenteria laudabatur.

SEMEN PORRI. Lauchsamen. *Semence de Poreau.* — *Allii Porri* L. (v. Herba p. 145. et Radix p. 229.) Semina sub-globoso-angulosa, fusco-nigra; odore alliaceo uti et sapore. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus:* Herbae. — Sed pariter in medicina exolevit.

SEMEN PORTULACAE. Portulaksamen, Burzelsamen. *Semence de Pourprier.* — *Portulacae oleraceae* L. (v. Herba p. 145.) Semina exigua, reniformi-rostellata, tuberculato-muricata, nigra, insipida. Seminibus 4 frigidis minoribus adnumerabatur. Hodie exolevit.

SEMEN PSYLLII seu **Pulicariae**. Flohsamen, Psyllienfamen. *Semence de Psyllium* ou *d'Herbe aux Puces.* — *Plantaginis arenariae* Waldst. et Kit., *Plantaginis Psyllii* L. et *Plantag. Cynopis* L. — (Fl. Bad. IV. 120. — Cl. cet. v. Herba Plantaginis p. 142.), plantarum Europae mediae et meridionalis, passimque Germaniae. Semina oblonga, convexo-concava, lineam longa et ½ lineam lata, obscure fusca, splendentia, perdura, inodora et fere insipida, mucilagine turgentia. — *Vi* demulcente, involvente, refrigerante praedita. — Olim praecipue in dysenteria, angina, febribus biliosis et externe in ophthalmia laudabatur. — Hodie rarissime pro medicamento usurpatur. In arte infectoria ad splendorem lintei efficiendum inservit.

SEMEN QUAMOCLIT. Federwilhelmsamen. *Semence de Quamoclit.* — *Convolvuli Quamoclit* Spr. (v. Herba p. 47.) Semina. - Hodie pariter atque Herba exolevit.

SEMEN RAPAE, Rapae sativae seu Raparum. Rübsamen. *Semence de Rave.* — *Brassicae Rapae* L. (v. Rad. p. 270.) Semina, Seminum Napi p. 325.) simillima, sed paullo minora, nigra, nitentia; sapore acri-oleoso. — *Part. const.*, *Vis* et *Usus:* Uti seminum Napi.

SEMEN RAPHANI. Rettigsamen. *Semence de Raifort.* — *Raphani sativi* L. (v. Rad. p. 270.) Semina praecedentium majora, globoso-obtusangula, piperis fere magnitudine, rufa; sapore acri-pungente. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum acre et Oleum pingue. — *Vis:* incidens, diuretica. — Hodie exolevit.

SEMEN RAPISTRI ALBI. Hederichsamen. *Semence de Radis* ou *de Raifort sauvage.* — *Raphani Raphanistri* L. (Fl. Bad. III. 103. — Cl. cet. praeced.), plantae annuae in agris passim abunde, caule erecto ramoso, rariter hispido, uti et folia pinnatifida et lyrata, floribus in racemos laxos digestis, ochroleucis, albidis vel rubellis, venis obscurioribus pictis, siliquis cylindricis, tuberculoso-articulatis, rostratis, unilocularibus. Semina subglobosa, praecedentibus minora, fuscescentia oleoso-acria. — Semen Sinapis passim supplere potest.

SEMEN RAPISTRI ARVORUM. Wilder Senf, Ackersenf. *Moutarde des Champs.* — *Sinapis arvensis* L. (Fl. Bad. III. 99. — Cl. cet. praeced.), plantae annuae in arvis et vineis pariter vulgaris, caule erecto ramoso, sulcato, rariter hispido, uti et folia sinuato-dentata, subpinnata, floribus laxis racemosis, luteis, siliquis torosis laevibus, breviter rostratis, bilocularibus. Semina praecedentibus minora, subglobosa, nigro-fusca. — *Part. const.* et *Vis:* praecedentium. — Hodie exoleverunt. Sed pariter ut succedaneum Sinapis adhiberi possunt.

SEMEN RICINI, Ricini vulgaris seu Cataputiae majoris, Semen

Palmae Christi, Grana regiae. Ricinussamen, Wunderbaumsamen, Purgierkörner, Treibkörner, Zeckenkörner. *Semence de Ricin.* — *Ricini communis* L. (v. Oleum p. 198.) Semina elliptica, passim sub-ovata, subcompressa, rotundata, uno latere plano-convexa, altero obtusissime angulata, plerumque 3 — 4 lineas longa, 2 — $2\frac{1}{2}$ lineas lata et $1\frac{1}{2}$ lineam crassa; variat autem magnitudine et semina prostant ad 6 — 8 lineas usque longa, 3 — 4 lineas lata; laete sunt cinerea et eleganter fusco- vel fusco-rubro-maculata, nitentia, strophiolo albido terminali passim praedita; sub testa dura, sed fragili, nucleum albidum oleosum, membranula alba tenuissima cinctum, includentia; inodora, sapore primum miti oleoso, post leviter gutturali. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue proprium et paullum Principii acris sui generis. — *Vis:* alvum movens, vermifuga. — *Usus:* Semina decorticata in emulsione, sed hodie immerito rarissime. — *Praep.:* Oleum expressum (v. supra), Tinctura. — Sint semina recentia et matura, maculata, plena, sapore miti; semina immatura autem, albida, inania, vel rancida, sapore acerrimo gutturali-urente, rejiciantur. — Cave confundas cum Granis Tiglii (p. 85.) vel Semine Ricini majoris (v. sequens).

† SEMEN RICINI MAJORIS, Ficus infernalis, Nux cathartica americana seu barbadensis. Schwarze Brechnuß, große amerikanische Brechnuß, indische Pinien, große Ricinussamen. *Noix cathartique américaine*, *Pignons d'Inde* ou *des Barbades*, *Medicinier*, *Grands Haricots du Pérou.* — *Jatrophae Curcatis* L. (v. Oleum Cicinum p. 193.) Semina, praecedentium similia, sed majora, 7 — 10 lineas longa, 3 — 4 lineas lata et 3 circiter lineas crassa, obscure fusca, nigrescentia, punctis et rimulis pallidioribus adspersa, opaca, testa crassiori, nucleo albido oleoso; inodora, sapore primum miti, post peracri-gutturali, faucibus diu adhaerente. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue et Principium acre resinosum, magis investigandum. — *Vis:* drastica, purgans et vomitum ciens, facile nociva, immo mortem concilians. — *Usus:* In substantia cautissime, parva dosi. — *Praep.:* Oleum Cicinum (v. supra). — Semina Jatrophae multifidae L. (v. Oleum Pinhoën p. 198.), quae etiam Nuces purgantes, Avellanae purgatrices, Behen magnum, nominantur, descriptis sunt similia et similibus proprietatibus praedita. — Apud nos autem, uti praecedentia, non adhibentur.

SEMEN RUTAE, Rutae hortensis. Rautensamen, Gartenrautensamen. *Semence de Rue.* — *Rutae graveolentis* L. (v. Herba p. 148.) Semina parva lineam circiter longa, semi-lunaria, angulosa, punctato-scabra, griseo-nigra, oleosa; odore, si teruntur, Herbae, sapore nauseoso-acri. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum et pingue. — *Vis:* Herbae. — Olim in medicina celebratum erat et a veteribus tanquam condimentum cibis admiscebatur. Ad Aquae acusticae compositionem requiritur. Hodie, forsitan immerito, exolevit.

† SEMEN SABADILLI seu SABADILLAE, Semen Sabatigliae, Semen Cebadillae, Hordeum causticum. Sabadillsamen, mexikanischer Laussamen, Läusekörner. *Semence de Cévadille* ou *de Sabadillum.* — *Veratri officinalis* SCHLECHT. (*Heloniatis officinalis* DON. — Cl. cet. v. Rad. Hellebori albi p. 274.) Semina, plerumque in Carpella leguminacea terna connata, oblonga, acuta, Hordeo crudo subsimilia, capsulam 3-locularem, 3 - 4-lineas longam et 2 lineas circiter crassam, mentientia, pallide-fuscescentia et flavescente-grisea, glabra, apice dehiscentia, inclusa; oblonga, rostrata, 2 — 3 lineas longa et $\frac{1}{2}$ lineam longa et $\frac{1}{2}$ lineam crassa, irregulariter angulosa et rugosa, fusco-nigra, nitentia, Muscerdae (p. 184.) subsimilia, intus alba cornea, dura, aliquantulum tenacia; inodora, sapore acerrimo-caustico et gutturali, diu faucibus adhaerente. — *Part. const. praev.:* Veratrium, Helonium et Sabadillium. — *Vis:* maxime irritans, anthelmintica, facile drastica, purgans et emetica, inflammationem efficiens, venenata, insectis infesta. — *Usus:* In pulvere, infuso, interne cautissime in minima dosi, externe ad pellendos pediculos. — *Praep.:* Veratrium, Pulvis et Unguentum Pediculorum. Additur aliis quoque compositionibus.

SEMEN SAMBUCI. Hollunder- oder Holder-Samen. *Semence de Sureau.* -- *Sambuci nigrae* L. (v. Baccae p. 17.) Semina; omnino cum Seminibus Ebuli (p. 319.) congruunt; forsitan autem mitiora (?).

SEMEN SAPOTILLAE, Grana Sapotillae. Sapotill-Samen oder Körner. *Semence* ou *Grains de Sapotille.* — *Achratis Sapotae* L. (v. Cortex p. 52.) Semina oblonga acuminata, nigra, nitentia, sapore peramaro. — Ut diureticum in colica nephritica laudatur. Apud nos non adhibetur.

SEMEN SAXIFRAGIAE v. Radix (p. 281.).

SEMEN SCARIOLAE v. Semen Endiviae (p. 319.).

SEMEN SECALIS v. Secale (p. 306.).

SEMEN SECURIDACAE. Beilkronwicke, Beilkraut-, Peltschen-Samen *Semence de Securidaca*, -- *Coronillae Securidacae* L. (Fl. Bad. III. 207. — Cl. cet. v. Herba Meliloti p. 133.), plantae annuae Europae australis, Semina quadrigona, fuscescente-rubra, amara; emetica (?). — Hodie exolevit.

SEMEN SESAMI, Digitalis orientalis. Sesamsamen, ägyptischer Delsamen. *Semence de Sésame, de Jugoline.* — *Sesami orientalis* L. (v. Oleum p. 199.) Semina ovata, albida, vel flavescentia; sapore dulci-oleoso. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue. — *Vis:* nutriens, emolliens, resolvens. — *Praep.:* Oleum (v. supra). — In Aegypto semina in cibum cedunt. — Apud nos non adhibetur.

SEMEN SESBANAE. Sesbansamen. *Semence de Sesban.* — *Sesbanae aegyptiacae* PERS. (*Aeschynomene Sesban* L. — Cl. cet. v. Herba Meliloti p. 133.), fruticis senegalensis et Aegypti Semina. In Aegypto crebre ut adstringens, in diarrhoea, menstruatione profusa cet. adhibetur.

SEMEN SESELEOS AETHIOPICI, Cervariae seu Gentianae albae. Aethiopischer Seselsamen, weiße Hirschwurzsamen. *Semence de Séseli d'Ethiope*, *de Laser à larges feuilles.* — *Laserpitii*

latifolii L. (v. Radix Gentianae albae p. 244.) Fructus. — Diachaenae late-ovales, 3 — 4 lineas longae, ex carpellis convexis, leviter 5-costatis, 4-alatis et 6-vittatis, solidis, constantes, colore fusco, alarum albido; odore fragrante aromatico radicis, uti et sapore. — *Part. const. praev.* et *Vis:* radicis, magis autem incitans. — *Usus:* In pulvere, infuso. Apud nos non adhibetur.

SEMEN SESELEOS seu SESELI CRETICI, Tordylii minoris. Seseliamen, cretischer Bergkümmel, syrischer Zirmet. *Semence de Séséli de Candie* ou *de Crète.* — *Tordylii officinalis* L. (v. Rad. p. 286.) Fructus. — Diachaenae parvae, oblongo-orbiculares, a dorso compressae, margine turgido, rugoso-toruloso, leviter costatae, valleculis univittatis, solidae, colore obsolete viridi-fuscescente; odore forti aromatico cuminino, uti et sapore. — *Part. const. praev.:* Oleum aethereum. — *Vis:* carminativa, diuretica. — *Usus:* Uti praecedentis. — Apud nos non adhibetur.

SEMEN SESELEOS seu SESELI MASSILIENSIS, Semen Carvi caballini. Marseiller Seselsamen, französischer Berg- oder Roßkümmel. *Semence de Séséli de Marseille.* -- *Seseleos tortuosi* L. (Cl. cet. praeced.), plantae perennis Europae australis et Orientis, Fructus. — Diachaenae oblongae, ovatae, argute costatae, valleculis univittatis, semini Foeniculi similes, albido-griseae, virescentes, solidae; odore fragrante aromatico et sapore aromatico pungente. — *Part. const. praev.* et *Vis:* praecedentium. — Theriacae admiscetur. Apud nos autem pariter non adhibetur. Ejus loco Fructus quoque Seseleos Hippomarathri L. (Fl. Bad. I. 715.), plantae perennis Europae australis, passimque Germaniae, locis montosis saxosis, apricis crescentis, colligitur; similibus praeditus virtutibus.

SEMEN SESELEOS seu SILERIS MONTANI. Bergsesel, oder Lasersamen, großer Roßkümmel. *Semence de Séséli de montagne de Sermontaire.* -- *Laserpitii Sileris* L. (v. Rad. p. 284.) Fructus, Seminis Seseleos aethiopici (v. supra) simillimi, iisdem virtutibus praediti. — Sed pariter apud nos immerito non adhibetur. — Alpicolis pro condimento inservit.

SEMEN SESELEOS PRATENSIS seu SILAUS, Saxifragae anglicae seu vulgaris. Wiesenseselsamen, Silausamen, Roßfenchel. *Semence de Séséli de prés, de Saxifrage des Anglais.* — *Silai pratensis* Bess. (*Peucedani Silai* L. — v. Herba p. 155. et Rad. p. 284.) Fructus.— Diachaenae ovales, argute costatae et breviter alatae, fuscae, valleculis 3-vittatis; odore grate aromatico et sapore acri-aromatico. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus:* Praecedentium. — Hodie autem pariter exolevit.

SEMEN SINAPIS ALBI. Weißer Senfsamen. *Semence de Moutarde blanche.*

Synon.: Semen Sinapis citrini, Semen Erucae. Weißer Senf, gelber Senf oder Senfkörner.

Sinapis albae L. (Fl. Bad. III. 100.), e cl. Tetradynamia, ord. Siliquosa, fam. Cruciferarum, plantae annuae Europae meridionalis, passimque Germaniae, inter segetes, in ruderatis, ad vias cet. et cultae, caule erecto ramoso, striato, hirsuto, foliis lyrato-pinnatifidis, subhirsutis, floribus corymboso-racemosis luteis, siliquis patentibus, hispidis, longe et ensiformi-rostratis, Semina parva, globosa, rufescente-flava, glabra, subnitentia, dura, oleosa; inodora et si, trita, aqua humectantur, nullum odorem acri-volatilem emittentia, sapore oleoso, peracri-pungente et subamaro. — *Part. const. praev.:* Oleum pingue et Principium acre sui generis, non volatile. — *Vis:* incidens, stomachica, resolvens, diuretica, irritans, rubefaciens.

Usus: videatur sequens.

SEMEN SINAPIS NIGRAE. Schwarzer Senfsamen. *Semence de Moutarde noire.*

Synon.: Semen Sinapis viridis, Erucae nigrae. Grüner Senf, rother Senf. *Semence de Sénevé.*

Sinapis nigrae L. (*Brassicae nigrae* Koch. — Fl. Bad. III. 100. — Cl. cet. praeced.), plantae annuae ad vias, fluviorum ripas, in arvis cet. passim vulgaris et pariter crebre cultae, praecedenti similis, sed caule strictiore magis glabro uti et folia lyrata, suprema lanceolata, floribus minoribus, siliquis erectis rha-

chi plus minus approximatis vel adpressis, minoribus, angustioribus, glabris, pistillo brevi tenui filiformi coronatis, Semina praecedentium minora ovato-subglobosa, obscure rufo-fusca, opaca, sub lente eleganter reticulato-venosa, intus flava, oleosa, terendo pulverem virescentem praebentia; inodora, trita autem et aqua humectata nidores peracri-volatiles, lacrymas elicientes, emittentia, sapore peracri-pungente, amariusculo.— *Part. const. praev.:* Oleum pingue et Oleum aethereum volatile acerrimum (vel potius elementa cum aqua Oleum volatile praebentia). — *Vis:* praecedentis, magis autem excitans et irritans.

Sit Sinapis recens, matura. Pulvis vetustus autem, rancidus, acrimonia egens, omnino rejiciatur. — Cave confundas cum semine Sinapis albae var. seminibus nigris, quae majora, glabra, non reticulata et cum aqua humectata nidores acri-volatiles non edunt; porro cum semine Brassicae (p. 311.) vel Napi (p. 325.).

Usus: In substantia integrum et in pulvere, raro in infuso. Farina cum aqua aut aceto subinde quoque fermente panis, Raphano rusticano cet. forma pultis seu cataplasmatis externe ut rubefaciens applicatur. Plerumque hunc in finem partes aequales pulveris sinapis albi et nigri commiscentur; ad balnea.— *Praep.:* Oleum aethereum et infusum. Aqua, Vinum, Serum lactis, Unguentum sinapinum. Additur aliis quoque compositionibus.

SEMEN SINAPIS SINENSIS seu CHINENSIS. Chinesischer Senf. *Semence de Moutarde de la Chine*, — *Sinapis chinensis* L. Semina. — In patria pari modo ac praecedens adhibetur. — Alia Sinapis specierum Semina, iisdem virtutibus praedita, passim hunc in finem usurpantur.

SEMEN SISARUM. Zuckerwurzsamen *Semence de Berle Chervi.* — *Sii Sisari* L. (v. Rad. p. 284.) Fructus.— Diachaenae parvae, ovato-oblongae, a latere compressae, aequaliter filiformi-costatae, valleculis 3-vittatis, solidae; odore et sapore aromatico petroselinino. — In pharmacopoea hispanica receptum est. Apud nos non adhibetur.

SEMEN SMYRNII seu OLUSATRI. Smyrnienkrautsamen. *Semence de Smyrnium.* — *Smyrnii Olusatri* L. (v. Rad. p. 261.) Fructus. — Diachaenae speciosae, ovatae, a latere contractae, dicoccae, nigrae, solidae, costis dorsalibus prominulis, valleculis multivittatis; odore grato balsamico myrrhino, uti et sapore. — Apud nos non adhibetur.

SEMEN SMYRNII CRETICI. Cretischer Smyrniumsamen. *Semence de Smyrnium de Crète.* — *Smyrnii Dodonaei* SPR. (*Smyrnii perfoliati* L. — Cl. cet. praeced.), plantae biennis iisdem locis ac praecedens occurrentis, Fructus similis; similibus proprietatibus praeditus. — Apud nos pariter exolevit.

SEMEN SOPHIAE, Sophiae Chirurgorum, Thalictri. Sophiensamen, großen Besenkrauts Samen, Wurmkrautsamen. *Semence de Sagesse de Chirurgiens.* — *Sisymbrii Sophiae* L. (v. Herba p. 156.) Semina exigua, ovata, fusco-rubra, glabra; sapore acri.— Olim ut anthelminticum, nephriticum, vulnerarium adhibebatur; nuper in hydrope quoque laudabatur. Medicorum attentione utique dignum.

SEMEN SPERGULAE. Sparksamen. *Semence de Spargout.* — *Spergulae pentandrae* L. (Fl. Bad. II. 301.), e cl. Decandria, ord. Pentagynia, fam. Paronychiearum, plantulae annuae in arvis cet. vulgaris et cultae, foliis verticillatis lineari-subulatis, floribus dichotomo-paniculatis, parvis, albis, subpentandris, capsulis ovatis. Semina parva compressa, orbicularia, nigra, margine membranaceo-albido cincta, oleosa. — In phthisi pulmonali praecipue oleum expressum commendabatur. Apud nos non adhibetur.

SEMEN SPINACIAE seu SPINACHIAE. Spinatsamen. *Semence d'Epinard.* — *Spinaceae oleraceae* L. (v. Herba p. 156.) Fructus.— Pericarpia utricularia calyce tecta, angulosa, mutica vel spinosa. —Hodie exolevit.

† SEMEN STAPHIDIS AGRIAE seu DELPHINII PLATANI FOLIO, Semen Pedicularis. Stephanskörner, Läusekörner, Stafadriansamen, Rattenpfeffer. *Semence de Staphisaigre, d'Herbe aux Poux-aigre.*— *Delphinii Staphidis agriae* L. (Cl. cet. v. Herba Aconiti p. 90.), plantae biennis Europae australis (Graeciae cet.) Semina 3—4-angularia, complanata, pisi partim magnitudine, ab uno latere convexa, ab altero contraria plana cum sutura prominula, reticulato-foveolata, aspera, obscure griseo-fusca vel pallide fusca, sub testa dura nucleum oleosum includentia; odore debili nauseoso et sapore acerrimo mordaci et amaro, diu faucibus adhaerente. — *Part. const. praev.:* Delphininum et Staphisagrinum. — *Vis:* maxime irritans, drastica, purgans, vomitiva, narcotica, facile nociva, inflammationem efficiens, adeoque

mortem provocans; insectis praecipue infesta. — *Usus:* In pulvere vel decocto, interne rarissime, et tunc caute, adhibendum; praecipue externe contra ascarides, scabiem, ut rubefaciens; porco ad pediculos pellendos. — *Praep.:* Pulvis et Unguentum Pediculorum. — Semen Delphinii picti minus est et vix cum genuino confunditur.

† SEMEN STRAMONII. Stechapfelsamen. *Semence de Stramoine.*

Synon.: Semen Daturae, Semen Solani foetidi seu maniaci. Stachelnußsamen, Schlafapfelsamen, Tollkörner. *Semence de Pomme épineuse, d'Endormie.*

Daturae Stramonii L. (v. Herba p. 156.) Semina compressa, reniformia, lentis minoris fere magnitudine, fusco-nigra, reticulatim venosa et tuberculosa, opaca, dura, intus albida, oleosa; inodora, trita autem odore nauseoso, sapore nauseoso-amariusculo, sub-acri-tabacino.— *Part. const. praev.:* Daturium et Oleum pingue. — *Vis:* narcotica, anodyna, in majori dosi facile nociva, deleteria.

Sit semen maturum, fere nigrum, plenum; immaturum autem, corrugatum, pallide fuscescens, rejiciatur. (De confusione cum semine Nigellae conf. p. 325.)

Usus: In substantia vel infuso raro, interne caute adhibendum. — *Praep.:* Daturium, Extractum, Tinctura, Vinum. Additur aliis quoque compositionibus.

† SEMEN STRAMONII seu DATURAE NUCIS METELLAE. Metel-Stechapfelsamen *Semence de Metel.* — *Daturae Metel* L., plantae annuae Asiae australis et Africae, praecedentis similis, sed fructibus globosis pendulis spinosis, Semina praecedentium similia iisdemque proprietatibus praedita. Pari modo passim adhibetur. — Aliarum Daturae specierum Semina ut: Daturae Tatulae L., Daturae ferocis L., Daturae fastuosae L., cet., similibus praedita virtutibus, passim praecedentium loco usurpantur.

SEMEN SUMACH seu BACCAE SUMACH. Sumachsamen oder vielmehr Beeren, Gerberbaum- oder Färberbaum-Samen. *Semence de Sumach.* — *Rhois coriariae* L. et *Rhois typhinae* L. (v. Folia p. 80.) Fructus. — Drupae baccatae globoso-compressae, piperis circiter magnitudine, purpureae, denso sedusoso-pilosae, in spadicem oblongum dense concretae, exsuccae, semen lentiforme flavescens includentes; sapore intenso sed grate acerbo-acido. — *Part. const. praev.:* Calcaria malica acida et Principium adstringens. — *Vis:* adstringens, antiphlogistica. — Olim in fluxionibus alvi et sanguinis laudabatur. Hodie exolevit.

SEMEN SYRINGAE v. Fructus Lilac (p. 82.).

SEMEN TANACETI seu ATHANASIAE, Semen Cinae germanicae seu hungaricae. Rheinfarrnsamen, Rainfarrnsamen, Wurmfarrnsamen, deutscher oder ungarischer Wurmsamen, Reviersamen. *Semence de Tanaisie.* — *Tanaceti vulgaris* L. (v. Flor. p. 72. et Herba p. 157.) Fructus. — Achaenae minutae, oblongae, striatae, lineam vix longae et filum tenue crassae, griseo-fuscae, plus minus in colorem flavescentem abeuntes, margine membranaceo brevissimo pappi loco coronatae; odore florum, sed minus penetrante, et sapore nauseoso, plus amaro. — *Part. const. praev.:* uti Florum; minus autem Olei aetherei et plus Principii amari. — *Vis et Usus:* Idem (De confusione cum Semine Cinae conferat. p. 314.).

SEMEN THALICTRI FLAVI seu RHABARBARI PAUPERUM. Gelbe Wiesenrauten-, Heilblattsamen. *Semence de Rue des prés.* — *Thalictri flavi* L. (v. Herba p. 157. et Radix p. 286.) Fructus. — Caryopsides parvae, nudae, ovato-globosae, sulcatae, flavae, sapore amaro. — Olim contra epilepsiam, diarrhoeam cet. laudabatur. Hodie exolevit.

SEMEN THAPSIAE ASCLEPII L. Apulischer oder schmalblätteriger Thapsiensamen. *Semence de Thapsie Asclépion* (v. Rad. p. 286.) Fructus irritans. — Apud nos non adhibetur.

SEMEN THLASPIOS seu THLASPEOS. Bauernsenf Feldkressen-, Feldtäschelkraut-Samen, Besenkrautsamen. *Semence de Thlaspi.* — *Thlaspios arvensis* L. (Fl. Bad. III. 24. — Cf. cet. v. Semen Cochleariae p. 316.), plantae annuae in arvis, vineis cet. vulgaris, caule erecto sub-pedali, ramoso, glabro, uti et folia semi-amplexicaulia, oblonga, sagittata, dentata, floribus racemosis minutis, albis, siliculis speciosis orbicularibus, compressis, profunde emarginatis, glabris, Semina compressa, ovato-subrotundata, striata, laete fusca; odore, si teruntur, lepidino-alliaceo, et sapore acri-mucilaginoso. — Olim ut diureticum et ad aperiendos abscessus internos commendabatur. Hodie exolevit. — Hoc nomine Semina quoque Lepidii campe-

stris R. Br. (Thlaspios campestris L. — Fl. Bad. III. 25.), plantae biennis, descriptae simillimae, sed undique pubescentis, siliculis minoribus glanduloso-punctatis colligebantur, similibus virtutibus praedita.

SEMEN THLASPIOS CRETICI. Cretischer Täschelsamen, doldenförmige Zungenblumensamen. *Semence de Thlaspi de Crète.* — *Iberidis umbellatae* L. (Fl. Bad. IV. 474. — Cl. cet. praecedentis), plantae annuae pulchellae Europae australis, nobis hortensis, foliis lanceolatis, inferioribus serratis, superioribus integerrimis, floribus corymboso-umbellatis, purpurascente-violaceis, petalis inaequalibus, quasi radiantibus, siliculis compressis emarginatis, loculis naviculatis polyspermis, Semina minuta, ovalia, fusco-rubra, sapore acri et peramaro. — Olim ut nervinum, externe cum axungia, in malo ischiatico commendabatur. Hodie exolevit.

SEMEN TORDYLII v. Semen Seseleos cretici (p. 330.).

SEMEN TRIFOLII FIBRINI. Fieberklee- oder Bitterklee-Samen. *Semence de Trèfle d'eau.* — *Menyanthis trifoliatae* L. (v. Herba p. 158. et Radix p. 287.) Semina parva, ovata, turgida, lenticularia, glaberrima, amara. — Hodie, forsitan immerito, exolevit.

SEMEN TRIFOLII PRATENSIS L., Gemeiner rother Wiesenkleesamen, *Semence de Trèfle des prés*, — (v. Herba p. 159.) Semina minuta, ovato-subrotunda, subcompressa, flava; sapore acri. — Hodie exolevit.

SEMEN TRITICI v. Triticum (p. 349.).

SEMEN URTICAE, Urticae urentis seu vulgaris. Brennnesselsamen. *Semence d'Ortie.* — *Urticae dioicae* L. et *Urticae urentis* L. (v. Herba p. 159. et Rad. p. 288.) Fructus. — Caryopsides drupaceae, perigonio tectae, minutae, inodorae et fere insipidae. — Olim ut diureticum et subadstringens laudabatur, et recentissimis temporibus in dysenteria praedicatur. Medicorum attentione dignum.

SEMEN URTICAE ROMANAE, hispanicae seu piluliferae. Römischer Nesselsamen. *Semence d'Ortie romaine.* *Urticae piluliferae* L., plantae annuae Europae australis, Asiae et Indiae orientalis Fructus, in glomerulos globosos, griseo-virides aggregati. — A perigonio mundatae Caryopsides exhibent semine lini minores, rotundato-depressas, nigrescente-fuscas, splendentes, sapore subacri. — Commendabatur ad affectus pulmonum, asthma, tussim ferinam et pleuritidem, et nephriticis prodesse putabatur. In pulvere et emulsione praescribebatur. Apud nos autem non adhibetur.

SEMEN VERNONIAE ANTHELMINTICAE W., Wurmwidriger Vernoniensamen, *Semence de Vernonie vermifuge*, (Cl. cet. v. Herb. Eupatorii p. 117.), plantae annuae (?) Indiae orientalis Fructus. — Achaenae oblongae, pappo duplici, exteriore paleaceo, interiore piloso, coronatae; amarae.— In Ceylone insula ut vermifugum, carminativum cet. adhibetur.

SEMEN VICIAE SATIVAE v. Viciae (p. 351.).

SEMEN VIOLAE seu VIOLARUM, Violarum purpurearum, martiarum. Violen- oder Veilchensamen, Märzveilchensamen. *Semence de Violettes de Mars.* — *Violae odoratae* L. (v. Flor. p. 74., Herb. p. 160. et Rad. p. 290.) Semina ovata, turgida, 3/4 lineam longa, albida vel pallide flavo-fuscescentia, glabra, nitentia; inodora, sapore debili nauseoso, subacri-oleoso. — *Part. const. praev.*: Violinum et Oleum pingue. — *Vis*: diuretica, laxans, emetica. — Hodie, forsitan immerito, vix adhibetur.

SEMEN VIOLAE LUNARIAE, Mondviolensamen, Silberblattsamen *Semence de Lunaire.* — *Lunariae redivivae* L. (*Lunariae perennis* Moench. — Fl. Bad. III. 48. — Cl. cet. v. Semen Cochleariae p. 316.), plantae perennis Europae australis passimque Germaniae et hortensis, caule erecto hirsuto, foliis profunde cordatis, inaequaliter subsinuato-dentatis, floribus racemosis albido-violaceis, suaveolentibus, siliculis magnis elliptico-lanceolatis, utrinque attenuatis acutis, Semina compressa, marginata, reniformi orbicularia, lentis magnitudine, obscure rubra, odore si teruntur, lepidino et sapore acri-pungente, amariusculo. — Olim in epilepsia laudabatur. Hodie exolevit. — Pari modo Semina Violae lunariae rotunda siliqua seu Violae latifoliae, Lunariae annuae L. (Lunariae biennis Moench. — Fl. Bad. III. 47.), plantae biennis descriptae simillimae, sed siliculis ellipticis utrinque obtuse-rotundatis, adhibebantur.

SEMEN XANTHII v. Semen Lappae minoris (p. 323.).

SEMEN ZAZYNTHAE seu CICHORII VERRUCARII. Warzenmilchen-Samen. *Semence de Zacynthe, de Chicorée à verrues.* - *Zacynthae verrucosae* Gaertn. (v. Herb. p. 108.) Fructus.— Achaenae pappo destitutae. — *Vis* et *Usus*: Herbae. — Sed pariter apud nos non adhibetur..

SEMEN ZEDOARIAE v. Semen Cinae (p. 314.).

Nota. Nostris temporibus pauca tantum Semina a medicis praescribuntur et plerumque aliae plantarum partes eis praeferuntur. Nihilominus Semina saepissime materiis medicamentosis uberiora, ideoque praestantiora sunt et hac de causa non raro ceteris plantarum partibus longe praeferenda. Praeterea sunt majori constantia et corruptioni per tempus longe minus exposita. Hinc omni jure medicorum attentione quam maxime digna.

SERICUM CRUDUM seu BOMBYX CRUDUS, Folliculi Bombycis seu Serici. Rohe Seide, Seidenhäuschen *Soie crue.* Folliculi sunt Crysalidis *Bombycis Mori* ovales, ex filis netis tenuissimis et tenacissimis constantes. — Olim comburebantur et destillatione ex eis liquor eliciebatur nomine Guttulae anglicae, Englische Tropfen, notus. Hodie merito exoleverunt.

SERPENTES NOSTRATES EXSICCATI. Gedörrte Schlangen. *Serpents séchés* (v. Exuviae p. 58.). — Olim pro medicamento usurpabantur. Jamdudum autem merito exoleverunt.

SEVUM. Talg. *Suif.*

Synon.: Sebum. Unschlitt.

In brutis bisulcis praecipue provenit et eliquatione e capsulis adipalibus, inprimis renum et omenti obtinetur. — Pinguedo solida parum tenax, alba, subdiaphana, aqua paullo levior; odore debili proprio, sapore expers. — Distinguuntur:

Sevum bovinum (seu bubulum), Ochsentalg (Rindstalg) *Suif de Boeuf*, e *Bove Tauro* L., colore est plerumque subflavescente.

Sevum ovillum seu **vervecinum**, Hammeltalg (Schöpsentalg), *Suif de Mouton*, a *Capra Ovi*, albidior est et paullo durior.

Sevum cervinum, Hirschtalg, *Suif de Cerf*, a *Cervo Elapho* L. A praecedenti vix distingui potest, nisi quod, si purum, etiam albius, paullo durius et fragilius, odore quoque discedente.

Sevum hircinum, Bockstalg, *Suif de Bouc*, a *Capra Hirco*, praecipue colore pure albo insigne, plus diaphanum, durius praecedentibus et fragilius est; ceterum odore quoque fortiori hircino praeditum.

Sevum leni calore liquescit. — Constat praecipue ex Stearino cum paullo Margarini et Elaini et partim Adipe proprio hircino mixtum. — *Vis:* emolliens, leniens.

Sit Sevum recens, purum, album, mite; rancidum autem removeatur.

Usus: In Emplastris et Unguentis.

SILIQUA CATALPAE. Catalpen- oder Trompetenblumen Schoten. *Siliques de Catalpa.* — *Catalpae syringifoliae* SIMS. (*Bignoniae Catalpae* L.), e cl. Diandria, ord. Monogynia, fam. Bignoniacearum, arboris pulchrae Americae borealis, nobis cultae, Fructus. — Capsulae siliquiformes, 1 — 1 1/2 pedales, digitum minimum crassae, cylindrico-subcompressae, externe obscure griseae, fuscae, intus laete brunneae; Semina plurima oblonga, membranaceo-alata, utrinque oblique acuminata, 1 — 1 1/2 pollicem longa et 1 — 2 lineas lata, cum sporophoro centrali cylindrico-compresso, rugoso, fusco, spongioso, includentes; inodora et fere insipida. — Novissimis temporibus decoctum aquosum in asthmate chronico et nervino laudabatur.

SILIQUA DULCIS. Johannisbrod. *Carouge.*

Synon.: Ceratia, Ceronia, Xylocaracta, Caroba, Caries ligni Siliquae, Panis Siliqua. Soodbrod, Bockshörnlein, Karoben, Korneb. *Xylocarobe.*

Ceratoniae Siliquae L., e cl. Dioecia, ord. Pentandria, fam. Leguminosarum, arboris Europae australis, Africae borealis et Orientis, Fructus. — Legumen planum, compressum, subincurvum, 4— 10 pollices longum, $\frac{3}{4}$—1 pollicem latum et $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ lineas crassum, margine subturgido, castaneum, nitens, sub cuti coriacea carnem laete fuscam, subtenacem, grate dulcem et semina ovato-compressa, fusca, splendentia, durissima includens. — *Part. const. praev.:* Saccharum et Mucilago. — *Vis:* nutriens, demulcens, involvens, pectoralis.

Siliquae vetustae exsuccae vel cariosae rejiciantur.

Usus: In decocto, speciebus admiscetur. — *Praep.:* Extractum; ad Specierum pectoralium Augustanarum compositionem requiritur.

SILIQUA HIRSUTA. Kratzbohne, juckende Fasel *Pois grattant.* — *Stizilobii prurientis* PERS. (*Dolichi prurientis* L. — Cl. cet. v. Fabae p. 58.), fruticis scandentis utriusque Indiae, Fructus. -- Legumen sigmoideum, compressum, 3—4 pollicare, subgibbosum, obscuro fuscum, pilis rubro-fuscis, rigidis, setaceis, facilibus detersu, obductum, quae solummodo pro medicamento usurpantur, Stizilobium, Setae, Lanugo seu Pubes Siliquae hirsutae, Kuhkrätze, *Couhage*, quae nominantur; acicalares sunt, 2 lineas circiter longae, fistulosae, apice solidae; inodorae et fere insipidae; cuti autem externe inspersae pruritum vehementissimum urentem, diuturnum efficientes.— Ut vermifugum cum syrupo vel melle mixtum, apud nos autem rarissime, adhibetur.— Pari modo Setae Stizilobii urentis PERS., fruticis scandentis Indiae occidentalis et Americae meridionalis, adhibetur.

SILIQUA LIBIBIDI v. Fabae (p. 58.).

SIPO seu CIPO DE CHUMBO. Brasilianische Hopfenseide *Cuscute de Brésil.* -- Hoc nomine Cuscuta umbellata KUNTH. (Cuscuta racemosa MART. -- Cl. cef. v. Herb. Cuscutae p. 113.) prostat. In fasciculis advehitur ex filis 1/3 -- 1/2 lineam crassis rubro-fuscis, striatis, cirrhis praeditis constantibus. Inodora sunt, sapore subsalso. -- Pulvis ad vulnera sananda inspergendus commendabatur. -- In patria succus expressus in haemoptysi adhibetur.

SODA. **Natrum carbonicum crudum, Carbonas Natri seu natricus crudus, Subcarbonas Sodae crudus, Alcali minerale crudum.** Soda, rohes kohlensaures Natron. *Soude, Barille.* — Paratur incineratione plantarum quarundam maritimarum littoralium, ut **Salsolae, Salicorniae, Chenopodii, Reaumuriae, Mesembrianthemi, Plantaginis,** porro **Fucorum** specierum. — Paratur etiam artificialiter decompositione Salis communis, praecipue autem Salis Glauberi, ope Carbonis et Cretae. — Massam exhibet compactam, duram, ponderosam, plus minus rimosam, cineream, plus minus coerulescentem et nigrescentem, saporis alcalini, cum acidis effervescentem. — Optima est **Soda hispanica** seu **alicantina,** Spanische oder alikantische Soda, *Barille.* — Constat ex Natro carbonico cum aliis Salibus natrinis, calcariis, magnesiis cet. mixta. — **Soda fucina,** Kelp, Varech-Soda, *Soude de Varech,* inferioris est pretii; continet autem Iodi combinationes. — **Soda artificialis** praeter Natrum carbonicum Calcium sulphuratum cum Calce junctum continet. — *Usus:* Ad parandum Sal Sodae (p. 334.). — Sit massa ponderosa, supra ut bonae notae descripta; aëre non deliquens, in aqua maxima ex parte solubilis. Natri quantitas e saturationis capacitate patet, acidorum ope infestiganda. Soda minus quam 20 procentum continens rejiciatur.

SOJA. Condimentum ciborum japonicum ex Fructu Dolichi Sojae L. (Cl. v. Siliqua hirsuta p. 334.), plantae annuae Indiae orientalis, Japoniae paratum. — Jus exhibet spissiusculum, fuscum, sapore grate salso. Ut stomachicum passim commendatur.

SPATHUM CALCARIUM v. Lapis Calcarius (p. 167.).

SPATHUM PONDEROSUM. Schwerspath. *Spath pésant.*

Synon.: Barytes, Baryta sulphurica nativa, Sulphas Barytae seu baryticus, Baryta vitriolata nativa. Schwefelsaurer Baryt, schwefelsaure Schwererde, vitriolsaure Schwererde, Barytvitriol, Spath-gesäuerte Schwererde. *Sulphate de Baryte, Baryte sulphatée, Terre pésant ou pondereuse.*

Reperitur in venis et stratis montium diversi aevi, praecipue metalliferis, magnopere dispersum. — Lapis crystallos exhibens recte rhombicas et inde derivandas; praecipue autem occurrit in massis crystallinis spathaceis, albis, nitentibus, modice duris, structura lamellosa, p. spec. 4,10—4,8; insipidum est, igne fortissimo vix funditur, insolubilis in aqua et omnibus acidis. — *Part. const.:* Baryta et Acidum sulphuricum aa aequalia p. M.

Sit album, purum, non metallis aliisque mineris inquinatum, quod acidorum fortiorum ope detegitur, quibuscum effervescunt vel solvuntur. Quarzum durius est et chalybe affrictum scintillat.

Usus: Ad paranda alia salia barytica.

SPERMA CETI. Wallrath. *Blanc de Baleine.*

Synon.: Ceti Sperma, Cetaceum, Album Ceti, Adipocera cetosa, Ambra alba. Weißer Amber. *Sperme de Baleine, Cétine, Ambre blanc.*

Provenit praecipue in cavis occipitii *Physeteris macrocephali* L., animalis ingentis piscini, e cl. Mammalium, ord. et

fam. Cetorum, oceanum inhabitantis. — Prostat in frustulis irregularibus vel glebis majoribus foliaceo-crystallinis, candidis, margaritice nitentibus, subpellucidis, facile in squamulas micaceas pellucidas friabilibus, subtenacibus, tactu lubrico-pinguosis; p. spec. 0,943; odore debili piscino et sapore miti, temperatura 40° R. liquescens; temperatura 288° R. maxima ex parte sine mutatione destillatur; aëris aditu ellychnii ope cum flamma splendente facile comburi potest; in aqua non, in alcohole vini calido autem et aethere solubile, solutio refrigerata crystallos lamellosas deponit. — Maxima ex parte e Pinguedine sui generis constat, quae alcalium ope partim tantum acida sebacica, simulque pinguedinem indifferentem, sed paullum immutatam, Aethal quae nominatur, formal. — *Vis:* leniens, demulcens, resolvens.

Sit albissimum, mite; flavescens autem vel rancidum rejiciatur.

Usus: In pulvere cum saccharo mixtum, in emulsione interne, externe in unguentis et emplastris. — *Praep.:* Ceratum seu Unguentum, Sparadrap. Additur emplastris et unguentis nonnullis aliisque compositionibus.

SPERMA RANARUM. Froschleich. *Frais de Grenouille.* — *Ranae esculentae* L. Ova, in rivulis et lacubus aquae innatantia. Materiam exhibent aqueam lubrico-gelatinosam, in aqua valde intumescentem, globulos molles hyalinos cum puncto nigro in medio involventem; inodoram et insipidam. — *Vim* refrigerantem et demulcentem ei olim adscribebant. — *Praep.:* Aqua, Oleum, Emplastrum. — Hodie merito exolevit.

SPICA CELTICA v. Nardus celtica (p. 187.).

SPICA INDICA v. Nardus indica (p. 187.).

SPICA GRAMINIS LEPORINI TREMULI. Zittergrasrispe. *Epi de Brize tremblante.* — *Bryzae mediae* L. (Fl. Bad. I. 199. — Cl. cet. v. Rad. Graminis p. 245.), graminis perennis in pratis siccioribus vulgaris, Flores, paniculam expansam divaricatam exhibentes, ex spiculis elegantibus triangulari-subrotundis, compressis, glabris, nitentibus, coloratis, nutantibus, tremulis, constantem. — Hodie exolevit.

SPICA ORIGANI CRETICI v. Herba (p. 140.).

SPINA MUSTELAE PISCIS v. Mustela piscis (p. 186.).

SPINA VIPERAE v. Vipera (p. 352.).

SPINA VULPIS v. Vulpes (p. 354.).

SPIRITUS VINI. Weingeist. *Esprit de Vin.*

Synon.: Spiritus Vini simplex seu tenuis, Spiritus inflammabilis, Aqua, seu Spiritus ardens, Aqua Vitae, Vinum adustum. Einfacher Weingeist, Branntwein, brennbarer Geist. *Eau de Vie, Esprit ardent.*

Paratur destillatione e liquoribus vinosis, v. c. granis Cerealium, tuberibus Solani tuberosi cet. fermentationi subjectis vel e Vino ipso. — Liquor limpidus, decolor, tenuis; odore et sapore spirituoso; p. spec. 0,95 — 0,933; inflammabilis. — Miscella est ex Alcohole Vini 32 ad 44 et Aqua 68 ad 56 procentum. Ceterum plerumque aliis materiis oleosis, acido aceti cet. inquinatus. Purissimus est, qui ex vino obtinetur, Spiritus Vini gallicus, Franzbranntwein, *Cognac,* odore et sapore gratissimo spirituoso; Spiritus Frumenti et Solani tuberosi, Kornbranntwein, Fruchtbranntwein und Kartoffelbranntwein, odore alieno, ingrato, uti et

sapore, (Fusel qui nominatur) est praeditus. — *Vis:* excitans, analeptica, inebrians.

Sit liquor limpidus, p. spec. supra memorati, oleo nauseoso (Fusel) non adeo inquinatus et metallis nocivis liber.

Usus: Pharmaceuticus, praecipue ad parandum Spiritum Vini rectificatum, rectificatissimum et absolutum inservit.

SPODIUM seu EBUR FOSSILE, improprie Unicornu fossile. Gegraben Elfenbein, fälschlich gegraben Einhorn. *Ivoire fossile*, *Unicorne mineral.* — Reperitur passim in terra alluviali. — Dentes sunt prominentes petrefacti Elephantis (p. 57.), externe ut plurimum grisei, vel nigrescentes, intus albissimi, fragiles, cum acidis effervescentes. — Constat praecipue e Calcaria carbonica et phosphorica. — Hodie merito exolevit.

SPONGIA MARINA. Meerschwamm. *Eponge.*

Synon.: Fungus marinus. Badeschwamm, Waschschwamm.

Achilleum lacinulatum SCHWEIGG. (*Spongia officinalis* L.), zoophytum marinum, ex ord. Spongiarum, in fundo maris mediterranei, praecipue Archipelagi graeci, et maris rubri proveniens; suborbiculari- vel irregulariter rotundatum, pugni ad pedis magnitudine et ultra, saepius plus minus lobatum, colore fusco, plus minus in flavum, rubrum vel griseum, abeunte, leve, porosissimum, ex fistulis tenuissimis capillaceis elasticis intricatis, foraminibus exiguis, passimque majoribus, perviis, constans; hinc inde concretiones lapideas (Lapides Spongiarum p. 169.) continens. — Plures in commercio prostant species. Tenerrimae pallidiores, poris minutissimis perviae, tactu mitiores, pretiosissimae sunt; Spongiae majores, grosse porosae, minoris sunt pretii, frusta diffracta Fragmenta Spongiarum, Spongiae in fragmentis, Spongiae ad Strumas, Kropfschwamm, appellantur; odore sunt ingrate marino seu fucino, et sapore salso, aqua optime elotae inodorae et insipidae, igne nidores foetidissimos empyreumaticos, ammoniacales, emittunt, difficillimae autem combustu; insolubiles in acidis dilutis, acidi autem nitrici ope colore aurantiaco inficiuntur; in liquore kali caustici penitus fere solubiles. — Constat praecipue ex Materia fibrosa animali peculiari; ceterum Iodi quoque vestigia continet. — *Vis:* strumalis.

Sint spongiae purae, concrementis lapideis purgatae; cave ne sint acidi sulphurosi ope albidae factae, quae removendae.

Usus: Mechanicus, ad lavandum et purgandum, et chirurgicus, ad sugendum. — *Praep.:* Spongia cerata, Spongia praeparata et Spongiae combustae.

STANNUM, JUPITER. Zinn. *Etain.* — E mineris stanni oxydati praecipue in Anglia et India orientali obtinetur. - Metallum persplendidum, colore argenteo, solidum, molle, plumbo autem durius, malleabile, tenax, inter flectendum stridens, elasticum, allisum sonans, ductile; in laminas tenues ductum Stanniolum et in laminas tenuissimas ductum Argentum foliatum spurium vocatur; p. spec.

22

7,299; leni calore funditur, igni fortissimo autem aegre tantum avolat. Pond. Mixt. 735,294. — Aëris aditu facile oxygenium attrahit; acidi nitri ope celeriter in oxydum insolubile vertitur, in acido salis et spiritu vitrioli lente tantum dissolubile. Duae sunt Stanni oxydationes, Stannum oxydulatum et Stannum oxydatum; Stannum oxydulatum salia format cum acidis plerumque decolora, si solubilia, sapore nauseoso-acerbo, metallico; solutiones acidi hydrothionici ope colore obscure rubro-fusco et solutionis auri ope colore purpureo vel violaceo et fusco praecipitantur. — Salia Stanni oxydati acidi hydrothionici ope colore sordide flavo, et solutionis auri ope non praecipitantur. — *Vis:* vermifuga. — *Usus:* In substantia, limatum vel pulveratum. — *Praep.:* Cinis Jovis, Sal Stanni (ut reagens). Additur aliis quoque compositionibus. — Sit Stannum purum, metallis alienis non inquinatum, quod detegitur acidi nitri ope, quo solvuntur; liquor filtratus, aqua si diluitur, non turbetur et alcalium ope non praecipitetur, addito acido sulphurico nec praecipitatum album praebeat, addito spiritu salis ammoniaci caustico in excessu neque colorem coeruleum assumat, liquoris kali ferro-cyanati ope non praecipitatum coeruleum et addita aqua calcis in excessu non praecipitatum album praebeat, prunis inspersum, nidores alliaceos emittens.

STERCUS VACCARUM, Fimus Vaccae. Kuhmist. *Fimier de Vache.* — Passim ad cataplasma contra haemorrhoides et erysipelas usurpatur. Infusum aquosum frigidum in obstructione tanquam tonicum et aperiens commendatur. Mense Majo vel Junio in pratis collectus praecipue ad parandam Aquam florum omnium inservit. — De ceteris animalium Stercoribus, v. gr. Canis, Columbae, Gallinae, Pavonis cet. conf. Muscerda (p. 184.).

STINCUS seu SCINCUS MARINUS, Zincus marinus. Meerstinz, Stinzmarin. *Scinc marin.* — *Scincus officinalis* LACEP. (*Lacerta Scincus* L.). Amphibium quadrupedum ex ord. Saurium et fam. Chalcidum, regiones Aegypti, Nubiae, Arabiae et Abyssiniae inhabitans; Lacertae (p. 165.) adspectu et magnitudine, sed crassior, capite brevi, subconico-4-gono, corpore subcylindrico-conico, dorso latiore, uti et cauda brevi, 1—1/2 pollicari, crassiori, apice subcompresso, pedibus brevibus 5-digitatis, pollice brevissimo, digitis crescentibus, mediis pedum posteriorum partim connatis; totum animal squamis rotundatis et scutellis imbricatis tectum, colore sordide flavo-fuscescente, fasciis transversalibus obscurioribus superne praeditum, subtus colore pallidiore flavescente-albido. — Diligenter in vasis clausis, herbis et floribus aromaticis repletis, asservandus, facile enim ab insectorum larvis corroditur et penitus destruitur. — *Part. const. praev.:* Gelatina et Pinguedo. — *Vires* ei adscribuntur diureticae et aphrodisiacae. — *Usus:* In substantia, in decocto. — Ad Theriacae, Mithridatii, Diasatyrii compositiones requiritur et aliis addebatur compositionibus. — Hodie apud nos raro adhibetur.

STIPITES, CAULES seu RAMI ANGELICAE. Angelika- oder Engelwurz-el-Stengel. *Tiges d'Angélique.* — *Archangelicae officinalis* HOFFM. (v. Herba p. 93. et Radix p. 215.) Stipites ramei tenelli sulcati, plerumque rubro-fusci, fistulosi, dulciusculo-aromatici; — saccharo conditi passim adhibentur.

STIPITES APII. Selleriestengel *Tiges d'Ache.* — *Apii graveolentis* L. (v. Herba p. 95. et Radix p. 214.) Stipites ramei tenelli; dulces et aromatici. — Pari modo saccharo condiuntur.

STIPITES ARISTOLOCHIAE TRILOBATAE v. Rad. (p. 216.).

STIPITES CAPPARIDIS MITHRIDATICAE FORSK. (Cl. cet. v. Cort. Capparidis p. 45.), fruticis Orientis, — Arabibus tanquam antidotum contra morsum serpentum venenatorum inservit.

STIPITES CAPRIFOLII. Geißblattstengel. *Tiges* ou *Branches de Chèvrefeuille.* — *Lonicerae Caprifolii* L. (v. Cortex p. 45.) Stipites tenuiores, cylindrici, ramulis oppositis; sub epidermide tenuissima verrucosa, facili solutu, corticem et lignum virescens densum cum medulla inani includens; odore subnauseoso et sapore amariusculo. — Apud nos exolevit.

STIPITES CEANOTHI. Seckelblumenstengel. *Tiges* ou *Branches de Céanothe.* — *Ceanothi americani* L (v. Flor. p. 76. et Radix p. 223.) Stipites juniores, acri-adstringentes. — In America ut purgans, apud nos autem non, adhibentur.

STIPITES CLEMATIDIS SILVESTRIS. Waldreben- oder gemeine Brennkraut-Stengel. *Tiges* ou *Branches de Clématide sauvage.* — *Clematidis Vitalbae* L. (v. Folia p. 110. et Rad. p. 231.) Stipites juniores, angulosi, albide-virescentes, glabri, lignosi, tenacissimi, acerrimi. — Apud nos non adhibentur.

STIPITES DIERVILLAE. Diervillenstengel, amerikanische Zaunkirschenstengel. *Tiges* ou *Branches de Dierville.* — *Diervillae canadensis* W. (*Lonicerae Diervillae* L. — Cl. cet. v. Cortex Caprifolii p. 45.), fruticis Americae borealis, apud nos passim in ambulacris culti, foliis speciosis petiolatis, ovato- vel cordato-acuminatis, serratis, glabris, floribus axillaribus et terminalibus, flavescentibus, pedunculis sub 3-floris, Stipites juniores calamum scriptorium circiter crassi, fusco-rubescentes, lignosi, tenaces, odore nauseoso et sapore ingrato, amariusculo. — Ut antisyphiliticum commendabantur. — Hodie apud nos rarissime adhibentur.

STIPITES DULCAMARAE. Bittersüßstengel. *Tiges de Douce-amère.*

Synon.: Stipites Amarae-dulcis, Stipites seu Caules Solani Dulcamarae, Stipites Solani lignosi seu scandentis, Lignum Dulcamarae, Alpranken- oder Alfranken-, Wasserfranken-, Hirschkraut- oder kriechenden Nachtschatten-Holz. *Tiges* ou *Branches de Morelle grimpante, Bois de Douce-amère.*

Solani Dulcamarae L. (Fl. Bad. I. 515. — Cl. cet. v. Herba

Belladonnae p. 98.), plantae frutescentis locis humidis, ad fluviorum ripas, in dumetis et sepibus umbrosis passim vulgaris, caule flexuoso subscandente, flaccido, ramoso, inferne lignoso, superne subherbaceo, foliis ovato-cordatis, integerrimis, superioribus hastato-auriculatis, breviter pilosulis, floribus lateralibus vel oppositifoliis cymosis, cymis bifidis nutantibus, corollis violaceis, baccis oblongis rubris, Stipites seu Caules bi-3-ennes primo vere vel sero autumno colligendi et siccandi, subangulosi, rugosi, calamum scriptorium et ultra crassi, subflexuosi, epidermide tenui, pallide flavescente-grisea, plus minus in colorem virescentem abeunte, cortice viridi et parte lignosa laete virescente vel flavescente, levi; in medio fistulosi vel medulla farcti, subtenaces, faciles scissu; recentes odore nauseoso, siccati fere inodori, sapore primo ingrato amaro, post irritante dulci, subgutturali, faucibus diu adhaerente. — *Part. const. praev.:* Principium proprium narcoticum (Solanium?) et Dulcamarium (?). — *Vis:* nauseans, diaphoretica, diuretica, resolvens, in majori dosi narcotica.

Sint Stipites firmi, lignosi, sapore forti, irritante, amaro-dulci; non adeo juveniles, herbacei et corrugati. (De confusione cum stipitibus Caprifolii conf. supra)

Usus: In pulvere raro, praecipue in infuso aut decocto. — *Praep.:* Extractum, Solanium.

STIPITES FABARUM. Bohnenstengel. *Tiges des Fèves.* — *Viciae Fabae* L. (v. Fabae p. 58. et Flores p. 65.) Stipites simplices crassiusculi, tetragoni. — Apud nos non adhibentur.

STIPITES MENISPERMI. Mondsamenstengel. *Tiges de Ménisperme.* — *Menispermi crispi* L. (?) fruticis Indiae orientalis (Javae) Stipites, 1/4 — 1/2 pollicem crassi, lignosi, epidermide verrucosa et sapore pure amaro. — In Java ut tonicum, febrifugum adhibentur.

STIPITES seu CAULES CAVI LEVISTICI. Liebstöckelstengel *Tiges de Livèche.* — *Levistici officinalis* KOCH (*Ligustici Levistici* L. — v. Herba p. 129. et Radix p. 256.) Stipites crassiusculi, leviter striati, glabri, fistulosi. — Olim ad potum hauriendum in angina, morbis pectoris cet. commendabantur. Hodie merito exoleverunt.

STIPITES RIBIS NIGRI seu RIBESIORUM NIGRORUM. Schwarze Johannisbeeren-Stengel. *Tiges* ou *Branches de Cassis* ou *de Groseillier noir.* — *Ribis nigri* L. (v. Baccae p. 17. et Folia p. 78.) Ramuli juniores, calamum scriptorium et ultra crassi, cylindrici, cortice tenaci, obscure fusco vel albido, lignosi; odore, praecipue si teruntur, ingrato cimicino. — *Vis* et *Usus:* Foliorum; forsitan eis praestantiores. Hodie immerito raro adhibentur.

STIPITES cum RADICE SYMPHORICARPI. Torfbeeren- oder virginische Loniceren-Stengel mit Wurzel. *Tiges de Chèvrefeuille à petites feuilles avec la Racine.* -- *Symphoricarpi glomeratae* PURSH. (*Lonicerae Symphoricarpi* L. — Cl. cet. v. Cortex Caprifolii p. 45.), fruticis Americae borealis Stipites et Radix. — In patria in febribus intermittentibus laudabantur.

STIZILOBIUM v. Siliqua hirsuta (p. 334.).

STOMACHUS VITULINUS. Kälbermagen, Kälberlaab. *Estomac de Veau, Caillette.* -- *Vituli* Avomasum seu Ventriculus intestinalis, aqua probe lavandus, expansus in aëre vel leni calore, sed celeriter, penitus exsiccandus et loco sicco asservandus. — Ad coagulandum lac in parando Sero lactis inservit.

STORAX. Storax. *Storax.*

Synon.: Storax seu Styrax solidus, Resina Styracis seu Storacis, Gummi Storacis, Thus Judaeorum. Gemeiner Storax, fester Storax, Judenweihrauch. *Styrax solide, Gomme* ou *Résine de Storax.*

Styracis officinalis L. (Cl. cet. v. Benzoë p. 20.), fruticis

seu arboris mediocris Europae australis, Graeciae, Orientis, Resina ex trunco vulnerato exsudans. Semper autem variis materiis plus minus intermixtus prostat. — Variae in commercio sunt species 1) Styrax Calamita vera seu in Massis, qui improprie in Granis appellatur, braunrother feiner Storax, fälschlich Storax in Körnern genannt, *Storax rouge-brun en pains.* Glebae irregulares, rubro- seu nigro-fuscae, opacae, externe halitu albido obductae, tenaces, subglutinosae, digitis tractatae mollescentes; odore fragrante, grate balsamico-aromatico et sapore subirritante vaniglino. Storax in Granis verus seu albus, weißer Storax, Storax in Körnern, *Storax en Grains* ou *en Larmes*, granula exhibens discreta, pisi magnitudine, subpellucida, flavorufescentia, tenacia, vel in massas amygdalinas concreta, grumos referentes fuscos, subdiaphanos, fragiles, granulis albis intermixtos, Galbano in Massis (p. 83.) subsimiles, Styrax amygdaloides, Mandelstorax, qui dicitur; odore gratissimo vaniglino; hodie vix in commercio occurrit. 2) Storax Calamita vulgaris, Scobs storacina. Gemeiner Storax. *Storax en Sarilles.* Massas exhibet magnas, rubro-fuscas, compactas, subtenaces, sed friabiles, ex ligni scope cum Styrace liquido (v. infra) aliisve resinis balsamico-aromaticis impraegnatas, odore grate styracino. — *Part.* Storacis *const. praev.:* Resina, Oleum aethereum et Acidum benzoicum. — *Vis:* balsamico-irritans, nervina, calefaciens, discutiens.

Sit Storax genuinus, supra ut bonae notae descriptus; adulteratio cum aliis resinis seu balsamis aromaticis ex adspectu et odore alieno patet.

Usus: In substantia, interne hodie rarissimus, externe ad suffitus. — *Praep.:* Pilulae de Styrace, ad Pilularum de Cynoglosso, Electuarii Theriacae, Mithridatii, Diascordii, Balsami apoplectici, Commendatoris, Emplastri Styracis, stomachalis cet. compositiones requiritur. — Hodie praecipue Candelis fumalibus, Pulveri fumali et Massae ad fornacem admiscetur.

STORAX seu STYRAX BOGOTENSIS. Storax von Bogota. *Storax de Bogota.* — Hoc nomine nuper ex America Resina quaedam advehebatur, a Styracis specie oriunda. — Frustula exhibet subrotunda vel subcomplanata, 1 — 1 1/2 pollicaria, externe fuscescentia, splendentia, intus obscuriora, arida, difficilia autem in pulverem albido-rufescentem redactu; fere inodora, leni calore autem nidores fragrantes gratissimos vaniglinos emittentia. Ad Storacem genuinum supplendum commendatur.

STORAX LIQUIDUS. Flüssiger Storax. *Storax liquide.*

Synon.: Styrax liquidus, Balsamum Storacis. Storaxbalsam.

Obtinetur e trunco et ramis *Liquidambaris styracifluae* L. (?), e cl. Monoecia, ord. Polyandria, fam. Salicinarum, arboris Americae borealis, nobis passim in ambulacris cultae, eodem modo ac Balsamum indicum nigrum (p. 19.). — Balsamum spissum, extracti consistentia, glutinans, colore griseo, in sordide viridem abeunte, in superficie colorem obscure

fuscum assumens, opacum, sordibus granulosis et fibrosis uti et aquae guttulis plus minus intermixtum, aëre non penitus exsiccatur; odore grate balsamico, subvaniglino et benzoino, et sapore haud ingrato aromatico; aqua gravius; in aqua non, maxima ex parte autem in alcohole vini solubile. — *Part. const. praev.:* Resina propria, Oleum aethereum (?) et Acidum benzoicum. — *Vis:* incitans, discutiens, consolidans (Conf. et Ambra liquida p. 5.).

Sit genuinum, odore grate balsamico, non nimis aqua et aliis quisquiliis intermixtum.

Usus: Non nisi externe hodie adhibetur. — *Praep.:* Unguentum. Additur etiam Candelis fumalibus, Massae ad fornacem aliisque compositionibus.

SUBER, Cortex Suberis. Kork, Gork, Pantoffelholz. *Liège.* — *Quercus Suberis* L. (Cl. cet. v. Cortex Quercus p. 50.), arboris Europae australis et Africae borealis, Cortex cellulosus, maxime turgidus, levissimus, mollis et elasticus, flavescens, rufescens et fuscescens, inodorus et insipidus. — Praecipue ex Materia propria cellulosa, Suberino quod nominatur, constat. — *Vis:* subadstringens. — *Usus:* mechanicus, ad conficienda epistomia cet. notissimus. — *Praep.:* Carbo Suberis seu Nigrum hispanicum.

SUCCINUM. Bernstein. *Succin.*

Synon.: Electrum, Carabe, Ambarum, Ambra flava, Glessum, Lyncurium. Agtstein, gelbe Ambra. *Ambre jaune, Carabé.*

Reperitur praecipue in terris ad lignitis formationem pertinentibus, in alluvio, ad oras marinas, inprimis maris baltici, Borussiae cet., ubi effoditur, vel ex mari ipso piscando quasi hauritur. — Frusta exhibet irregularia, plerumque rotundata et complanata, externe aspera, marginibus et angulis defrictis, variae magnitudinis, plus minus pellucida, vel opaca, passim insecta includentia, colore laete flavo vel albido, Succinum album, weißer Bernstein, vel colore flavo, Succinum citrinum, gelber Bernstein, aut rubro-fusco, Succinum rubrum, rother Bernstein. Durum est, fractura conchoidea splendente, non facile in pulverem redactu; p. spec. 1,07; affrictum vim electricam assumens; inodorum et insipidum, prunis inspersum nidores empyreumaticos, sed grate odoros, spargens; sine mutatione non liquefit; destillatione sicca Oleum aethereum et Acidum succinicum praebet et resina mutata, Colophonium Succini relinquit; in alcohole vini et aethere uti et liquoribus alcalinis fere insolubile. — Bitumen est sui generis e resina quadam vegetabili per tempus ortum. — *Vis:* balsamica, resolvens, roborans (?), nervina (?).

Sit genuinum, supra ut bonae notae descriptum. — Cave confundas cum Copalo (p. 41.) vel Succino artificiali.

Usus: In pulvere, interne hodie raro adhibetur, praecipue ad fumigationes. — *Praep.:* Tincturae variae, Sal seu Acidum, Oleum empyreumaticum. Additur Pulveri fumali et aliis compositionibus.

SUCCUS ACACIAE AEGYPTIACAE. Aechter Acaciensaft, ägyptischer Schotendorn-Saft. *Suc d'Acacie véritable d'Égypte, d'Acacie vraie.* — *Acaciae verae* W. et ut veri est simile, aliarum Acaciae specierum Succus ex leguminibus immaturis expressione et inspissatione paratus. In placentis advehebatur rotundatis, 4—8 unciarum pondere, externe nigricantibus, intus rufescentibus, aliquantulum tenacibus, saporis acerbi, austero-adstringentis, in aqua plane, in spiritu vini autem parum tantum solubilibus. — Secundum proprietates descriptas materia haec proxime ad Catechu (p. 29.) accedit. Hodie autem non amplius in commercio prostat. — Ut adstringens, exsiccans, refrigerans (?), adhibebatur. Ad Theriacae compositionem requirebatur. Apud nos nunc exolevit.

SUCCUS ACERIS. Ahornsaft. *Suc d'Érable.* — *Aceris platanoidis, Aceris saccharini, Aceris dasycarpi* cet. (Cl. cet. v. Cort. Aceris p. 42.), arborum indigenarum et Americae borealis, nobis cultarum, Succus ex trunco terebra efforato anno ineunte colligendus; limpidus, inodorus, sapore grate dulci. — Solutio diluta est fere pura Sacchari in aqua. — Sanguinis purgandi gratia bibendus commendatur. Inspissatione leni igne Saccharum ex eo obtinetur crystallisatum, Saccharum Aceris, Ahornzucker, *Sucre d'Érable*, quod nominatur, Saccharo Candis simillimum, sapore gratissimo dulci, quod ad morbos pectoris magnopere commendatur (conf. quoque Sacchar. p. 296.).

SUCCUS BETULAE. Birkensaft *Suc de Bouleau.* — *Betulae albae* L. (v. Cort. p. 44. et Folia p. 75.) Succus vernus, eodem modo ac Succus Aceris colligendus. — Liquor minus dulcis, simulque sapore alieno subbalsamico; minus Sacchari continet. — Ceterum pari modo ac praecedens adhibetur.

SUCCUS GASTRICUS. Magensaft. *Suc gastrique.* — Ex ventriculis vacuis animalium, praecipue carnivororum, spongiae ope filo affixae, educitur. — Liquor tenuis, passim decolor vel paullum coloratus, subturbidus, sapore salso, simulque saepius acido. Praeter Salia muriatica saepius Acidum Salis et Acidum Aceti liberum continet. Ut antisepticum commendatur, ad ulcera sordida mundificanda.

SUCCUS HYPOCISTIDIS. Hypocistensaft *Suc d'Hypociste.* — *Cytini Hypocistidis* L., e cl. Monoecia, ord. Monadelphia, fam. Aristolochiearum, trib. Cytinearum, plantae annuae parasiticae Europae australis, Cistorum radicibus insidentis, Succus expressus et inspissatus. — In placentis orbicularibus semi-libralibus, ex Creta et Gallia meridionali advehebatur, rubro-nigris, impellucidis, aliquantulum tenacibus, fractura resinose nitente, sapore subacido et peradstringente. — Ut stypticum, in diarrhoea et haemorrhagiis adhibebatur. Ad Theriacam et Mithridatium requiritur. Apud nos exolevit.

SUCCUS LIQUIRITIAE. Süßholzsaft. *Suc de Réglisse.*

Synon.: Succus Liquiritiae seu Glycyrrhizae hispanicus, Extractum Liquiritiae crudum, Jus Liquiritiae. Latritzensaft, Bärenzucker, Bärendreck. *Suc de Réglisse en bâtons, Jus de Réglisse.*

Glycyrrhizae glabrae et *Glycyrrhizae echinatae* L. (v. Rad. p. 257.) Extractum ex radice recente coctione et inspissatione, praecipue in Hispania et Italia, paratum. — In baculis adfertur cylindricis, subtus passim planiusculis, 4—6 pollices longis et ½—1 pollicem crassis, fusco-nigris, sub-nitentibus, foliis Lauri plerumque obvolutis. Durus est et densus, ponderosus, aliquantulum tenax, penitus exsiccatus autem sub malleo dissiliens, fractura aequali nitente; odore debili, haud grato dulciusculo, et sapore dulci irritante radicis; humorem ex aëre non attrahens, maxima ex parte solubilis in aqua, minus autem in spiritu vini. — *Part. const. praev.:* Radicis. — *Vis:* eadem.

Sit siccus, quisquiliis expers, sapore grate dulci, in aqua maxima ex parte solubilis; impurus autem vel sapore ingrato empyreumatico rejiciatur. Saepius cupri ramentis inquinatus prostat; quod restat, si solvitur et residuum abluitur, solutum cuprum oxydatum ferri laminae ope in solutionem immissae detegitur.

Usus: In pulvere, pilulis, vel solutus in aqua, mixturis admiscetur. — *Praep.:* Succus depuratus, Elixir pectorale Regis Daniae et

Succi Liquiritiae, Elixir ammoniato-opiatum, Trochisci bechici nigri; et additur aliis compositionibus.

SUCCUS LYCII, Lycium. Bocksdornsaft. *Suc de Lycium.* — Hoc nomine ex Oriente (Lycia cet.) Glebae nigrae advehebantur, sapore amaro-austero et adstringente, quas Succum inspissatum esse ferunt Rhamni infectoriae L. (v. Grana Avenionensia p. 85.). Secundum aliam opinionem ex Lycio afro L. (Cl. cet. v. Herba Belladonnae p. 98.), frutice sempervirente Africae borealis, Palaestinae, parari dicunt, quod non probabile. Alii Lycium seu Lycion veterum Succum Acaciae verae esse putant; quod si ita esset, Succus Acaciae (v. supra) vel Catechu (p. 29.) et Lycium in unum inciderent. — Ceterum Lycii nomine plures Succi amari et adstringentes intelligebantur. — Hodie exolevit.

SUCCUS PAPAYAE. Papayasaft. *Suc de Papaya.* — *Caricae Papayae* L., e cl. Dioecia, ord. Decandria, fam. Cucurbitacearum (?), arboris tropicae, Succus lacteus ex fructibus immaturis, melonum figura, si vulnerantur, exsudans; odore amygdalino, et sapore acri-amariusculo. Contra taeniam commendatur. Aqua dilutus carni injicitur ut tenerior reddatur (?).

SULPHUR. Schwefel. *Soufre.*

Nativum reperitur in montibus diversissimi aevi, praecipue seleniticis, vulcaniis cet. magnopere dispersum. Eliquatione vel destillatione a sordibus purgatur, vel ex pyrite igne fortiori expellitur; et in formas subcylindricas effunditur. — Baculos exhibet cylindricos vel subconicos, $\frac{1}{2}$—2 pollices crassos, impellucidos, subnitentes, colore citrino, Sulphur citrinum seu in Baculis (Sulphur flavum, Sulphur vulgare, Sulphur factitium, gelber Schwefel, Stangenschwefel, gemeiner Schwefel, *Soufre jaune* ou *commun*. Solidum est Sulphur, p. spec. circiter 2, durum, sonans sed fragilissimum; inodorum, affrictum autem odorem proprium spargens et vim electricam assumens, ideolectricum, insipidum; calore 87° R. liquefit, liquorem oleosum pellucidum format, calore 160° autem spissescit, consistentiam tenacem et colorem rubro-fuscum assumit, avolat lente et lente sublimatione pulverem citrinum, Flores Sulphuris (p. 71.) praebet; calore 252° R. ebullit et in vasis clausis destillatur, refrigerando partim crystallos format oblique rhombicas, ex quadam autem solutione in crystallos rhombico-octaëdricas et inde derivandas concrescit; temperatura ordinaria aëre immutabile, exaestuatum autem aëris aditu flammam concipit et cum flamma coerulea deflagrat, nidoresque pungentes sulphurosos emittit; insolubile in aqua, aegre solubile in spiritu vini et aethere, facilius in oleis et magis in solutione alcali cujusdam fixi caustici. Cum oxygenio aeque atque hydrogenio acida propria format. Est Materia simplex sui generis ametallica; p. Mixt. 201,165. — *Vis:* resolvens, diaphoretica, aperiens, siccans.

Sit pulchre citrinum, ignitum penitus comburatur, in liquore kali caustici plane solubile; cum spiritu salis ammoniaci caustico calefactum non solutionem flavam praebens, quae addito acido salis seu sulphurico in excessu in floccos flavos praecipitetur, quod arsenici praesentiam indicaret.

Usus: In pulvere. — *Praep.:* Flores (p. 71.), Lac Sulphuris, Sulphur Antimonii auratum, Spiritus Sulphuris, Oleum Vitrioli anglicum (p.

201.), Hepar sulphuris alcalinum et calcareum, Liquor Beguini, Balsama Sulphuris, Alcohol Sulphuris. Additur pluribus aliis compositionibus et usus pharmaceuticus in universum multiplex.

SULPHUR CABALLINUM, Sulphur griseum. Roßschwefel, grauer Schwefel. *Soufre grossier.* — Faeces seu scoriae, quae in purificatione et rectificatione sulphuris remanent. — Massa grisea, terrea, insipida; plerumque in conos formata prostat. Miscella est ex paullo Sulphuris et variis Terris, Mineris metallicis, passim noxiis. — Additur plerumque Pulveri Equorum. — Non raro nihil aliud est, nisi Argilla impura grisea, cum Sulphure citrino liquato illita. Qua de causa ex medicamentorum copia delendum

SULPHUR VIVUM GRISEUM, Sulphur nativum, Sulphur virgineum. Lebendiger grauer Schwefel, gediegener Schwefel, Jungferschwefel *Soufre vif gris, Soufre naturel* ou *virginé.* — Est Sulphur nativum, passim crystallinum, colore citrino vel sordide virescente, rufescente, aliis mineris plus minus intermixtum; saepius massam exhibet lapideam griseam, sulphuris particulis inspersam et variis mineris metallicis inquinatam. — Hodie merito non amplius adhibetur.

SUMMITATES Absinthii, Centaurii minoris, Hyperici, Juniperi, Origani cet. Conf. Flores, Folia et Herba suis locis.

SYRUPUS COMMUNIS seu HOLLANDICUS, Syrupus Sacchari, Saccharum liquidum. Gemeiner oder holländischer Syrup, flüssiger Zucker, Melasse (zum Theil). *Syrop, Sucre liquide.* — Obtinetur in sacchari depuratione. — Liquor spissus, consistentia mellis tenuioris, tenax, glutinans, vix pellucidus, colore obscure rubro-usco; odore haud grato mellino, subempyreumatico, et sapore perdulci simulque subempyreumatico; facillime solubilis in aqua, uti et in spiritu vini — Est Saccharum mucosum impurum. — *Part. const., Vis* et *Usus:* Sacchari. — *Praep.:* Spiritus Vini (Taffia, v. infra). Apud nos autem in officinis rarissime adhibetur.

TABAXIR seu TABASKIR. Tabaschir *Tabascheer.* — Concrementum calculosum in nodis geniculatis culmorum annosiorum *Bambusae arundinaceae* W. (*Arundinis Bambi* L.), e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Graminearum, Arundinis ingentis Indiae orientalis, aliarumque Bambusae specierum secretum proveniens. Album est, cretaceum, subdiaphanum et pellucidum, plus minus porosum, friabile; inodorum et insipidum. Est Silicia hydrata cum Kali et Calce silicica et Materia vegetabili commixta. — In patria magni pretii est et auro passim par aestimatur. Pro medicamento tonico, adstringente, antispasmodico cet. in multis morbis, haemorrhagia, phthisi, obstructionibus viscerum, apud nos autem jure non, adhibetur.

TABASCO CON BICUIBA, Conbezoba idem est ac Bicuiba (v. Ol. Nucistae p. 196.).

TACAMAHACA, Gummi Tacamahacae, Resina Tacamahacae. Tacamahak, Tecamahak, Hack und Tack. *Tacamahac* ou *Tacamahaque.* Duae praecipue sunt Tacamahacae species: 1) Tacamahaca occidentalis seu communis, westindischer Tacamahak, gemeiner Tacamahak, *Tacamahac occidental* ou *ordinaire.* Ex trunco et ramis *Amyridis tomentosae* SPR. (*Vagarae octandrae* L. — Cl. cet. v. Elemi p. 57.), arboris mexicanae et curassavensis exsudare putatur. — Frustula exhibet seu Grana irregularia, pisi ad nucis juglandis magnitudine et majora, iniqua, gibbosa et impressionibus excavata, passim perforata, laete fusco-rubra, plus minus flavescentia, inaequaliter colorata, maculata, superficie externa plus minus pallide flavescente, pulverulenta, unde opaca, arida, fragilia, fractura aurantiaca et fusco-rubra, subdiaphano-splendente, maculis albis et flavescentibus opacis variegata, facilia in pulverem pallide flavum redactu; odore haud grate balsamico-resinoso, et sapore ingrato, acri-balsamico et amaro; leni calore liquefit et odorem fortiorem resinosum emittit. 2) Tacamahaca orientalis seu in testis, ostindischer Tacamahak, Tacamahak in Schalen, *Tacamahac oriental, en Coque* ou *sublime.* — E *Calophyllo Inophyllo* L., e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Guttiferarum, arbore Indiae orientalis, Javae, Malabar cet. exsudat. In testis cucurbitaceis, foliis arundinaceis tecta, advehitur. Massam exhibet balsamicam, flavescentem et aurantiacam, semipellucidam, resinose nitentem, mollem et glutinantem; tempore autem penitus exsiccatur et friabilis fit; odore gratissimo aromatico balsamico, lavandulino et ambreino, et sapore aromatico, amariusculo, irritante; leni calore liquefit. Haec species hodie rarissime genuina in commercio prostat. — Ambae in aqua non, in spiritu vini autem solubiles; Resinae sunt propriae, Oleum aethereum continentes. — *Vis:* discutiens, consolidans. — *Usus:* Interne hodie rarissime adhibetur, externe ad suffitus, in emplastris et unguentis. — *Praep.:* Oleum empyreumaticum, Emplastrum de Tacamahaca. de crusta panis. Additur aliis quoque compositionibus. Cave confundas cum Animo (p. 6.) et aliis resinis alienis. — Nomine Tacamahacae Bourbonensis, Balsami Mariae, Sancti Thomae, Calaba, Tacamahak von Bourbon, Marienbalsam, grüner Balsam, *Tacamahac de l'Ile de Bourbon, Baume Marie, Baume verte, Baume Calaba,* Balsamum advehitur ex insulis Madagascar et Bourbon, massam exhibens mollem, viscidam, obscure fusco-viridem, quae tempore exsiccatur; odore

forti balsamico Foenugraeci simili, in spiritu vini aegre, in aethere facilior solutu. Ex *Calophyllo Calaba* L. derivatur, arbore Antillarum vel *Calophyllo Tacamahaca* W., arbore iisdem regionibus ac Calophyllum Inophyllum crescente, derivatur. — In pharmacopoeam hispanicam ut medicamentum recipiebatur. — Balsamum Focot, Focotbalsam, *Baume Focot*, huc pertinere videtur. — Aliae quoque Resinae balsamicae, v. g. *Populi balsamiferae* L. (Cl. cet. v. Cort. p. 50.), arboris Americae borealis et Sibiriae cet. nomine Tacamahacae passim viget. (Conf. quoque Olibanum americanum (p. 202.), Balsamum seu Resina Acouchi (p. 18.) et Resina Chibou (p. 294.)).

TAFFIA, Spiritus Sacchari. Rum und Taffia. *Rhum* et *Tafia*. — Species sunt Spiritus Vini, quae ex succo Sacchari officinarum vel Syrupo (p. 344.) fermentatione et destillatione obtinentur; colore plerumque flavicante, odore et sapore fragrante, grate spirituoso. Alcohole sunt uberiores, quam Spiritus Vini simplex (p. 336.); Taffia Rhumo inferioris est pretii, odore simul subempyreumatico praedita. — Ceterum iisdem gaudent proprietatibus ac spiritus vini purus eodemque modo adhibentur. Praecipue ad parandas Aquas Vitae aptae.

TALCUM, Talcum venetum seu album, Talcum cosmeticum, Stella terrae. Talk, Talch, oder Talchstein. *Talc*, *Talc blanc* ou *de Venise*. — Minerale, praecipue in montibus antiquioris aevi Helvetiae, Tyrolis, Salisburgi, Neapolis, Sueciae cet. Massas exhibet lamellosas, molles, tactu mitissimas, lubricopingues, colore albo, in griseum vel virescentem abeunte, nitentes, subdiaphanas, p. spec. 2,74; faciles in lamellas tenuiores, flexiles, non elasticas, fissu, difficiles autem in pulverem impalpabilem redactu; inodorum est et insipidum, ignis vi resistit, non nisi igne fortissimo in squamulas dissilit; in aqua et in acidis non solvitur. — *Part. const. praev.*: Silicia et Magnesia. — *Usus*: Cosmeticus, additur Fucis. — *Praep.*: Arcanum cosmeticum. — In medicina veterinaria Talcum ut specificum contra fasciolas hepaticas ovium (sane immerito!) laudabatur. — Talci species est Creta hispanica, Lapis Steatites, spanische oder Briançoner Kreide, Speckstein. *Craie d'Espagne, de Briançon*. — Reperitur praecipue in venis metalliferis, Serpentino cet. Saxoniae, Italiae, Hispaniae cet. — Massas exhibet compactas, amorphas, passimque crystallos secundarias Quarzii seu Spathi calcarii cet., talco duriores, pariter autem attactu pingues, nitentes, opacas, albas, cinereas, subrubello-virescentes; ceterum similibus gaudet proprietatibus ac Talcum, nisi quod caloris ope aquam amittit et facilius funditur. Est Magnesia silicica cum Aqua. — *Usus*: Passim Talci; ad tigilla quoque paranda aptum; ad delineandum cet. inservit.

TALI LEPORUM. Hasensprünge. *Talons de Lièvre*, — *Leporis timidi* L. (p. 169.) Talus sive Astragalus, qui os primum inter ossa tarsi Leporis, in suffragine posteriore, superius per ginglymum tibiae conjungitur, ex altera vero parte capitulo rotundo donatur; os iculum satis solidum. — Olim ut diureticum, ad epilepsiam, pleuritidem, colicos dolores et ad facilitandum partum, absurde commendabantur. Merito autem dudum exoleverunt.

TALPA. Maulwurf. *Taupe*. — *Talpa europaea* L. (Cl. cet. v. Erinaceus p. 58.), Animal subterraneum notissimum. — Olim etiam comburebatur. — Et Talpae combustae, gebrannte Maulwürfe, *Taupes brulées*, pro medicamento in arthritide vaga, externe in lepra, struma, ulceribus et fistulis laudabatur. Nihil aliud est nisi Carbo animalis et jamdudum jure exolevit. — Etiam Talpae Sanguis olim stulte in medicinam receptus fuit.

TAMARINDI. Tamarinden. *Tamarinds*.

Synon.: Fructus Tamarindorum, Siliquae indicae, Dactyli acidi. Sauerdatteln, schwarze Datteln.

Tamarindi indicae L., e cl. Monadelphia, ord. Triandria, fam. Leguminosarum, arboris utriusque Indiae Fructus vel potius leguminum Pulpa fusco-nigra, seminibus majusculis compressis, anguloso-orbicularibus, lacte fuscis, nitentibus, perduris et membranis fibrisque intermixta, plus minus mollis et sub-tenax, ponderosa; odore proprio vinoso, et sapore grate acido subacerbo; in aqua mollescens, intumescens et magna ex parte solubilis. — *Part. const. praev.*: Tartarus, Acidum tartaricum et citricum, et Saccharum. — *Vis*: temperans, alvum laxans.

Sit massa obscure nigro-fusca, acida, compacta, tenax, non adeo mollis vel laete fusca, mucida, dulcescens vel ingrate acerba, quae rejicienda, uti et pulpa egens et maxima ex parte ex membranis, fibris et seminibus constans. Cupri inquinatio detegitur, si cum aqua emolli-

tur et lamina ferrea polita in solutionem per aliquod tempus immitti-tur.

Usus: In decocto. — *Praep.:* Pulpa, Serum lactis tamarindinatum. Additur aliis quoque compositionibus.

TAPIOCCA seu TAPIOCA. — Hoc nomine Amyli species prostat, quae ex Janipha Manihot KUNTH. (v. Cassave p. 28.) obtinetur. — Pulvis albissimus, nitens, omnino cum Arrow-Root (p. 9.) congruit.

TARTARUS CRUDUS. Roher Weinstein. *Tartre cru.*

Synon.: v. sequens.

Secernitur in doliis ex vino recente. — Crustas exhibet compactas crystallinas, plus minus crassas, albide griseas, Tartarus albus, weißer Weinstein, *Tartre blanc*, ex vino albo; vel rutilas, Tartarus ruber, rother Weinstein, *Tartre rouge*, ex vino rubro. Durus est, sed fragilis, tactu asper, sapore acidulo. — Tartarus est, Calcaria tartarica, Faecibus, Materiis colorantibus et adstringentibus cet. plus minus inquinatus (de reliquis Tartari proprietatibus conf. sequens).

Usus: Ad parandum Tartarum depuratum, Sal, Spiritum et Oleum empyreumaticum Tartari, Globulos martiales cet.

TARTARUS DEPURATUS. Gereinigter Weinstein. *Tartre purifié.*

Synon.: Crystalli Tartari, Cremor Tartari, Kali bitartaricum, Kali tartaricum acidulum, Bitartras Kali seu kalicus cum Aqua, Tartras kalicus seu Potassae acidulus, Tartras Lixivae acidulus, Supertartris seu Supertartras Potassae, Acidum Tartari veterum. Regenerirter Weinstein, Weinsteinkrystalle, Weinsteinrahm, saures oder doppelt weinsteinsaures Kali, saures Kalitartrat. *Tartre crystallisé, Crême de Tartre, Crystaux de Tartre, Bitartrate* ou *Tartrate acide de Potasse.*

Paratur ex Tartaro crudo iterata solutione in aqua fervida, clarificatione solutionis et crystallisatione. — Crystallos exhibet partim secretas, prismaticas, oblique rhombicas, marginibus acutis et angulis lateralibus truncatis, seu inaequaliter hexagonales, planis duobus exacutis. Plerumque irregulares sunt, et imperfecte formatae, plus minus in glebulas concretae, pellucidae, nitentes vel subdiaphanae, albae; durae, faciles autem in pulverem niveum, asperum redactu, aëre immutabiles, sapore acidulo. — *Part. const.:* Acidi Tartari 2, Kali 1 et Aquae 1 p. Mixt. (semper etiam 2—3 procentum Calcariae tartaricae continet). Aegre solubilis in aqua, temperatura ordinaria 180 et temperatura 80° R. 14 partes requirit, insolubilis in spiritu vini, calore destruitur, nidores empyreumaticos acidos, odore proprio, emittit et Sal Tartari (v. pars posterior) cum Carbone mixtum relinquit. — *Vis:* refrigerans, aperiens, diuretica.

Sit albissimum, non griseum vel adeo coerulescens, penitus solubilis in aqua, solutio addito acido hydrothionico non fusca coloretur, et addita terra ponderosa salita praecipitatum album non praebeat in acidis insolubile.

Usus: In pulvere. — *Praep.:* Acidum seu Sal essentiale Tartari, Tartarus solubilis, Tartarus tartarisatus, Tartarus emeticus, Tartarus calybeatus et Globuli martiales, Sal Seignette, Cremor Tartari solubilis, Tartarus mercurialis. Additur Aquae laxativae Viennensi et pluribus aliis compositionibus.

TELA ARANEARUM v. Araneae (p. 8.).

TEREBINTHINA. Terpentin. *Térébenthine.*

Synon.: Terpenthin, Terbentin.

Balsamum ex trunco vulnerato Pini specierum effluens. Plures sunt species; usitatissimae sunt:

1) Terebinthina communis, gemeiner Terpentin, *Térébenthine commune;* ex *Pino silvestri* (Fl. Bad. III. 707.), e cl. Monoecia, ord. Monadelphia, fam. Coniferarum, arboris acerosae notissimae silvestris, obtinetur. Balsamum spissum viscidum, tenax, albidum seu pallide flavescente-griseum, opacum, granulosum, odore forti, graveolente, resinoso, et sapore nauseoso, irritante, amariusculo. Hoc nomine et nomine Terebinthinae gallicae seu de Bordeaux, französischer Terpentin, *Térébenthine de Bordeaux, Pini Pinastri* Ait. (*Pini maritimae* Lam.), arboris Italiae et Galliae meridionalis, Balsamum prostat, quod purius, tenuius, flavum, pellucidum, odore minus ingrato terebinthinaceo;

2) Terebinthina veneta seu laricina, Balsamum Laricis, venetianischer Terpentin, *Térébenthine de Venise* ou de *Mélèze;* ex *Pino Larice* L. (*Larice europaea* Dec. — Fl. Bad. III. 708.), arbore silvestri Europae mediae et australis, foliis fasciculatis, obtusis, mollibus, deciduis, colligitur. Balsamum subflavescens pellucidum, consistentia mellis tenuis, viscidum, tenacissimum; odore gratiore terebinthinaceo simulque citreo, sapore ingrato balsamico-amaro. — Cum hac specie maximam partem convenit Terebinthina argentoratensis, Straßburger Terpentin, *Térébenthine de Strasbourg*, quae ex *Pino Picea* L. (*Abiete pectinata* Dec. — Fl. Bad. III. 709.), arbore superba, foliis acerosis solitariis, pectinatis, emarginatis, subtus argenteis, obtinetur. Secernitur enim sub cortice, bullas formans, quae perforantur. — Balsamum fere decolor, pellucidum, tenue, odore grate balsamico et citreo.

Terebinthina aqua ponderosior, facile inflammabilis, in aqua non, in spritu vini, aethere et oleis facile solubilis. Miscella est ex Oleo Terebinthinae (p. 200.) et Resina. Tempore exsiccatur et resinam fragilem relinquit (conf. quoque Resina alba), leni calore oleum aethereum etiam expelli potest. — *Vis:* irritans, calefaciens, diuretica.

Usus: Terebinthina communis non nisi externe in unguen-

tis et emplastris adhibetur, Terebinthina veneta interne quoque in pilulis (cum magnesia), emulsione cum vitello ovi, cet. — *Praep.*: Unguentum digestivum, Balsamum vulnerarium seu Terebinthinae, Oleum aethereum (p. 200.), Colophonium (p. 40.), Sapo Starkeii, et additur pluribus aliis compositis, praecipue unguentis, balsamis et emplastris.

TEREBINTHINA COCTA. Gekochter Terpentin. *Térébenthine cuite.* Residuum est destillationis Olei Terebinthinae (p. 200). — Massa solida, in frigore fragilissima, subflavescens, pellucida; odore debili terebinthinaceo, fere insipida, leni calore liquescens; ceterum uti Colophonium (p. 40.) sese habens. — Resina est hydrata, paullum Olei aetherei plerumque continens. — *Vis* et *Usus*: Colophonii, et interne adhibetur, forma pilularum. Etiam ad parandum Colophonium ipsum inservit.

TEREBINTHINA DE CHIO seu DE CYPRO, TEREBINTHINA VERA. Wahrer cyprischer Terpentin, Terpentin von Chio. *Térébenthine de Chypre.* — Ex *Pistacia Terebintho* L. (Cl. cet. v. Mastix p. 179.), arbore Europae australis, Africae borealis et Asiae minoris, exsudans. — Balsamum spissum, tenax, pellucidum, colore candido-flavescente, ad coeruleum vergente; odore grate balsamico citreo et jasmineo, et sapore miti balsamico. Tempore exsiccatur. — Praefertur reliquis terebinthinae speciebus et ad Theriacae confectionem requiritur. Sed hodie vix genuinum in commercio apud nos prostat.

TERRA JAPONICA v. Catechu (p. 29.).

TERRA LEMNIA. Lemnische Erde. *Terre Lemnienne* ou *de Lemnos* — Reperitur in montibus vulcaniis, basalticis, calcariis antiquioris aevi Germaniae, Bohemiae, Silesiae, Orienti. cet. Olim praecipue ex insula Lemno (Stalimene) advehebatur. — Glebae amorphae, flavescente-cinereae, passimque in rufum et fuscum vergentes, variegatae, opacae vel parum pingue nitentes; p spec. 2,0; tactu pingues, linguae paullum adhaerentes, molles, friabiles, fractura conchoidea, in aquam immissae dissilientes, neque vero emollescentes uti argilla, ignis vi aliquantum resistentes. — *Part. const.* Silicia et Alumina cum Aqua, plus minus cum Calce, Magnesia et Ferro oxydato commixtae. — *Vis* ei adscribebatur adstrictiva, et pluribus pulveribus compositis admiscebatur. — Dudum autem jure exolevit.

TERRA MIRACULOSA SAXONIAE v. Lithomarga (p. 175.).

TERRA OCHRA v. Ochra (p. 291.).

TERRAE SIGILLATAE. Siegelerden. *Terres sigillées.* — Discos terreos parvos, 1/2 — 2-pollicares exhibentes, uno latere sigillo impressos. — Plures olim in medicina prostabant species, e. g. Terra sigillata alba turcica et Terra sigillata alba goldbergensis, Axungia seu Medulla Lunae, weiße türkische Siegelerde, und weiße schlesische Siegelerde, *Terre sigillée blanche de Turquie* et *Terre sigillée blanche de Silesie* ou *de Goldberg*; — Terra sigillata melitensis sive de Malta, Terra de Sti. Pauli, maltesische Siegelerde, *Terre de sigillée de Malte*, quae plerumque effigie Sti. Pauli signata est. Hae tres species, nihil aliud esse videntur, nisi Bolus alba (p. 21.); — Terra sigillata rubra turcica, rothe türkische Siegelerde, *Terre sigillée rouge de Turquie*, cum Bolo Armena (p. 21.) congruit; — Terra sigillata silesiaca grisea vel lutea strigonensis, Axungia seu Medulla Solis, graue schlesische Siegelerde, *Terre sigillée grise de Silesie*, cum Terra Lemnia convenit. — Omnes hae et aliae terrae species, quae olim medicamentorum farraginem augebant, jam dudum merito exoleverunt.

TERRA SILICICA v. Lapis Silicis (p. 169.).

TERRA TRIPOLITANA, Lapis Tripolis. Trippel, Trippelerde. *Tripoli.* — Reperitur in montibus stratificatis et alluviis passim; olim praecipue Tripoli exportabatur. — Frusta exhibet amorpha, pallide cinerea, plus minus flavescentia, opaca, tactu macilenta, subaspera, mollia, friabilia, inquinantia, linguae non adhaerentia, in aquam immissa multum aquae absorbentia, sed non emollientia, igne fortiori indurescentia. — Miscella est Siliciae et Argillae Ferro oxydato plus minus conjuncta. — *Usus*: Externe ad inspergendum (inepte); praecipue autem mechanicus ad mundanda et polienda utensilia. — Ejus loco saepissime aliae terrae argillaceae, v. g. Ochra (p. 191.) cet. sumuntur.

+ TERRA VIRIDIS, Viride montanum, Chrysocolla Veterum. Grüne Erde, Berggrün. *Terre verde*, *Verd de Montagne*, *Crysocolle.* — Hoc nomine Malachites terreus intelligitur; fragmenta exhibens viridia, opaca, friabilia, insolubilia in aqua, solubilia autem in acidis fortioribus inter effervescendum. — Est Cuprum oxydatum 1/2 carbonicum cum Aqua; ceterum cum Lapide Armenio (p. 166.) convenit et iisdem passim locis occurrit. — Externe ad ulcera maligna purganda et exsiccanda adhibebatur. Hodie autem exolevit.

TESTAE COCHLEARUM. Schneckenhäuslein. *Coquilles d'Escarcots.* — *Helicis pomatiae* L. (v. Cochleae p. 34.) aliarumque Helicum Testae seu Domunculae notissimae. — Praecipue ex Calcaria carbonica constant. — Olim tanquam absorbens, uti Conchae (p. 40.), adhibebantur. Nihilo autem iis praestant, et jam dudum exoleverunt.

TESTAE OSTREARUM v. Conchae (p. 40.).

TESTAE OVORUM. Eierschalen. *Coques d'Oeufs.* — Ovorum gallinaceorum (p. 205.) Testae albae, terreae, notissimae. — Omnino cum Conchis et Oculis Cancrorum (p. 166.) congruunt, eodemque modo adhibentur.

TESTAE OVORUM STRUTHIONIS. Straußen-Eierschalen *Coquilles d'Oeufs d'Autruche.* — Ovorum Struthionis (p. 205.) Testae maximae, calamum stramineum crassae, externe pallide flavescentes, intus albae, perdurae. — Olim ut diureticum, lithontripticum cet., praecipue laudabantur. Aliis concrementis, praecipue Calcariam carbonicam continentibus, nihilo praestant. Hinc jure exoleverunt.

TESTES EQUI. Pferde-Geilen *Testicules de Cheval.* — *Equi Caballi* L. (v. Axungia, p. 13.) Testiculi, in castratione excisi, dissecti, vino loti et exsiccati in clibano. — Olim absurde ut remedium prae-

stantissimum ad foetum mortuum et secundina pellenda et ad colicos dolores sedandos commendabatur. Merito autem dudum exoleverunt.

TESTUDINES. Schildkröten. *Tortues.* — *Emys europaea* (*Testudo orbicularis* L.), Amphibium quadrupes ex ord. et fam. Cheloniorum, Europam mediam et australem inhabitans, in fluviis, limo, uti et in terra, proveniens, 6—10-pollicare, testa compressa, ovali, nigro-fusca, radiatim flavo-maculata, glabra, durissima; corpore molli, capite et pedibus natatoriis verrucis obsessis. — In pharmacopoeam hispanicam tanquam medicamentum recipiebatur. Caro maxime nutriens ad jusculá sapidissima paranda inservit. Phthisicis commendatur. Aliae testudines passim pari modo adhibentur.

THEA, Herba seu Folia Thea, Thee Sinensium, Thee Indorum, Tsiae Javensium. Thee. *Thée.* — *Theae chinensis* SIMS. (*Theae viridis* et *Theae Boheae* L.), e cl. Polyandria, ord. Monogynia, fam. Camelliearum, fruticis et arboris Chinae, Japoniae, ibidemque crebre cultae, Folia tenella caloris ope supra lamina ferrea solliciter siccata, dum manibus ita tractantur, ut convolvantur et contorta evadant. Innumerae in commercio sunt Theae species seu varietates, praecipue destinguuntur: 1) Thea viridis, Thea Haysan, Thea Soulang, Thea Singloe cet., grüner Thee, Haysan- oder Heisan-Thee, Perl-Thee, Theeblüthen, Kaiserthee, *Thée verte*, *imperiale* cet. Colore gaudet plus minus laete vel obscure griseo-viridi. 2) Thea nigra, Thea Bohea, Thea Pecco, Thea Congo cet. schwarzer oder brauner Thee, Theebeu, Pecco-, Congo-Thee. *Thée noire* cet. Colore plus minus nigro-fusco. Odor Theae peculiaris, grate aromaticus, sed quoad speciem saepius quam maxime diversus, sapor adstringens et grate aromatico-amariusculus. Infusum aquosum frigidum ferri muriatici oxydati ope colore coeruleo-nigro imbuitur. — *Part. const. praev.:* Principium adstringens, amarum et proprium aromaticum. — *Vis:* excitans, tonico-adstringens, diaphoretica, nervina, exhilarans, anodyna, majori dosi inebrians. — *Usus:* diaeteticus pro potu notissimus. — Ut medicamentum raro praescribitur. — De variis Theae succedaneis v. Herbae suis locis.

THEA DE PARAGUAY v. Herba Apalagines (p. 94.).

THUS COMMUNIS seu VULGARIS v. Resina alba (p. 293.).

TIMPOST. — Hoc nomine incolae insulae Celebes materiam animalem, Castoreo similem, ut medicamentum adhibent. — Forsitan idem est ac Dasjespis (p. 57.). ?

TINCAL v. Borax (p. 22.).

TORNA SOLIS COERULEA et RUBRA v. Bezetta (p. 20 et 21.).

TREPA JAPAN. — Hoc nomine novissimis temporibus frustula in commercio prostant lignosa arboris cujusdam japonensis, calamum scriptorium circiter crassa, fusco-grisea, inodora, sapore subacerbo-dulciusculo, quae in pulverem redacta contra exanthemata cutis inveterata, herpetem squamosum, siccum, cet. magnopere laudantur.

TRIBULI AQUATICI v. Nuculae aquaticae (p. 191.).

TRITICUM. Waizen. *Froment.* — *Tritici vulgaris* VILL., *Tritici Speltae* L., aliarumque Tritici specierum, cerealium tritissimarum (v. Amylum p. 6.) Fructus. — Caryopsides oblongae, ovales, convexae, truncatae, sulco longitudinali exaratae, albidae vel rufescentes, glabrae, ex glumis excidentes (Triticum vulgare), vel ovato-3-gonae, truncatae, albidae, flavescentes, glabrae, glumis inclusae (Triticum Spelta) cet.; inodorae, sapore dulciusculo-farinoso. — *Part. const. praev.:* Amylum, Gluten vegetabile et Saccharum. — *Vis:* maxime nutriens. — *Usus:* multiplex diaeteticus notissimus. — *Praep.:* Amylum (v. supra), Farina (p. 59.); molae ope excorticata et comminuta, Alica, Grütze, quae dicitur, aegrotis in jusculis commendatur.

TUBERA ESCULENTA, nobilia seu Terrae. Trüffel, Erdmorchel. *Truffes.* — *Tuber Cibarium* SIBTH. (*Lycoperdon Tuber* L.), Fungus subterraneus e fam. Myelomycetum, in silvis faginis, quercinis, castaneis cet., sub terra proveniens. — Tubera subglobosa, nucis avellanae ad pugni magnitudine, externe aspera, verrucosa, nigrescentia, intus alba, carnosa (variat colore pallidiore cinereo et coerulescente); odore proprio irritante, uti et sapore, simul dulciusculo. — Olim ut medicamentum recepta, hodie exoleverunt. Nutriendi et stimulandi ergo cocta vel assata comeduntur.

TUBERA SOLANI TUBEROSI v. Rad. (p. 284.).

TURIONES seu GEMMAE, improprie Strobuli, Coni seu Ramusculi Abietis et Piceae. Tannensprossen, Tannenknospen. *Boutons* ou *Bourgeons de Sapin.* — *Pini Abietis* L. et *Pini Piceae* L. (v. Resina alba p. 293. et Terebinthina p. 137.) Gemmae, vere colligendae, aggregatae, subglobosae, ovatae, $\frac{1}{2}$—1 pollicares, media maxima, squamis rufescentibus resinosis tectae. — *Part. const. praev.*, *Vis* et *Usus:* sequentis.

TURIONES PINI. Fichtensprossen. *Boutons de Pin.*

Synon.: Gemmae Pini, improprie Strobuli, Coni seu Ramusculi Pini. Fichtenknospen, Kiefer-, Kien- oder Föhren-Sprossen, Fichtenzapfen. *Bourgeons de Pin.*

Pini silvestris L. (v. Terebinthina p. 347.) Gemmae, vere colligendae, in ramulorum apicibus aggregatae, oblongo-cylindricae, 1—2 pollicares, 2—3 lineas circiter crassae, squamulis rufo-fuscis, ciliatis, resinosis tectae, intus laete virides, molles, leves; odore haud ingrate resinoso-balsamico et sapore resinoso-irritante et amaro; infusum aquosum ferri muriatici oxydati ope colore obscure viridi imbuitur. — *Part. const. praev.:* Resina, Oleum aethereum et Principium adstringens.— *Vis:* excitans, balsamica, antiscorbutica.

Usus: In decocto. — *Praep.:* Tinctura, Spiritus, Aqua, Extractum, Essentia lignorum, Species mundificantes; additur aliis quoque compositionibus.

TUTIA, Thutia, Tutia alexandrina, Cadmia Fornacum, Nihilum griseum, Botrytis. Tutia. *Tutie, Cadmie des Fourneaux.* — Una cum Nihilo albo (p. 188.) obtinetur. In propinquo aeris fusi deponitur. — Prostat in crustis concavis vel convolutis, aridis, macilentis, densis, duris, modice gravibus, cinereis vel fusco-griseis; inodoris et insipidis; in acidis fortioribus pro parte quidem dissolubilibus. — Est Zincum oxydatum impurum, si genuinum, Cadmium oxydatum continens. — *Vis* et *Usus:* Nihili albi. — *Praep.:* Tutia praeparata, Unguentum de Tutia. Addebatur aliis quoque compositionibus. Hodie saepissime hoc nomine artefactum in commercio prostat, ex arena, terra ferruginea cet. confecta, quod ne vestigia quidem Zinci oxydati vel Cadmii continet. Quare materia impura, infida, ex medicamentorum copia delenda.

TYPHI CERVI. Hirschkolben. *Crucs de Cerf.* — *Cervi Elaphi* L. (v. Cornu Cervi p. 41.) Cornua tenella, cuti crassa, pilo tomentoso praedita, obducta, intus cartilaginea, sanguinolenta. — Olim pro medicamento usurpabantur, ad parandam Aquam Typhorum Cervi compositam et simplicem cet. Merito autem exoleverunt.

ULTRAMARINUM. Ultramarin. *Outremer.* — Pigmentum pretiosissimum, pulcherrimum, azureum, pulverem impalpabilem exhibens; insipidum; aëre immutabile, insolubile in aqua; ex lapide Lazuli (p. 168.), paratur. — Praecipue ex Silicia, Alumina, paullo Kali vel Natri et Sulphuris oxydati commixto constat. — *Usus:* Olim uti lapidis Lazuli. Jam dudum autem pariter exolevit. Pictoribus inservit. — Artificialiter quoque parari potest ex hepate sulphuris natrino, silicia et alumina commixto, calefaciendo ad incandescentiam usque, aëre non plane excluso, et elutriando residuum coeruleum.

UMBILICUS MARINUS, Umbilicus Veneris marinus, Belliculus marinus, Faba marina. Meerbohne, Nabelstein. *Nombris marin.* — *Turbinis Cochli* aliarumque Turbinis specierum, Gasteropodum marinorum, e fam. Pectobranchiorum, in mari mediterraneo, adriatico, viventium, domicilii Operculum orbiculari-ovale, compressum, 1/2 — 3/4 pollicem longum, uno latere planum, fuscum, sulcis spirabilibus praeditum, altero latere inaequaliter cochleatim turgidum, cum concavitate umbilicali in medio, colore flavo-rubro et fusco variegatum, glabrum, nitens, durum, terreum. — Praecipue ex Calcaria carbonica constat. — Olim ut absorbens in colica umbilico impositum, ad dolores sedandos adhibebatur; ex longo autem tempore jure exolevit. — Nomine Umbilici marini, Androsaces, Acetabuli marini, Cotyledonis marini, etiam Tubularia Acetabulum, Polypus marinus maris mediterranei, intelligebatur.

UMBRA, TERRA seu CRETA UMBRA. Umbra, türkische Umbra, Umber, Umbraun, braune Erde. *Ombre, Terre d'Ombre.* — Reperitur praecipue in insula Cypro. — Glebae amorphae compactae, obscure fuscae, opacae, terreae, friabiles, tactu macilentes, linguae adhaerentes; p. spec. 2,2; in aquam immissae partim dissilientes; ignitae colorem rubro-fuscum assumentes. — Est Argilla ferruginea. — Olim ut medicamentum adhibebatur, hodie exolevit. — Pictoribus inservit. — Ejus loco saepius Umbra Coloniensis, Kölnische Umbra, quae dicitur, Lignitis species soluta, terrea, nigro-fusca, usurpatur.

UNGUIS ODORATUS v. Blatta Byzantina (p. 21.).

UNGULA ALCIS. Elens- oder Elendsklauen. *Ongle d'Elan.* — *Cervi Alcis* L. (v. Cornu p. 4.) Ungula profunde bisulca, fusco-nigra, ungulae bovis magnitudine, perdura, cornea. — Olim praecipue pro antiepileptico habebatur. In pulvere interne adhibebatur et amuleti instar forma annulorum elaborata infantibus suspendebatur. Hodie merito exolevit.

UNGULAE CANCRORUM eaedem sunt ac Chelae Cancrorum (p. 32.).

UNICORNU. Einhorn. *Licorne.* — Hoc nomine diversa Cornua et Dentes colligebantur; v. g. Ceratodontis Monocerotis (Monodontis Monocerotis L. — Cl. cet. v. Sperma Ceti p. 335.), Ceti generis, mare boreale inhabitantis, Dens prominens, longissimus, strictus, cylindrico-conicus, superficie spiraliter torta, candidus, durissimus, ponderosus, nomine Unicornu veri seu maximi, Wahres Einhorn, *Licorne veritable; Rhinocerotis indici* et *Rhinoc. africani* (Cl. cet. v. Ebur. p. 57.), animalium ingentium Indiae orientalis et Africae, Cornua naribus insidentia, conica, sordide fusca, ex setis connatis constantia, durissima. Forsitan Antilopes quoque specierum Cornua hoc nomine prostabant. — Veteres eis virtutes alexipharmacas et contra omnia venena valentes adscribebant. — Omnino autem cum aliis ossibus et cornubus congruunt, et merito exoleverunt.— De

UNICORNU seu EBORE FOSSILI v. Spodium (p. 337.).

UVAE LABRUSCAE. Claret-Trauben. *Raisins de Clairette.* — *Vitis Labruscae* L. (Cl. cet. v. Passulae p. 205.), vitis Americae borealis, quae in Europam meridionalem immigravit, Baccae acerbae. — Ad parandam Agrestam (p. 2.) inserviunt.

UVAE MARINAE. Meertrauben. *Raisins marins.* — *Ephedrae distachyae* L. (Cl. cet. v. Herb. Ephedrae p. 115.), fruticis littoralis Europae australis Fructus; baccis Mori (p. 16.) similes, sapore acidulo-subdulci. — Hodie exoleverunt. — Uvarum marinarum nomine Ova quoque Sepiae officinalis L. (v. Os p. 204.) intelliguntur, quae globosa, pisi magnitudine, pedunculis ramosis uvarum instar in modum racemosum insident.

UVAE PASSAE v. Passulae (p. 205.).

UVAE QUERCINAE. Eichentrauben. *Raisins de Chéne.* — Hoc nomine excrescentia quaedam intelligitur ad radices quercuum sub terra proveniens, a Cynipe orta, forma uvae conglomeratae; sapore perad-stringente. Galla quasi subterranea, et cum aliis Gallis (p. 83.) congruens. Praecipue in dysenteria celebrabatur. Hodie exolevit.

UVAE VERSAE seu VULPINAE v. Bacc. Paridis (p. 16.).

VANDELLIA DIFFUSA L., ausgebreitete Vandellie *Vandellia diffuse*, — *Haimarada Guineensis* quae dicitur, planta herbacea insularum Caribaeorum, Brasiliae, habitu Veronicae serpyllifoliae; odore debili herbaceo, et sapore amarissimo. — In patria ut tonicum, stomachicum, resolvens, diureticum, febrifugum, vermifugum cet. parva dosi in pulvere adhibita, magnopere celebratur. In majori dosi vomitum ciet et in dysenteria commendatur; externe, tanquam vulnerarium, ulceribus applicatur. Apud nos nondum adhibetur.

VANIGLIAE seu VAINIGLIAE, Vanilliae, Bannillae seu Bainillae, Siliquae Vanillae cet. Araci aromatici. Vanillen oder Vanillien. Venillen, Leq-Vanillen. *Vanilles, Banilles.* — *Vanillae aromaticae* Sw. var. *sativae* (*Epidendri Vanillae* L. — Cl. cet. v. Rad. Salep p. 275.), fruticis scandentis Americae meridionalis, praecipue in Mexico cultae, Fructus. — Capsulae siliquiformes, tenues, subcompresso-cylindricae, utrinque attenuatae, 5—10-pollicares, et 3—4 lineas latae, obscure fuscae, nitentes, in longitudinem sulcato-rugosae, saepius crystallis minutis acicularibus albis splendentibus inspersae, tactu pingues, molles, tenaces, flexiles, sub pericarpio crassiusculo, denso, subcoriaceo, semina numerosissima, minutissima, scobiculata, nigra, pulpa concolore balsamico-oleosa obvoluta, includentes; odore fragrante suavissimo-aromatico, Balsami indici nigri (p. 19.) simili, sed subtiliore, et sapore dulciusculo aromatico. — *Part. const. praev.:* Principium peculiare aromaticum, quod per se sisti non potest, Oleum pingue proprium, Acidum benzoicum et Principium extractivum (?). — *Vis:* excitans, nervina, calefaciens, analeptica. — *Usus:* In infuso. — *Praep.:* Elaeosaccharum vanigliatum, Syrupus, Tinctura, Vakaka. Additur praecipue Chocoladae et aliis quoque compositionibus. — Sint Vanigliae crassiusculae, pingues, crystallis praeditae, Vanigliae crystallinae quae dicuntur, fragrantissimae, aromaticae; corrugatae autem, tenues, exsuccae, vel mucidae, removendae. — Ceterum aliae Vanigliarum species passim in commercio occurrunt, inferioris autem pretii sunt, v. g. Vanigliae brasilienses, Vanillae angustifoliae Sw. Fructus (?), quae crassiores, trigonae; Vanigliae Laguairae, Vanillon, Vanillae Pomponae SCHIEDE fructus (?), quae latissimae, compressae, Phaseoli leguminum figurae subsimiles. Ambae obscure fuscae, pingue nitentes, odore debili vaniglino praeditae.

VARIOLARIA AMARA ACH., Bittere Pockenflechte, *Variolaire amère*, — Lichen crustaceus, praecipue truncis Fagi et Castaneae superincrescens, thallo albo vel pallide cinerascente, rugoso-rimoso, subpulverulento, apotheciorum verrucis adpressis plano-concavis marginatis, sorediferis concoloribus; sapore peramaro chinino. — *Part. const. praev.:* Picro-licheninum. — *Vis:* tonica, febrifuga. — *Usus:* In pulvere, decocto. — *Praep.:* Picro-licheninum. Lichen sane efficax medicorum attentione magis dignus. — Cave confundas cum Variolaria communi ACH. omnino simili, sed insipida.

VENTRICULI GALLINARUM TUNICAE, Hühnermagenhäutlein, *Grysieres*, aliarumque avium tunicae interiores membranaceae ventriculi. — Olim absurde ut adstringens, roborans et lithontripticum commendabantur. Merito autem dudum exoleverunt.

VERTEBRAE MUSTELAE PISCIS v. Mustelae (p. 186.).

VICIAE, Semen Viciae sativae. Wicken, Futterwicken. *Vices communes.* — *Viciae sativae* L. (Fl. Bad. III. 190. — Cl. cet v. Fabae p. 58), plantae annuae in arvis vulgaris et cultae, caule adscendente, anguloso-sulcato, foliis abrupte-pinnatis, cyrrhosis, foliolis obovatis retusis, floribus binis axillaribus subsessilibus purpureis, leguminibus erectis, compressis, pubescentibus, polyspermis, Semina orbiculari-obtusangula, piperis magnitudine, fusca, glabra, subamariusculo-farinosa. In Anglia passim in variolis commendantur. Tanquam nutrimentum praecipue avibus inserviunt.

VINACEA. Weintreber oder Weintrester. *Marc de Raisins.* — Uvarum Pelliculae una cum acinis, quae post uvarum expressionem remanent; odore vinoso et sapore simul acerbo-adstringente. — Ut resolvens, roborans, antisepticum, cet., commendantur. — Fermentatione et destillatione Spiritum Vini praebent. Ad parandum Acetum crudum quoque inserviunt (p. 1.).

VINUM. Wein. *Vin.*

Liquor notissimus spirituosus, plus minus grate acidulus et dulciusculus et dulcis, qui fermentatione vinosa Succi Uvarum obtinetur. — Plures sunt vini species seu varietates. Ad usum

medicum praeferunt: **Vinum album rhenanum** et **gallicum generósum**, weißer Rheinwein und französischer Wein, *Vin du Rhin* et *Vin blanc français.* Colore flavescente, passim plus minus aurantiaco; odore (praecipue vini rhenani annosi) gratissimo-aromatico, spirituoso, et sapore simul acidulo-dulciusculo. **Vinum rubrum**, *Vin rouge*, colore saturate fusco-rubro seu purpureo, sapore simul plus minus adstringente; **Vinum hispanicum, malacense**, spanischer Wein, Malaga, *Vin d'Espagne, Malaga*, quod dicitur, liquor spissiusculus, valde spirituosus, saturate flavo-fuscus, sapore grate vinoso-dulci. — Vinum praecipue ex Spiritu Vini (p. 336.) et Aqua constat et plus minus Tartari, Acidi tartarici, Sacchari, passimque Principii colorantis et adstringentis continet. — *Vis:* excitans, nervina, roborans, in nimia dosi inebrians.

Sit vinum genuinum, purum, annosum, satis spirituosum, odore et sapore grate vinoso; vinum ingratum, acidum, debile, vel odore et sapore alieno, rejiciatur. Adulteratio cum metallis nociferis acidi hydrothionici ope detegitur.

Usus: pro potu ordinario notissimus. Aegrotis, reconvalescentibus passim praescribitur et pro menstruo in mixturis inservit. — *Praep.:* Vina medicata, Spiritus Vini. Additur aliis quoque compositionibus.

VIPERAE EXSICCATAE. Getrocknete Vipern. *Vipères sèches.* — *Vipera Berus* LACEP. (v. Axungia p. 14.), serpens vivipara, 1 1/2 — 2 pedalis et longior, pollicem circiter crassa, colore griseo vel rufescente, fusco-variegata et maculis nigris notata, scutellis abdominalibus integris 146 et caudae dimidiatis 39, capite abbreviato, postice dilatato, superne scutellis tecto, in maxilla superiori dentibus venenatis praedita. Siccatae, capite, cauda, cuti et intestinis privatae, prostant. — *Vis:* nutriens; olim ut alexipharmacum, diureticum, restaurativum, vulnerarium, mundificans, cet. laudabatur. — *Usus:* In pulvere. — *Praep.:* Bezoardicum animale. Ad Theriacae compositionem requiruntur et aliis quoque addebantur compositionibus. — Ex viperis recentibus cum aqua gelatina, Jus viperinum, Vipernbrühe, coquitur, quod aegrotis caducis, scrophulosis, leprosis magnopere commendatur. — Viperarum Vertebrae vel Spinae dorsi, Ossa Viperarum seu Serpentum, Vipern- oder Nattern-Rückgrad, *Epine de Vipère* olim etiam in usum medicinalem vocata erant. Saepius autem hoc nomine Viperae exsiccatae (v. supra) intelligebantur. — Pari modo Vipera aegyptiaca LACEP., serpens Aegyptum inhabitans, quae major, 3-pedalis, superne cinerea et obscure fusco-maculata, subtus alba, cauda zonis 3 nigris et aculeo praedita, venenatissima adhibebatur. — Apud nos hodie exoleverunt.

VISCUS seu VISCUM ALBUM, Lignum Visci seu Sanctae Crucis. Mistel. *Gui.* — *Viscum album* L. (Fl. Bad. III. 751.), e cl. Dioecia, ord. Tetrandria, fam. Loranthacearum, frutex parasiticus indigenus, ramis arborum variorum, praecipue annosioribus, superincrescens, dichotomo-ramosissimus, foliis oppositis lanceolatis, obtusis, nervosis, flavescente-viridibus, glabris, crassiusculis, sempervirentibus, coriaceis, floribus terminalibus sessilibus subternis, flavo-virescentibus, perigonio 4-fido, baccis globosis albis hyalinis, pisi magnitudine, monospermis. Secundum arbores, quibus innascitur, Viscum nominabatur; v. c. Viscus seu Viscum Betulae, Birkenmistel, *Gui de Bouleau*, si Betulae albae innascitur; — Viscum Coryli seu corylinum, Haselmistel, *Gui de Noisetier*, quod in Corylo Avellana reperitur; — Viscum Quercus seu quercinum, Eichenmistel, *Gui* de *Chêne*, Quercubus superincrescens: rarissime autem hoc reperitur. — Viscum Salicis, Weidenmistel, *Gui de Saule*, Salices inhabitans; — Viscum Tiliae, Lindenmistel, *Gui de Tilleul*, si Tiliae innascitur. — Colliguntur ramuli cylindrici tenuiores, calamum scriptorium ad digitum minimum crassi, una cum foliis celeriterque siccantur et loco sicco asservantur. Cortice sunt praediti sordide flavo-viridi, fuscescente, crassiusculo, foliisque subconcoloribus, sub cortice lignum album vel pallide virescens et flavescens, leve includentes. Melius est, Viscum statim in pulverem subtilem redigi et in vasis optime clausis asservari. Odor, praecipue pulveris, proprius, ingratus, subrancidus, sapor primo nau-

seoso-dulciusculus, post subamarus. — *Part. const. praev.:* Principium peculiare extractivum, Mucilago, Oleum aethereum(?), et Viscum aucuparium (Plerumque Viscum quercinum aliis praefertur, sed non ab aliis discedere videtur; ceterum conferat. subsequens). — *Vis:* antispasmodica, antiepileptica (?), diuretica, antarthritica (?). — Lignum cortice liberatum, Viscum album mundatum, geschälte Mistel, *Gui mondé*, plane inodorum et insipidum, inane, viribus medicatis, ut est probabile, privatum. — *Usus:* In pulvere, infuso, vel decocto. — *Praep.:* Extractum. — Addebatur permultis compositionibus, praecipue pulveribus epilepticis. Veteribus polychrestum fuit remedium, praecipue in medenda epilepsia celebratum; hodie, forsitan immerito, raro adhibetur. Cave confundas cum Ramulis tenellis querceis, qui sapore peradstringente facile dignoscuntur.

VISCUM AUCUPARIUM. Vogelleim *Glu.* — Paratur ex cortice *Visci albi* L. (v. supra) vel *Ilicis aquifolii* L. (v. Bacc. p. 14.) maceratione cum aqua et manibus tractando sub aqua, donec Viscum penitus a fibris elotum est. Massa mollis Unguenti consistentia, flavo-viridescens, vel pallide flavescens, maxime viscida, tenacissima, elastica, aqua gravior; odore debili ingrato resinoso-oleoso; insipida, insolubilis in aqua, difficilis solutu in alcohole vini, facilior in aethere et oleis aethereis, flammam difficulter concipit. — Est materia sui generis resinosa, Cautchouc (p. 29.) affinis. — *Vis:* irritans (?). — Olim ut rubefaciens (?) applicabatur. Hodie exolevit. — Ad aucupium inservit.

VISCUM QUERCINUM VERUM seu VETERUM. Aechte Eichenmistel der Alten. *Gui de Chêne véritable des Anciens.* — Est *Loranthus europaeus* L., e cl. Hexandria, ord. Monogynia, fam. Loranthacearum, frutex parasiticus Austriae, Hungariae, Italiae quercubus innascens, Visco albo similis, sed floribus racemosis, corollis 4—8-petalis, masculis hexandris, baccis luteis. Lignum albidum durum cortice fusco, intus luteo est praeditum. — Pari modo passim ac Viscum album, apud nos autem non, adhibetur.

VITELLUM OVI. Eigelb. *Jaune d'Oeuf.*

Materia notissima lutea, medium ovorum gallinaceorum (p. 205.) explens, grate sapida, cum aqua emulsionem praebens. — Ex Oleo pingui, Materia colorante et Albumine praecipue constat. — *Vis:* v. Ova (l. c.).

Usus: Forma emulsionis cum aqua et Saccharo commixtum. Ad suspendendas Gummi-Resinas, Olea, Camphoram cet. emulsionis forma quoque inservit, externe in unguentis. — *Praep.:* Oleum Ovorum, Unguentum digestivum.

VITRIOLUM ALBUM. Weißer Vitriol. *Vitriol blanc.*

Synon.: Vitriolum Zinci seu Goslariense, Gilla Vitrioli seu Theophrasti, Chalcanthum album, Sal vomitorium Vitrioli, Zincum sulphuricum venale, Sulphas zinzicus venalis. Zinkvitriol, weißer Galitzenstein, weißes Kupferwasser, weißer Kupferrauch oder Augenstein. *Vitriole de Zinc, Couperose blanche.*

Paratur in officinis metallariis, praecipue Goslariae, e mineris Zinci. — Prostat in massis crystallinis albis, saccharo albo raffinato similibus; sapore nauseoso-acerbo, metallico (de ceteris proprietatibus conf. Vitriolum Zinci purum parte posteriori.). Est Zincum sulphuricum impurum cum aqua.

Sit album, non coerulescens vel viridescens neque adeo fuscescens, quod nimium Cupri vel Ferri copiam indicaret; sit porro plane et facile solubile in aqua.

Usus: Externe in collyriis. In arte veterinaria praecipue praescribitur. Ad parandum Vitriolum Zinci purum quoque inservire potest.

VITRIOLUM COERULEUM. Blauer Vitriol. *Vitriol bleu.*

Synon.: Vitriolum de Cypro seu Cupri, Vitriolum Veneris, Cuprum sulphuricum venale; Sulphas cupricus cum Aqua, Cuprum vitriolatum, Crystalli Veneris.

Kupfervitriol, Cyprischer Vitriol, blauer Galitzenstein, Blaustein, blaues Kupferwasser. *Vitriol de Chypre, Sulphate de Cuivre, Couperose bleue.*

Paratur in officinis metallariis plerumque e cupro sulphurato; vel solutione cupri ramentorum in acido sulphurico, et crystallisatione. Pari modo a pharmacopola quoque ipso parari potest. — Crystallos exhibet speciosas, prismaticas, oblique rhomboidales, inaequaliter hexagonales cet., colore pulchre et saturate coeruleo; p. spec. 2,2; sapore nauseoso, peracerbo-metallico. — *Part. const.* Cupri oxydati 1, Acidi sulphurici 1 et Aquae 5 p. Mixt. — Aëre lente in superficie pulvere viridi-albo fatiscit, leni igne liquefit, aquam perdit et sal anydrum, forma pulveris albi, Pulvis sympatheticus qui dicitur, remanet, igne fortiori decomponitur; facile solubile est in aqua, insolubile in spiritu vini. — *Vis:* emetica, purgans, facile nociva, externo mundificans.

Sint crystalli integrae, pulchre coeruleae, penitus solubiles in spiritu salis ammoniaci in excessu cum colore intense azureo.

Usus: Praecipue externe adhibetur ut vulnerarium, interne caute in minima dosi administrandum. — *Praep.:* Cuprum ammoniacale, Lapis divinus, vulnerarius. Additur aliis quoque compositionibus et ad plura cupri praeparata inservit.

VITRIOLUM VIRIDE. Grüner Vitriol. *Vitriol verd.*

Synon.: Vitriolum commune seu Martis emale, Vitriolum anglicum, hungaricum, romanum, Chalcanthum viride, Calcitis, Ferrum sulphuricum emale, Sulphas ferricus cum Aqua emalis. Gemeiner Eisenvitriol, englischer, ungarischer, römischer Vitriol, Kupferwasser. *Vitriol commun, anglais, d'Hongrie, romain, Vitriol de Mars, Sulphate de Fer* (conf. quoque Vitriolum Martis parte posteriori).

Paratur in officinis metallariis e mineris ferri. — Crystallos exhibet prismaticas, oblique rhombicas et inde derivandas, si recentes, pellucidas, colore pallide coerulescente-viridi, quae tamen plerumque aëris aditu colorem obscuriorem viridem, passimque externe rubiginosum assumserunt; sapore acidulo-perstyptico, atramentino (de ceteris proprietatibus et Vi conf. Vitriolum Martis parte posteriori.). — Est Ferrum sulphuricum cum Aqua, plerumque Cupro, passimque Zinco quoque inquinatum.

Usus: Externe solummodo adhibendum ut vulnerarium cet. — — *Praep.:* Aqua styptica. Si a Zinco liberum invenitur, ad parandum Vitriolum Martis purum quoque adhiberi potest. Praecipue ad Atramenti compositionem, et infectoribus inservit.

VITRUM MOSCOVITICUM. Russisches Glas. *Verre de Moscovie.* — Cum Glacie Mariae (p. 84.) congruit. Ceterum etiam Mica (Glimmer) in lamellis maximis pellucidis hoc nomine intelligitur.

VITRUM VENETUM. Venedisches Glas *Verre de Venise.* Nibil aliud est nisi Vitrum album pulveratum. — Olim ut anthelminticum, cum melle umbilico superimpositum, laudabatur. Merito autem exolevit.

VIVERRA PUTORIUS v. Mephitis (p. 181.).

VULPES. Fuchs. *Renard.* — *Canis Vulpes* L. (v. Axungia p. 14.). Praeter Axungiam et Pulmonem (p. 210), olim Caro quoque et Vertebrae seu Spina dorsi Vulpis in medicamentorum copiam recepta erant. Merito autem dudum exoleverunt.

XYLO-ALOË v. Lignum Aloës (p. 170.).

XYLO-BALSAMUM, Lignum Balsamitae. Balsamholz. Hoc nomine Ramuli Balsamodendri Gileadensis (v. Balsam. de Mecca p. 20., et Carpobalsamum p. 27.) adportabantur. Frustula exhibet calamum scriptorium circiter crassa, lignosa, tortuosa, externe rugosa, grisea vel rufescentia, fragilia; odore debili balsamico, prunis vero injecta, fortiori, grate aromatico, et sapore resinoso-balsamico. — Raro autem genuinum in officinis prostabat et merito tanquam medicamentum superfluum exolevit.

ZIBETHUM. Zibeth. *Civette.* — Obtinetur e *Viverra Zibetha* et *Viverra Civetta*, e cl. Mammalium ord. Ferarum et fam. Sanguinariorum, animalium marti sub-similium, sed majorum, quorum prius Asiam, Arabiam, Syriam, Indiam orientalem, posterius Africam mediam inhabitat. Secernitur in folliculo glanduloso, cujus orificium inter anum et genitalia, et exprimitur ab animali ipso, vel cochlearis seu auriscalpii ope eximitur. — Materia mollis, pinguis, unguenti consistentia, albida, flavescens, tempore fuscescens, pilis tenerrimis plus minus intermixta; odore proprio penetrantissimo, Moschi (p. 183.) subsimili, et sapore irritante nauseoso, adiposo; leni calore olei instar liquescit, calore aucto facile flammam concipit et cum flamma splendente pinguedinis instar comburitur; insolubilis in aqua, aegre solubilis in alcohole vini et partim tantum in aethere. — *Part. const. praev.*: Oleum aethereum (?), Adeps et Ammoniacum (?). — *Vis:* excitans, antispasmodica. — *Usus:* In substantia cum saccharo tritum, rarissime autem interne adhibetur, vel solutum in alcohole vini. — Addebatur olim pluribus compositionibus. — Hodie praecipue ad odoramenta inservit — Saepissime aliis axungiis cet. adulteratur vel adeo artificialiter ex moscho, pinguedine, resinis et oleis aromaticis componitur, quod adspectu et odore detegitur.

ZINCUM. Zink. *Zinc.*

Synon.: Stannum indicum. Spiauter. *Tutenage.*

Obtinetur in officinis metallariis e Zinci mineris sublimatione seu destillatione. — Metallum cinereo-album, subcoerulescens, splendidissimum, structura radiato-foliacea, mediocriter durum, sonans, in frigore sub mallei ictibus aegre dissiliens, moderata autem pressura subductile, p. spec. 6,8 — 7; jam ante incandescentiam funditur et calore albo-candente volatile, ita ut destillari et sublimari possit. P. Mixt. 403,226. Ex aëre facile oxygenium attrahit, opacum, obscure griseum fit, calore candente cum flamma splendente comburitur et in Oxydum, Flores Zinci (v. pars posterior), convertitur. Facile dissolubilis in acidis fortioribus, saliaque formans decolora, plerumque solubilia, sapore ingrato acerbo, metallico, quae alcalium uti et acidi hydrothionici ope, si neutra, colore albo praecipitantur. De *Vi* conf. Oxydum et Salia.

Sit album, paullum cinereo-coerulescens, in spiritu vitrioli uti et in aqua forti facile et penitus dissolubile; solutio acida acido hydrothionico non, solutio neutra autem colore albo, minime flavo vel fusconigro praecipitetur, et liquore kali ferro-hydrocyanici colore albo, per tempus vix in coerulescentem abeunte, praecipitetur. Zincum indicum purissimum putatur.

Usus: medicinalis per se nullus. — *Praep.:* Flores Zinci, Vitriolum Zinci, Zincum aceticum et cyanicum; et ad alia Zinci praeparata inservit.

ZINZIBER et ZINZIBER CONDITUM v. Rad. (p. 292 — 93.).

Plura olim medici medicamenta simplicia uno eodemque nomine universali praescribere solebant, v. g.

Flores quatuor cordiales:

Borraginis
Buglossi
Rosarum
Violarum.

Fragmenta Lapidum quinque pretiosorum:

Granati
Hyacinthi
Sapphiri
Sardae seu Carneoli
Smaragdi.

Herbae quinque capillares:

Adianti aurei
Capilli Veneris
Ceterach
Rutae murariae
Scolopendrii.

Herbae quinque emollientes:

Althaeae Malvae Mercurialis Parietariae Violariae,	vel	Malvae Brancae ursinae Betae Parietariae Mercurialis.

Mirobalanorum quinque Genera:

Belliricae
Chebulae
Citrinae
Emblicae
Indae.

Radices quinque aperientes majores:

Apii
Asparagi
Foeniculi
Petroselini
Rusci.

Radices quinque aperientes minores:

Capparis
Eryngii
Graminis
Ononidis
Rubiae tinctorum.

Semina quatuor calida majora:

Anisi
Carvi
Cumini
Foeniculi.

Semina quatuor calida minora:

Ammeos
Amomi
Apii
Dauci.

Semina quatuor frigida majora:

Citrulli
Cucumeris
Cucurbitae
Melonum.

Semina quatuor frigida minora:

Cichorii
Endiviae sive Scariolae
Lactucae
Portulacae.